


ACHAICORUM

LIBRI TRES.

COMPOSUIT

Carolus Fridericus Merleker,

PH. DR. AA. LL. M. COLL. FRIDR. PRIMAR. PRAEC. IN UNIVERS. LITT. ALBERTINA PRIV. DOC.



DARMSTADII,

SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GUILIELMI LESKII.

MDCCCXXXVII.

CARL. GUI. AUG. DRUMANNO

CHRIST. AUG. LOBECKIO

FRID. GUIL. SCHUBERTO

praeceptoribus suis

venerabundus dedicavit

Editor.

Praefatio.

Ex quo Bayerus Fastos Achaicos illustratos in Commentariis Academiae Petropolitanae (T. V. p. 382. sqq.) in publicum edidit, adversa quadam fortuna factum videtur esse, ut haec historiarum pars, qua Achaeorum res comprehenduntur, iam si Breitenbauchii libellum exceperis, prorsus abiecta atque inculta iaceret,[1]) donec nostra demum aetate Ernestus Helvingius opusculo monographo universam Achaeorum historiam complexus, vel certe in titulo libri sui complexum se professus est. Verum quum prior sui seculi, quae multorum erat, maciem atque socordiam prae se ferat; posterior vero criticam, quam vocamus, omnem aspernatus videatur; nihil impedire arbitrabar, quominus rem iam ante hos novem annos inchoatam, cuius singulas partes iam alio tempore pertractavi, retractatam denuo in peritorum iudicium exhiberem. Incitavit praeterea argumenti tam late patentis varietas atque iucunditas, ut in proposito constans permanerem, quippe quod eam Graecarum historiarum partem contineat, quae omnibus omnium temporum gentibus optima sit magistra, unum summumque illud politices, sive potius sapientiae, praeceptum offerens, concordia res parvas crescere, concordia sola gentes esse felices.

Reliquum iam est, ut qui haec legent eos qua par est humanitate admoneamus, nos in opusculo hoc conficiendo ea usos esse diligentia, quae, quodcunque alicuius momenti

1) Neque editiones antiquorum scriptorum, nec chronologicas disquisitiones pleniores, nec denique recentiorum libros, quibus vel instituta tantum Graecorum vel universa eorum historia continentur atque absolvuntur, a nobis innui, facile est intelligere.

sit, nullum cuiuspiam auctoris scriptum temere vel inconsiderate neglectum praetermittere neque aliorum doctrina vel auctoritate ubique supersedere soleat. Quam ob rem a proposito nostro alienum non putavimus vel longiores aliorum sententias lectoribus proponere integras, primum ut intelligeretur, cur alienam fidem amplexi alienamque auctoritatem secuti simus, deinde ut quaecunque de Achaeis eorumque rebus gestis dici possint, huius opusculi ambitu connexa et quasi absoluta viderentur, denique ad scripta librosque, qui non in cuiusvis manibus sint, melius cognoscendos comparandosque facilior fieret aditus.

In chronologia, quam dicunt, rectius constituenda non solum praecedentes viros summos secuti sumus, sed, ubi necesse visum est, ex ipsis veterum auctorum scriptis eas temporum rationes eruendas componendasque curavimus, quae nobis quidem proxime ad verum rerum tum gestarum ordinem accedere maximeque antiquorum narrationibus satisfacere videbantur.

Scriptores vero quod attinet veteres, ad quos tanquam ad fontes primarios accessimus, expensis prius collatisque recentiorum iudiciis, ita ordinavimus, ut, quem principem eorum cognovimus, eius narrationem, additis tamen aliorum sententiis, ubi discrepent, nostrae substrueremus, substruendoque viam ad finem itineris nostri muniremus.

Res denique ipsas, quum ex fragmentis quasi quibusdam coacervandae essent, maximam partem, ne antiquorum ulla intercideret sententia, ipsis auctorum verbis narravimus; qua in caussa eos certe iudices non reformidamus, qui summam in talibus esse veterum scriptorum auctoritatem reputant.

Scribebam Regimontii Prussorum a. d. VIII. Idus Octobres MDCCCXXXIV.

Dr. Merleker.

Argumentum.

Liber I.

Liber II.

Liber III.



Liber primus.

Res Achaeorum antiquiores ad Arati usque tempora.

Caput primum.

De Achaicis rebus antiquissimis ad eam usque aetatem, qua regale imperium sublatum est.

---

§. 1.

Hellen. Xuthus. Ion.

Achaeorum historiam expposituris nobis omnino ad antiquissima atque adeo ad ea usque tempora, de quibus ne apud Graecos quidem auctores certi aliquid atque absoluti deprehenditur, recurrendum est.

Deucalionis igitur, ut a primis ordiamur initiis, e Pausaniae et Strabónis narrationibus nostram quoque illustraturi, filius alter Hellen circa Phthiam ad Penei Asopique ripas sedes habuisse fertur indeque filios natu minores alias sibi quaesituros dimisisse tradito regno ei, qui natu fuerit maximus, Aeolo, quod ex ipsa Strabonis (VIII, 7. ed. stereotyp.)[1]) narratione evinci posse

---

1) Aeolum natu maximum Hellenis filiorum fuisse apparet non solum e nostro Strabonis loco, ubi Doro Xuthoque commemoratis ad τῷ πρεσβυτάτῳ tertium non additum illud quidem Aeoli

videatur. Horum igitur filiorum unus nomine Xuthus in Atticam devenit ibique Erechthei filiam, Creusam, in matrimonium duxit (Eur. Ion. 57. sqq.) condiditque[2]) Atticam tetrapolin Oenoen, Marathonem, Probalinthum, Tricorythum. Progenuit deinde filios, Achaeum et Ionem, quorum prior ob caedem, licet non voluntariam, quam patraverat, terra expulsus, Lacedaemonem se contulit,

---

nomen subaudiendum est, sed etiam apud Schol. ad Lycophr. ad v. 284. et Apollod. I, 7, 2. quod fragm. accurate emendavit Robinsonius in Loesneri Hesiod. edit. p. 443. v. Fragm. v. 77 — 81. Diod. Sic. IV, 67. Schol. Apollon. I, v. 143. Apollod. I, 7, 4. et I, 9, 1 — 11. Conon Narrat. 27. Paus. VII, 1. Herod. I, 56. coll. VII, 94. Ab his Euripides discessit, qui in Ione v. 63. Xuthum non Hellenis, sed Aeoli filium et gente Achaeum fuisse narrat.

2) Strabonis vocabulum ᾤκισε Romanorum *condidit* interpretatus sum, non eo quidem sensu, quasi tetrapolis illa notissima revera a Xutho sit exstructa, quod ipsum Pausanias (VII, 1, 2.) quum silentio praetereat nescire videtur, sed Marathoniam certe regionem vel planitiem, circa quam seriori demum tempore, forsitan ab ipso Xutho, tria illa oppida reliqua, Oenoë, Tricorythus et Probalinthus, aedificata sint, novis potius colonis ab urbe principali regionis regio iussu eo remotis, habitandam esse traditam; gens igitur nova, non oppida, condita ab illo advena videtur. Marathon enim oppidum totaque, quae circumiacet regio, secundum Pausaniam (I, 16.) ab heroe quodam Marathone nomen accepit, verum ex Plutarchi (in Thes. vit.) rursus narratione a Maratho Arcade, socio Tyndaridarum et Echemi, Tegeatarum regis. Suidas autem quum eundem Marathum (s. v. *Μαραθών*) fingat Apollinis filium (Apollini enim a θεωροῖς Delphis Delum et rursus a Delo Delphos proficiscentibus sacra Marathone offerebantur, cf. Schol. Oed. Col. et Demosth. Philipp. I.), Doricam potius illam fuisse coloniam non sine veritatis quadam specie contendi possit atque affirmari. Cf. O. Mueller. Dorier, lib. II. p. 199 — 367. Sunt tamen praeter Strabonem duo rerum antiquarum scriptores, Stephanus Byz. s. v. *Τετράπολις* et Conon c. 27., qui Atticam illam tetrapolin a Xutho exstructam conditamque referunt. Ceterum de formula apud Pausaniam frequente *οἰκίζειν πόλιν ἀπό τινος* dixit Siebelis. in Not. ad Hellen. p. 115.

ubi Achaeorum gentem condidisse dicitur; posterior vero Thracibus Eumolpo duce devictis [3]) apud Athenienses imperium obtinuisse eoque, quum leges populo accommodatas tulisset atque eas res instituisset, quibus civitas recte soleat administrari, regnante tanta gentem Ioniam incrementa cepisse, ut colonia in Peloponnesum deducenda videretur. Hinc iam Iones regionem Aegialeam occuparunt eamque de suo nomine Ioniam atque incolas Iones cognominavere.

His tamen non convenientia narrat Pausanias (VII, 1, 2.), Xuthum scilicet a fratribus e Thessalia eiectum esse, eo nempe crimine, quod paternas sibi solus vindicasset divitias; Atticam deinde immigrasse, ibique ex Erechthei filia filios duos, Achaeum et Ionem, procreasse.

---

3) Bellum vero illud, cuius mentionem supra iniecimus, Eleusinium, prima heroum ex Aeolidarum gente expeditio intra Graeciae, vel potius eius terrae fines dicitur fuisse, quam antiquitus Pelasgi et cum his deinceps Hellenes, vel Aeoles commixti, tenuere. Hoc Euripides (in Ione v. 57. sqq.) ita illustrat:

Κρέουσα Ξούθῳ γαμεῖται συμφορᾶς τοιᾶσδ' ὕπο. Ἦν ταῖς Ἀθήναις τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις, οἳ γῆν ἔχουσ' Εὐβοΐδα, πολέμιος κλύδων, ὃν συμπονήσας καὶ ξυνεξελὼν δορὶ γάμων Κρεούσης ἀξίωμ' ἐδέξατο.

Reddit enim hic Euripidis locus rationem, cur Xuthus, peregrinus homo, dignus habitus sit, cui nuptum daretur Erechthei filia; eaque caussa probabilior, quam quae affertur a Kuhnio, quod Erechtheo Xuthus suppetias tulisset adversus Eumolpum; de qua fama non satis illa ad fidem commendata haec adnotentur. De hoc bello cf. Paus. II, 14, 2. coll. I, 31, 2. Meurs. Lect. Attic. VI, 21. de Regg. Atheniens. II, 8. Idem vero bellum est, quod Athenienses ab aliis contra Eleusinios, ab aliis contra Eumolpum et Thraces gessisse narrantur; in eo tamen diversitas deprehenditur, quod ab aliis Xuthus, ab aliis Ion Atheniensibus tunc opem tulisse perhibetur. In Ione sibi constat Pausanias locis supra laudatis. Bellum autem pacta societate compositum est, ut Pausanias II, 14, 2. his verbis: — — τοῦ πολέμου τε ἐπὶ συνθήκαις καταλυθέντος, πρὶν ἢ διαπολεμηθῆναι, καὶ ἐν Ἐλευσῖνι αὐτοῦ καταμείναντος Εὐμόλπου. cf. Siebel. ad Paus. l. c. Apollod. I, 7, 3.

Mox quum Erechtheus mortuus atque Xuthus filiis Erechthei de regno dissidentibus disceptator electus esset et regnum Cecropi natu maximo adiudicasset, eiectum esse terra a Cecropis fratribus atque in Aegialeam migrasse, ubi diem obiisset supremum. E filiis autem Achaeum assumtis ex Aegialo Athenisque auxiliis in Thessaliam abiisse sedemque paternam ibi recuperasse. Ionem vero quum bellum esset Aegialensibus eorumque regi Selinunti illaturus pacta per legatos societate adoptionis iure filium Selinuntis esse factum. Hunc vero Ionem Selinuntis conditiones sibi oblatas libenter accepisse apparet e Pausaniae verbis: *καί πως ταῦτα τῷ Ἴωνι ἐγένετο οὐκ ἀπο γνώμης* (non contra animi sententiam; quod adverbium *ἀπο* defendit Siebelis. ad h. l.).

Hae igitur sunt Pausaniae et Strabonis narrationes, e quibus quantum potest in usum nostrum conferri decerpsimus; diversas enim singulorum scriptorum opiniones de Pelasgis Hellenibusque et aliis populis antiquis enumerare supersedemus, quoniam haec a proposito nostro aliena etiam praetermittenda duximus; caussas tamen primarias adiicere placet, propter quas Strabonis de Ione narrationem praeferendam esse existimemus.

Herodotus [4]) enim quum eadem de Ionum apud Atticae regionis incolas institutis, et Apollodorus incolas ab

---

4) Herodotus V, 66. scribit de Clisthene Atheniensium tyranno: *μετὰ δὲ, τετραφύλους ἐόντας Ἀθηναίους, δεκαφύλους ἐποίησε, τῶν Ἴωνος παίδων, Γελέοντος καὶ Αἰγικόρεος καὶ Ἀργάδεω καὶ Ὅπλητος, ἀπαλλάξας τὰς ἐπωνυμίας κ. τ. λ.* Teleontem pro Geleonte scribit Gronovius ex Plutarchi vita Solonis p. 91. et Steph. Byz. s. v. *Αἰγικόρεως;* Marmor autem Cycicum apud Caylum (Recueil d'Antiq. Egypt. etc. T. II. p. 204.) tuetur vulgaris lectionis nomen Geleontis; Teleontem, Butis (patris Eteobutadarum) patrem, Apollonius quoque Rhodius I, 96. nominat. Ion enim, nisi magna eius in Attica fuisset auctoritas, nisi regalem quasi quandam obtinuisset dignitatem, quattuor a Cecrope constitutas nominatasque tribus aliis nominibus, a filiis translatis, insignire profecto ausus non fuerat; nomina saltem illa, utpote ab hoste

Ione Iones cognominatos esse narrent, et Thucydides de colonia ab Atheniensibus missa (non dicit quidem, quorsum illa colonia sit missa in Asiamne an in Peloponnesum) tradat his verbis (I, 8.): *καὶ πολῖται γιγνόμενοι, εὐθὺς ἀπὸ παλαιοῦ μείζω ἔτι ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώ-*

---

patriaque extorre viro profecta, ad Clisthenis aetatem in usu retenta non essent, cf. Kruse Hellas I. p. 504 sqq., praesertim quum novis nominibus tam sedulo studuisse reperiantur illius regionis incolae, ut Cecropis primi huius nominis tribus, Cecropidem, Autochthonem, Actaeam et Paraliam a Cranao in Cranaidem, Atthidem, Mesogaeam et Diacrida, et ab Erichthonio rursus in Diadem, Athenaïdem, Posidoniadem et Hephaestiadem commutarent. Cf. Pollux. Onom. VIII, 9. Sync. 109. Verum Ion quum nusquam Atticis regibus adnumeretur factum est, ut Raoul Rochette quoque Iones, ab Homero (Il. XIII, 685. cf. Eustath. ad h. l. Aesch. in Pers. 176. et 561.) Iaones vocatos, non ab Ione, sed ab Aonibus originem traxisse opinetur. Aones autem sedes in Boeotia (Paus. IX, 5. Strab. IX. p. 397.) habuerunt et cum Phoenicibus advenis sese commiscuisse perhibentur. Placet igitur Crusii l. l. docta harum rerum expositio. Muellerus quoque (Dorier T. I. p. 237.) Iones non eundem cum Pelasgis Atticis putat fuisse populum, sed milites, quorum πολέμαρχοι vel duces fuerint Xuthus et Ion. Quem posteriorem quum Eleusinios ab Eumolpo (Strab. VIII. p. 383.), vel ab Imarado (Paus. Attic. c. 38.), Thracum regibus, sustentatos devicisset, serioris aetatis scriptores Atticae fecerunt regem (Strab. l. c. Conon. Narrat. 27.); quam tamen eius dignitatem Chronographi non agnoscunt. Ex Attica autem Peloponnesus colonos ab Ionum stirpe prognatos accepisse putanda est. Paus. Ach. c. 1. Strab. l. c. Herod. VII, 94: *Ἴωνες δὲ, ὅσον μὲν χρόνον ἐν Πελοποννήσῳ οἴκεον τὴν νῦν καλεομένην Ἀχαιΐην, καὶ πρὶν ἢ Δαναόν τε καὶ Ξοῦθον ἀπικέσθαι ἐς Πελοπόννησον, ὡς Ἕλληνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Πελασγοὶ Αἰγιαλέες· ἐπὶ δὲ Ἴωνος, τοῦ Ξούθου, Ἴωνες.* cf. Kruse Hellas I, p. 506. Heynius in Not. ad Apollod. I, 7, 3. p. 98. summatim hanc rem ita tetigit: Xuthum alii in Atticam confugisse ibique Tetrapolin condidisse narrant. Post eum Ionis magna in Attica fuit auctoritas dictaque illa ab eo Ionia et incolae Iones. (Cf. loci supra citati et Schol. ad Hom. Il. V, 685.) Inde profugi Iones obtinuere Aegialeam mox Achaiam dictam; donec expulsi inde ab Achaeis rediere in Atticam, ubi coaluere cum Pelasgis. v. Herod. I, 56. II, 51.

πων τὴν πόλιν, ὥςτε καὶ ἐς Ἰωνίαν ὕστερον, ὡς οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς Ἀττικῆς, ἀποικίας ἐξέπεμψαν· quae cum Strabonis sententia optime congruere videntur, propterea etiam videtur potior Geographi narratio, praesertim quum Pausanias et ipse sibi videatur contrarium dixisse locis iam supra allatis I, 31, 2. II, 14, 2. et VII, 1, 2: *τότε δ᾽ ἐπὶ τῆς Ἴωνος βασιλείας πολεμησάντων Ἀθηναίοις Ἐλευσινίων, καὶ Ἀθηναίων Ἴωνα ἐπαγομένων ἐπὶ ἡγεμονίᾳ τοῦ πολέμου, τὸν μὲν ἐν τῇ Ἀττικῇ τὸ χρεὼν ἐπιλαμβάνει καὶ Ἴωνος μνῆμά ἐστιν,* quod tamen vix factum putaverim, si revera Xuthus ab Atticae incolis eiectus, neque Ion unquam rex Ionum in Atthide constitutus fuisset.

Sed lubenter accedam Koenigii in Commentatione de Pausaniae fide et auctoritate sententiae, qui quum iusto levius in rebus gestis exponendis versatum esse Pausaniam demonstrasset: Id tamen, inquit, (p. 21.) non urgebo, quod ceteri, qui supersunt, scriptores remotissimam temporum memoriam explicantes saepe illi repugnant. Nam in his rebus fama dominatur, quae eundo variam induit speciem. Negligentiae igitur non imputandum est, quod VII, 1, 3. alia atque Herodotus II, 98. et III, 2, 1. alia atque Strabo XIII, 852. enarrat. At persuasum mihi omnino est, diligentem scriptorem ne ista quidem narrasse nisi addita aliorum varietate atque discrepantia. Verum utut est, illud tamen consensum omnium fere scriptorum firmum manet atque immutabile, Iones in Aegialeam pervenisse ibique ad posteritatis memoriam incolis de suo nomine Ionum cognomen indidisse.

§. 2.

Achaeus. Achaei.

Achaei, ut ad alterum Xuthi filium transgrediar, vulgo quidem habentur posteri Achaei illius filii Xuthi, qui Strabone auctore ex Atthide in Laconiam commigravit, a Pausania vero rursus e Peloponneso in Thessaliam dicitur concessisse ibique paternum regnum recuperatum tenuisse. Et commiscuit profecto Pausanias varias istas scriptorum de Achaeo narrationes, quare non

sine veritatis quadam specie nobis Strabonis auctoritatem secuti esse videmur. Traditur enim et alius quidam Achaeus nostro sine dubio prior (Apollod. II, 8, 7.), Phthii Pelasgique frater, parens conditorque gentis Achaeorum (Dion. Halic. I, 17.), huiusque rursus filius Phthius duos habuisse filios, Archandrum et Architelem (Herod. II, 98. qui tamen locus paulo suspectior habetur), qui Argos se contulerint ibique filias duas Danai, Archander Scaeam, Automaten Architeles, in matrimonium duxerint, unde seriori tempore in Laconiam quoque genus ipsorum, gens nimirum Achaia, dicitur esse propagata.

Aliam vero rursus narrationem offert Strabo (VIII, 6. p. 189.): Ἀχαιοὺς γὰρ τοὺς Φθιώτας φασὶ συγκατελθόντας Πέλοπι εἰς τὴν Πελοπόννησον οἰκῆσαι τὴν Λακωνικήν· τοσοῦτον δ' ἀρετῇ διενεγκεῖν, ὥςτε τὴν Πελοπόννησον ἐκ πολλῶν ἤδη χρόνων Ἄργος λεγομένην, τότε Ἀχαϊκὸν Ἄργος λεχθῆναι, καὶ οὐ μόνον γε τὴν Πελοπόννησον, ἀλλὰ καὶ ἰδίως τὴν Λακωνικὴν προςαγορευθῆναι· et alio rursus loco (VIII, 7. p. 219.): οἱ δ' Ἀχαιοὶ Φθιῶται μὲν ἦσαν τὸ γένος, ᾤκησαν δ' ἐν Λακεδαίμονι. [1])

1) Manso in Sparta I, 2. Beilage 2. p. 52. Pausaniae narrationem (VII, 1, 3.) secutus est. Archander vero et Architeles etiam II, 6, 2. apud Pausaniam sunt Achaei filii. Herodotus II, 98. Ἀρχάνδρου πόλιν dicit esse in Aegypto eamque putat appellatam de Archandro, Danai genero, Phthii filio et Achaei nepote. Addit tamen: εἴη δ' ἂν καὶ ἄλλος τις Ἄρχανδρος οὐ μέντοι γε Αἰγύπτιον τὸ οὔνομα. Hinc Manso in Sparta l. c. Herodotum ita interpretatur, quasi Archandrum dixerit in Phthia natum et genus referentem ad Achaeum. Et vituperatur a Mansone Gronovius, quod Ἀρχάνδρου τοῦ Φθίου τοῦ Ἀχαιοῦ interpretatur: filii Phthii, nepotis Achaei; cuius tamen vituperii, quum nec grammaticis regulis, nec antiquorum scriptorum consensu nitatur, nullam invenio caussam. Clavierius autem in Notis ad Apollodorum (I, 7, 12. p. 87.) Herodotum quidem aliter exponit, sed Pausaniam erroris temere arguit, quod ab Herodoti discesserit auctoritate. Constat enim prisca illa ab auctoribus varie tradita esse, et fortasse Phthius iste, ut parum notus, ab aliis praetermissus est. Ionicae nimirum gentis fuisse stirpem Achaeos, non ab Achaeo quodam homine derivandos, fratre illo Ionis, sed hanc narrationem a mythographis effictam esse asserunt

Sed iam haec hactenus, quoniam satis nos docere possunt, quam sit arduum e narrationibus antiquorum

---

Raoul Rochette et Clavierius, ut cognationis inde utriusque gentis quasi fila deducantur. Straboni praeterea narratur colonia Achaeorum e Phthia in Laconiam commigrasse a Pelope ducta VIII. p. 365. b. coll. Athen. XIV, 5. 625. quae coniungenda sunt cum narratione ea, cuius verba apud eundem Strabonem p. 383. deprehendimus. Quapropter mira sane Mansonis interpretandi ratio videri debet, qui Pausaniae et Strabonis narrationes, etiamsi non pro una eademque habeat, tamen non multum, vel plane nihil discriminis inter utramque interesse statuit, magnam autem in recensenda utraque diversitatem, quae revera intercedit, singulasque sententiarum utriusque scriptoris minutias, quibus discrepant, removere atque exstirpare non valet. Danaus ille, cuius generi Archander et Architeles facti sunt, putatur esse posterior (cf. Larcherii Chronolog. Herod. c. 10. §. 4. p. 322. c. 15. Sect. III. §. 3.), quamquam Apollodorus Automaten et Scaeam Danai ex Aegypto advenae filias dicat II, 1, 5. et Clav. Not. sur Apollod. II, 87, ab Eusebio intra annos 1476. et 1426. positi, annis igitur certe trecentis ante Archandrum et Architelem viventis. Quam ob rem Crusius fieri non posse ratus, quin alio modo hae fabulae accurate explicentur, nisi tota Graecarum historiarum chronologia perlustrata atque ad certos ordines redacta fuerit, eas missas facit in Hellad. I. p. 515. Larcherii (Tom. VI. p. 357.) haec est sententia: Je suis très persuadé que le Prince qu' Herodote nomme Danaus et dont l'une des filles épousa Archandre, n'est point celui qui passa d'Egypte à Argos; et l'on ne trouve ni dans le passage de cet historien, ni dans Pausanias, qui raconte la même chose, rien qui puisse le donner a penser. Gattererium quoque huic sententiae favere ex eius synchronisticis historiis facile perspicitur. Praeter hos Manso (in Sparta I. p. 14.) harum rerum accuratam habuit rationem. Nomina filiarum Autonome quoque et Scia efferuntur, prius ab Amasaeo nulla mutationis idonea addita caussa, quum et Apollodorus (II, 1, 5.) *Αὐτομάτην* recenseat, posterius in Cod. Mosq.

Iam ad eum deveni locum, *δηλοῦσι κ. τ. λ.*, cuius quidem ex Goldhagenii medicina facilem extricavit sensum Manso, *καταμείναντες ἥκιστα ἐν τῷδε.* Ihr Aufenthalt zu Argos war jedoch nicht von Dauer, wie schon daraus erhellt, dass Archander den ihm gebornen Sohn Metanastes, oder den Flüchtling, nannte. Indess hatten gleichwohl beide einige Zeit zu Argos und Lakedämon geherrscht, und so bekamen die Einwohner des Landes

scriptorum gentium Hellenicarum historiam ad liquidum suscipere perducendam, quum alter alteri licet non plane

---

den Namen Achäer. Accuratius vero studium in his posuit Siebelisius, cuius viri disquisitionis hic potiora interponam capita. Hunc locum, inquit, duo viri et addendo et detrahendo depravatum putantes corrigendum susceperunt: Goldhagenio enim οὐχ ante ἥκιστα delendum videbatur, ut sensus esset: Dass sie zu Argos nicht lange geblieben, ist auch damit angedeutet worden, dass Archander seinen Sohn Metanastes (den Vertriebenen und Flüchtling) nannte. Hoc apertissime pugnat cum Pausaniae sententia, qui continuo ita pergit: δυνηθέντων δὲ ἔν τε Ἄργει καὶ Λακεδαίμονι τῶν Ἀχαιοῦ παίδων· ergo manserunt ibi. Hic posuit scriptor Argos et Lacedaemonem, antea tantummodo Argos, sed latiore ambitu, qui Lacedaemonem comprehenderet. Alter illorum virorum est Corayus (in quo et Bernhardyi nomine pueriliter sane lusit Robertus Gompfius, Parthenopolitanus, in Sicyoniacorum specimine primo p. 7. Not. 17.), quem tamen simili modo refutavit Siebelisius. Thessalicam vero Achaiam, quam equidem sic vocatam putaverim non a reduce in patriam Achaeo, sed ab eius filiis, vel a gentis Achaicae potius colonis seriori demum tempore e Peloponneso illuc traductis, innuere videtur Homerus Il. II, 65. III, 79. Od. XXI, 107. (qui tamen extremus locus demonstrare possit, vel in Peloponneso Homeri hanc γαῖαν Ἀχαιΐδα fuisse, modo versum sequentem per epexegesin adiectum esse credas) et Herodotus (VII, 132. 137. 197.), qui eam Thessaliae partem, quae antea Hellas propria vocabatur, Achaiam dicit.

Ernestus Helvingius, qui opusculo monographo universam Achaeorum historiam complexus est (Geschichte des Achäischen Bundes nach den Quellen dargestellt, Lemgo, Meyer'sche Hofbuchhandlung, 1829.), sed, quum in praefatione multa de rebus aliis innumeris fabulatus esset, historiam ipsam ita descripsit, quasi omnia iam, quae apud antiquos auctores reperiantur, absoluta essent atque extra dubitationem posita, criticam igitur, quam vocamus, fere omnem aspernatus (quod ipsum demonstrare conatus sum censura huius libri apud Iahnium in Epherid. Suppl. T. I. Fasc. 4. p. 513 — 531.) et hic Pausaniam, illic rursus Polybium vel alium secutus est, priscas illas narrationes diversorum auctorum nihil moratus, Crusii (et, ni fallor, Mansonis quoque in Sparta I. p. 13. 14. coll. II. p. 52. non tamen nominati) auctoritatem omnino sequitur adspersis hic ibi in notulis veterum scriptorum locis, quos interdum ita interpretatus est, ut aptissimum accommodatissimumque visum ipsi fuerit

contraria narret, verum tamen proferat talia, quae vix aut ne vix quidem coniungi inter se possint atque explicari. Sic itaque nostris quoque temporibus quaesitum est, num fuerit Pelasgica et Hellenica gens ab eadem stirpe profecta vel saltem naturali quodam vinculo coniuncta, num Dorienses, Iones, Aeolenses, Achaei Pelasgicae an Hellenicae originis, nihil tamen, quantum equidem sciam, quod ab omni parte absolutum dici atque perfectum possit, hac in re videtur esse probatum, et est sane et manebit semper sub iudice lis. (Cf. Crusii Hellas I, c. 5. p. 393—576.) Nuperrime vero in eodem argumento elaboravit Michael Luninus, Dorpatensis, dissertatione Prolegomena ad res Achaeorum, quibus mythica Argolidis historiae primordia breviter adumbrantur, inscripta 1832, quem valde equidem miratus sum, primum quod praeter unius Bayeri Fastos Achaicos illustratos, alium eorum scriptorum, qui Achaeorum res tractaverunt, librum cognitum habet nullum, deinde quod eiusmodi dissertationi suae imposuit titulum, cui res, quas opere procedente tractavit, vix respondere videantur, scilicet prooemium tantum eius opusculi paragraphis novem prioribus (p. 1—18.) Achaeorum antiquiorem complectitur historiam, ut Polybius, Pausanias, Plutarchus, Strabo referunt.

Quod vero Homeri attinet Achaeorum denominationem, sciendum est, eum eosdem, qui Peloponnesum incoluerint, Achaeos hoc nomine insignire; ibi enim erat Pelopidarum regnum, qui Achaicae genti vulgo adscribuntur, quique praestantissimi Troicis temporibus inter Graecos fuerunt, sicuti Aeolicae originis omnes fere heroes erant, qui una cum Iasone expeditionem in Colchidem fecisse perhibentur. Hinc iam apparet, primam gentem inter Pelasgos, vel post Pelasgorum tempora, quae summam sibi auctoritatem atque potentiam, ne potestatem dicam, inter Deucalionis Hellenisve posteros

---

ad stabiliendas suas opiniones, quorsum statim p. 37. sententia de Pelasgis Hellenibusque pertinet, cui Herodotus, quamquam in partes vocatus, apertissime tamen I, 58. adversatur. Verum huius libri Helvingiani deinceps plura notabimus vitia.

vindicaverit, Aeolicam fuisse circa annum MCCLX a. C., secundam deinde Achaicam MCLXXXIV, tertiam denique Doricam reversis in Peloponnesum Heraclidis Doriensium inprimis auxilio adiutis MCIV, obtrectante tamen atque resistente per totam fere Graecorum historiam Ionum gente.

Achaei, magnum Homericis temporibus nomen, Spartam, Argos et omnem inferiorem Peloponnesum olim incoluerunt. Hinc iam animadvertimus a vate antiquissimo non solum totam Peloponnesum vocitari Ἀχαιΐδα γαῖαν (Od. XXI, 107.), vel Ἄργος Ἀχαϊκὸν (Il. IX, 141. 283.), sed universam quoque Graeciam (Il. I, 254. Od. XI, 165. 480. XIII, 249.), omnesque Graecos mox Danaos (Il. XI, 769.), mox Argivos (Ἀργείους) de nomine principalis tunc Graeciae populi, mox Achaeos (Il. II, 685.), vel Panachaeos (Od. I, 239. Il. II, 404. VIII, 1.), vel Panhellenes et Achaeos (Il. II, 530.). Graeci belli Troiani ab eo vocantur κοῦροι Ἀχαιῶν, filii Achaeorum (Il. II, 562. coll. XI, 816—827.). Ac quaerentibus quidem nobis, unde haec magna Achaeis Troicis temporibus venerit potentia atque auctoritas, Crusius rursus cum Strabone responsum dabunt, prior in Hellade sua I. p. 517. sq. posterior libro octavo c. 6. p. 189. ed. stereotyp. et c. 7. p. 219. Quae quidem Crusii sententia etiamsi absoluta ab omni parte nequaquam dici possit, praesertim quum ad Aegyptiacam quasi quandam refugiat castam, tamen hucusque nulla reperitur alia, quae priscas illas longoque temporis spatio a nobis remotas res accuratius explicet atque interpretetur; neque, quantum mea quidem fert opinio, cuiquam dubium erit, quin, comparata hac Crusii cum Muelleri (in Doriensibus I. p. 10. et 11.) disquisitione, palmam priori attribuat. Muellerus enim de antiquissimis Graeciae incolis pro ratione sua disserens caussam huius sententiae addidit prorsus nullam.

Propinquos si dicimus Achaeos et Iones haec e Graecorum potius consuetudine videmur scribere quam ex historiae auctoritate, quum, ut e prioribus apparet, propinquitas illa non videatur ita demonstrari posse, ut nullus dubitandi remaneat locus. Ac profecto unusquisque, qui

hanc in rem antiquorum scriptorum libros pertractaverit, sine dubio, licet multa contraria nec convenientia sibi reperiat, omnes fere auctores eo deprehendet operam suam conferre, ut ab uno genitore non solum gentem Graecam deducant, verum etiam ut demonstrent propter cognationis illud vinculum singulas eius stirpes fuisse coniunctas. Neque solum de vetustis temporibus haec valent, sed de serioribus etiam quum multae iam conditae essent coloniae, hae et cum urbe matre, uti Gela cum Agrigento, et mater urbs cum coloniis suae coloniae, ut Rhodus cum Agrigento, Corinthus cum Epidamno, et coloniae eiusdem urbis, uti omnes a Milesiis conditae, denique urbes matres et coloniae, quarum incolae eiusdem gentis erant, uti Leontini et Athenienses, mutuo amore inter se devinctae tenebantur. (Cf. Drumanni viri cel. Ideen zur Geschichte des Verfalls Griech. Staaten. P. II. c. 4. p. 507 sq.) Achaeorum igitur propinquitatem cum Ionibus sunt, qui fuisse statuant, quum Achaeos Ionicae gentis quasi stirpem quandam esse dicant, sunt vero etiam, qui prorsus respuant atque reiiciant. Cuius quidem varietatis demonstrandae caussa satis habeo Crusii et Muelleri locis iam supra laudatis auctoritates attulisse.

§. 3.

Aegialus. Aegialea. Aegialenses.

Haec de gentibus hucusque. Iam ad terrae eius descriptionem devenimus, quorsum Iones et postea Achaei iter tetendisse deprehenduntur.

Ac regio quidem illa prisco nomine Aegialo insigniebatur eiusque incolae Aegialenses a rege quodam Sicyonio, ut fama fert, cognominati sunt. Pausanias tamen ipse (VII, 1, 1.) verisimiliorem quodammodo profert terrae populique denominationem, a terrae scilicet ipsius situ petitam, quae ad mare porrecta nomen *αἰγιαλοῦ* videtur habuisse; sicut *ἀκτή*, Argiva ista peninsula, abiit in *Ἀττικήν* et Actaeae rates pro Atticis ratibus apud Ovidium in Heroid. Ep. II, 6. ponuntur. Atqui affirmare profecto ausim, hanc scriptoris quasi coniecturam unice rectam

esse atque veram, praesertim quum idem multis locis Aegialeum regem Sicyonis urbemque ipsam Sicyonem antea Aegialeam dictam fuisse narret. (Cf. II, 5, 5.) Obtinet enim is inter antiquos scriptores mos, ut nomina locorum, interdum epitheta in antiquis carminibus obvia, pro antiquioribus terrarum appellationibus habeant. Aliud quod non minus temere facere videntur est, quod nomina vetustissimà referre solent ad latissimos regionum ac terrarum fines, id quod omni rerum rationi adversatur. Nam inhabitatae fuere terrae primum ab una et altera familia adeoque prima nomina impertita singulis habitationibus, aut vicis, aut agrorum tractibus, nec, nisi serius, post multas rerum hominumque vicissitudines, ad latiores ac remotiores terras sunt tracta aut translata. Ex his facile fieri potest diiudicatio eorum, quae hic et tot aliis in locis memorantur de Aegialea et de tota Peloponneso iam in ipsis hominum originibus communi nomine comprehensa. (Cf. Heyne ad Apollod. II, 1, 1. p. 241.) Tertium quod omnes scriptores, qui fabulas vel mythos tractaverunt, facere videmus est, quod terrae vel incolarum nomina ab uno aliquo homine, quem regem vel principem civitatis ponunt, deducere solent, nunquam tamen vice versa, ut ab incolarum nomine, quod ipsum verisimilius sane fuerit, nomen et ipsum regi inditum esse credant. Quare a diis per heroes genus suum sursum deorsum saepissime computando referendoque deducunt, nec quidquam antiquius fecisse videntur, quam ut e terra vel in terra saltem domestica maiores progenitos demonstrent. Sic enim quia Laconiam Leleges habitasse deprehenduntur, Lelex rex, quia fluvius èrat Eurotas, nepos Lelegis Eurotas, quia urbs et Lacedaemon Homero (Od. IV, 1.) et postea Sparta dicta, alterius nominis gratia Taygetae regis filius Lacedaemon, alterius vero Lacedaemonis eiusdem uxor Sparta ibi vixisse atque regnasse perhibentur (Paus. III, 1. sqq. Apollod. III, 10, 3. Schol. in Eurip. Orest. v. 626. Manso Sparta I. p. 8. sqq.). Idem nomen saepius occurrit, ut iam illud Aegiali vidimus, sic etiam Lelegis (Paus. I, 39. extr. et c. 44, 5.).

Pausanias (II, 5, 5.) Sicyonios (*Κορινθίοις ὁμόρους*) regem habuisse tradit aboriginem (*αὐτόχθονα*) Aegialeum ab eoque cognominatam esse non solum regionem illam Peloponnesi septentrionalem Aegialum, verum etiam urbem conditam Aegialeam. Sed Istro apud Stephanum (v. *Αἰγιαλός*) Aegialeus non Autochthon, sed Inachi filius dicitur. Idem refert Apollodorus (II, 1.), qui addit, de Aegialeo totum Argos appellatum esse *Αἰγιάλειαν*. (Cf. Steph. Byz. v. *Ἄργος*.) Herodotus rursus auctor est (V, 68.), unam tantum Sicyoniorum tribum *Αἰγιαλέας* de Aegialeo, Adrasti filio, nominatam esse. Eundemque Adrasti filium, Aegialeum, commemorat Pausanias (I, 43, 1. cf. Siebel. ad Paus. VII, 1, 1.).

Quod vero urbis nomen attinet, Aegialea pro Aegiale rectius videtur, licet Pausanias eandem urbem, quae postea Sicyon dicta est, Aegialen nominet, quod posterius nomen apud Strabonem nusquam occurrit, sed constanter Aegialea scribitur. (Cf. Strab. VIII, 7. p. 218. Siebel. ad Paus. I. p. 178. ad II, 6, 2.) Pro *Αἰγιάλης* fortasse scribendum fuit ibi *Αἰγιαλείας*, quum hoc non tantum 5, 5. legatur, sed ibi etiam Facius testetur, idem hoc nostro loco in Vindobonensi reperiri. Strabo (VIII, 382. sq.) refert, regionem quidem *Αἰγιάλειαν*, urbem autem Sicyonem *Αἰγιαλοὺς* antea appellatam esse. Pausanias autem videtur communi nomine et regionem et urbem *Αἰγιάλειαν* vocasse, quamquam regionem etiam *Αἰγιαλὸν* nominat 5, 5. Spanhemius ad Callim. H. in Del. 37. *Αἰγιάλην* et *Αἰγιάλειαν* pro duabus diversis urbibus perperam habuit. Defenditur quidem forma *Αἰγιάλη* et Eusebio, qui urbem appellat Aegialam (Chron. I. p. 253. vers. Armen.) et magis etiam Stephano Byz. (s. v. *Ἀμοργός*) et simillimae originis vocabulis *Εὐρυάλη* (Hes. Theog. 276.) et *Ἀμφιάλη* (Strab. IX. p. 395.) et *Ἀγχιάλη* (Steph. s. v. *Ἀγχιάλεια*, Dion. Perieg. 875. *Ἀγχιαλός* Arrian. ap. Berkel. ad Steph.). Verum utrum Graece dici possit *Αἰγιάλη*, necne, sermo omnino non est, sed de usu loquendi scriptoris certi cuiusdam. Quaeritur enim, num Pausanias aliquo loco Sicyonem dixerit Aegialen? et dixit profec to II, 6, 3. singulari

loco, qui mea quidem sententia ex reliquis, quum ex Sylburgii observatione (ad Paus. p. 722, 21.) idem scriptor urbem semper *Αἰγιάλειαν* appellet, emendandus est. [1])

Aegialos autem ea dicta est terra, quae postea Achaia, auctore Pausania (VII, 1, 1.), sic et Etymol. M. p. 28. et Stephanus B. v. *Αἰγιαλός*. Strabo (VIII, 7. p. 218.) Aegialeam postea ab Ionibus Ioniam dictam, deinceps ab Achaeis occupatam esse narrat, qui *οὕτω δ' ἴσχυσαν, ὥςτε τὴν ἄλλην Πελοποννησον ἐχόντων τῶν Ἡρακλειδῶν, ὧν ἀπέστησαν, ἀντεῖχον ὅμως πρὸς ἅπαντας, Ἀχαΐαν ὀνομάσαντες τὴν χώραν*, quod aliorum quoque auctorum traditionibus confirmatum ipsaque Graecorum historia probatum est. (Cf. Phavorin. et Schol. Venet. ad Hom. Il. II, 575.) Apud Homerum tamen, quae est Siebelisii animadversio, Il. II, 575. *Αἰγιαλὸς πᾶς* videtur pars tantum regionis esse Achaiae postea appellatae, quum Sicyonem, Pellenen, Aegium, Helicen separatim commemoraverit; quas ille urbes ut *Αἰγιαλὸν πάντα* dicit paruisse Agamemnoni. [2])

1) Accuratius tamen de hac urbis terraeque denominatione egerunt Erhardus Hagenius, collega meus, in Sicyoniorum P. I. p. 6. 7. in Programmate Collegii Fridericiani edito Regimontii Pruss. 1831, et Robertus Gompfius in Sicyoniacorum Specim. I. p. 54 — 57, Berolini edito 1832, quem posteriorem etsi accurate in argumento tractando progressum, temperare equidem mihi non possum, quin tanta arrogantia statim in praefatione paene abusum arguam, ut quae hac aetate, inprimis homines novos, prorsus dedeceat. Praeterea Gompfium miratus sum, cur Hagenii opusculum quavis occasione vel oblata vel etiam sedulo arrepta vituperandum potius, quam qua par erat doctrina atque humanitate emendandum susceperit; in iis vero rebus, quae luculentissimum Hagenii diligentiae documentum exhibeant, hunc auctorem silentio praetermiserit, tanquam veritus, ne laudando diligentiae ac doctrinae suae aliquantulum famae gloriaeque detraheret.

2) *Αἰγιαλός* Siebelisio (ad Paus. II, 34, 9.) recte videtur litus planum seu depressum ac sinuatum esse, *ἀκτή* autem altius et in mare longius procedens, ita ut peninsulae formam habeat. Cf. Hemsterh. ad Lennep. Etymol. Theocrit. XXII, 32. Apollon. Rhod. II, 364. Similem subtilem distinctionem inter *ἀκτῖνα*,

Sed neque Iliadis scholia hoc discrimen agnoscere videntur ad Il. II, 575: *Αἰγιαλόν· οὕτως ἐκαλεῖτο ἡ παραθαλάσσια χώρα ἤτοι πλευρὰ τῆς Πελοποννήσου ἡ παρατείνουσα ἀπὸ Σικυῶνος μέχρι Ἤλιδος κ. τ. λ.* neque Eustathius ad h. l. *πλατὺς δέ τις ὁ Αἰγιαλὸς οὕτως* (leg. *οὗτος*) *ἔοικεν εἶναι καὶ εὐρύχωρος καὶ διήκων ἐπὶ πολύ· ἐλέγετο δέ φασιν Αἰγιαλὸς καὶ ἡ παραθαλάσσια πλευρὰ Πελοποννήσου ἡ παρατείνουσα ἐκ Σικυῶνος ἕως Ἤλιδος.* Apollodorus (II, 1, 1.) quoque Aegialeam ab Aegialo, Inachi filio, illius regionis rege, nomen accepisse tradit, eandemque Aegialeam suo tempore Achaiam dictam asseverat Etymol. M. 28, 15. iisdemque verbis Hesychius s. v.

At nec Sicyon urbs, nec Sicyonia, vel ager Sicyonius (cf. Siebel. ad Paus. II, 7, 7. 8. c. 6, 5.) neque Achaia solum dicebatur Aegialea, verum omnis etiam Peloponnesus, cuius rei testis est Etymologus M. haud spernendus p. 122, 11: *Ἀπία ἐξ ἀπίης γαίης· ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου· τὸ γὰρ παλαιὸν ἐκαλεῖτο Αἰγιάλεια, ἀπὸ Αἰγιαλέως, τοῦ υἱοῦ Ἰνάχου τοῦ ἐν Ἄργει ποταμοῦ καὶ Μελείης τῆς Ὠκεανοῦ· ὕστερον δὲ πάλιν Ἀπία ἐκλήθη.* Schol. Iliad. I, 22. p. 4. 5: *ἰστέον δὲ ὅτι ἡ Πελοπόννησος τὸ ἀρχαῖον Αἰγιάλεια ἐκαλεῖτο ἀπὸ Αἰγιαλέως.* Idem narrat Syncellus (T. I. p. 181. Bonn.) *Αἰγιάλεια ἡ νῦν Πελοπόννησος.* Concessit his Godofredus Hermannus (Opp. T. II. p. 203.) quum ex Apollodori auctoritate, aliquatenus antehac obscurata, *Αἰγιαλέα* nomen reliquisse Peloponneso *Αἰγιάλειαν* traderet. Merito igitur Carolus Fridericus Hermannus a Gompfio (l. c. p. 57.) exploditur, qui in Peloponnesum falso translatum illud nomen autumat in Antiquit. Graec. nuper editis p. 38, 2. Paulatim enim

---

ῥηγμῖνα, θῖνα, quae sint species *αἰγιαλῶν*, vide apud Etym. M. 651, 35. (Hagen. l. c.) Neque abhorret ab hac Siebelisii explicatione *τοῦ αἰγιαλοῦ* Muelleri Achaiae brevis descriptio in Doriensib. I, p. 72: »Das spätere Achaja ist nur der schmale *Küstenstrich längs der Abdachung des nördlichen Bergzugs* von Arkadien. Die meisten Städte des Landes liegen daher auf Hügeln über dem Meer, wenige in eingeschlossenen Thälern.«

nomen Aegialea ab regione totius Peloponnesi principe ad totam peninsulam translatum quondam fuisse videtur; quemadmodum, secundum Fallmerayeri explicationem (Hist. Moreae I. p. 243. sqq.), recentis temporis nomen Morea, quod proprium erat litori Elidis et Messeniae, et eandem significationem tenet, pari modo evagatum est.

Diversis igitur temporibus Aegiali fines diversi fuerunt. Pertinebat enim eo, quod ex diversorum nominum ambitu concludere licet, vetustissimo aevo non solum tota seriori tempore dicta Peloponnesus, sed Megaris quoque marisque Alcyonii ora universa cum Plataeis, Cithaerone adiacentibusque Boeotiae regionibus. Sic enim ut statuam atque Gompfii (l. c. p. 5.) verba transponam, hoc ambitu, exceptis tamen Peloponnesi quinque maioribus provinciis, Elide, Arcadia, Argolide, Laconia, Messenia, Sicyoniae agrum comprehendentis, non solum auctorum veterum supra positae sententiae, sed ipsa rei probabilitas cogunt. Mox vero seiunctis Peloponnesi terris meridionalibus ab illo Aegiali complexu, quum earum quaeque proprium suum nomen regnumque adepta esset, mansit tamen septentrionali peninsulae regioni Aegiali vel Aegialeae nomen, donec statim post Ionum Achaeorumque antiquissimas migrationes, non solum Megaride et Boeotiae meridionali parte, praesertim quum ipsa iam terrae natura tale vinculum respuat, a Sicyoniorum imperio liberata, sed Corintho etiam in libertatem restituta, Sicyon et ipsa Argivorum, Adrasti aetate, ditionis facta esset. [3]) Ex eo inde tempore

3) Ad summum quidem nostra cum Gompfii sententia congruit, atque in eo tantum in diversas partes abiisse videmur, quod ille de regno Sicyonio scribit eique non solum Achaiam totam, sive potiorem saltem eius partem, sed Corinthiam quoque et reliquas iam supra a me nominatas regiones attribuit, ab eoque ambitu longe lateque patente haud sane abhorrere nomen celebritatemque Sicyonis antiquissimam et maxime nobilitatam putat; ego vero nec regnum Sicyoniacum, licet Muellerus, vir summus, in Orchom. p. 236. adversetur, sed Aegialense, cuius urbs principalis Aegialea fuit, postea Sicyon dicta, agnoscere, quum

ea tantum regio, quae ab oriente a Sicyoniorum terra sinuque Corinthiaco, qui idem septentrionales eius oras alluit, ab occidente a mari Ionio et Elide, a meridionali denique parte ab Elide, Arcadia et Argolide circumcluditur, prisco illo nomine Aegialo nuncupabatur. Ultimis vero temporibus, quum Achaiae nomen totam Graeciam comprehenderet, vice versa Helladis nomen Achaiae soli impositum est, et multis Hellas, Sicyon, Peloponnesus idem valebant (cf. Hagen l. c. p. 11. Grotefend s. v. Achaia in Allgem. Encyclop. ed. Ersch et Gruber T. I. p. 281. sq.).

Incolas huius terrae priscis temporibus Aegialea vel Aegialus dictae vocatos esse *Αἰγιαλεῖς* quamquam Pausanias auctor est, tamen Raoul Rochette (in Histoire de l'Etabl. d. colon. Gr. T. II. p. 83.) mutari voluit in *Αἰγιεῖς*, nomine ab una earum regionum urbe ad totam oram maritimam eiusque habitatores perperam translato, nec minus omnibus, quos supra laudavi, scriptoribus repugnantibus, sed Pausania etiam (II, 5, 5.) disertissime asseverante, totam Achaiam et simul Sicyoniam Aegiali nomine olim comprehensam esse. Qui Aegialenses, quum Pelasgicae gentis propago fuisse videantur, vocati sunt *Πελασγοὶ Αἰγιαλέες* teste Herodoto (VII, 94.), modo ne hunc locum ita interpretemur, quasi Iones earum regionum incolae

---

eiusmodi regni nusquam mentio facta sit, nec contra Pausaniae (II, 5, 5.) reliquorumque scriptorum auctoritatem pugnare possum, constanter asseverantium, Aegialum regem illarum regionum vetustissimum et urbi et terrae Aegiali vel Aegialeae nomen in sui memoriam imposuisse. Hinc itaque patet agros illos singulos possessionesque supra dictas non quidem ad urbem singularem, sed ad terrae potius ampliorem ambitum referendos esse. Muellerus l. c. Polybum Sicyonis regem vocat, at erat Corinthi rex (cf. Apollod. III, 5, 7. cum Not. Heynii T. III. p. 597. sq. Diod. Sic. IV, 64. sq. coll. Soph. Oed. R. 775. Hygin. Fab. 66.). Corinthus igitur illo certe tempore non videtur in Sicyoniorum ditione fuisse. Occupaverat autem idem Polybus agrum Sicyonium (Herod. V, 67.). Hoc igitur certe loco Muelleri regnum Sicyoniacum stabiliri non potest.

ante Danai et Xuthi adventum dicti sint Pelasgi Aegialenses, neve in eundem errorem delabamur, in quem Siebelisius, vir ceterum sagacissimus, deduci se passus est et nuperrime Luninus (l. c. p. 35. Not. 1.) Siebelisii sine dubio auctoritatem secutus, qui scribit: «In Patrarum regione vestigia cultus Cereris Pelasgicae apparent et Iones, quamdiu Achaiam in Peloponneso tenuerunt, Pelasgi Aegialenses dicebantur.» Omnis enim Peloponnesus olim Pelasgia vocata est, sed quoniam hi maritimam sinus Corinthiaci oram tenuerunt, propterea iis cognomen *Αἰγιαλεῖς* addebatur (cf. Spanh. ad Callim. H. in Del. v. 73. et Buher. Diss. Herod. c. 9. p. 92.). Loci Herodotei sensus is est: Iones in exercitu Xerxis aderant, Achaiae olim in Peloponneso incolae, qui incolae in universum vocabantur Pelasgi Aegialenses ad Ionis usque aetatem, deinde Iones. Post Ionis enim adventum incolarum nomen eatenus est mutatum, ut Ionibus Aegialensium insuper cognomen adderetur, quod ipsum Pausanias disertis verbis (VII, 1, 2.) affirmat, terrae autem pristinum nomen etiam post illa tempora videtur in usu esse retentum: *τοῦτο οὐ μεταβολὴ τοῦ ὀνόματος, προςϑήκη δὲ σφισιν ἐγένετο· Αἰγιαλεῖς γὰρ ἐκαλοῦντο Ἴωνες· τῇ χώρᾳ δ᾽ ἔτι καὶ μᾶλλον διέμεινεν ὄνομα τὸ ἐξ ἀρχῆς·* quamobrem etiam Homerus (Il. II, 575.) terram Aegiali antiquo nomine designat: *Αἰγιαλόν τ᾽ ἀνὰ πάντα καὶ ἀμφ᾽ Ἑλίκην εὐρεῖαν.* Cognomen igitur *Αἰγιαλεῖς* et Pelasgis et postea Ionibus additum cognoscimus (cf. Siebel. ad Paus. p. 102.).

§. 4.

Reges Aegialeae antiquissimi.

Sicyonii cum septentrionalis peninsulae orae incolis coniuncti haec de originibus suis commemorant: exstitisse primum in ea regione Aegialeum indigenam atque eo regnante eam Peloponnesi partem, quae Aegialus seriori etiam tempore nuncupabatur, nomen sumsisse, atque illum quidem plano loco oppidum, cui Aegialea nomen, condidisse; fuisse vero ibi arcem, quo loco eis Pausaniae aetate

Minervae templum erat. Haec est Sicyoniorum propria fabula, quam Pausanias (II, 5, 5.) refert et ipse τὰ ἐς Σικυωνίους (VIII, 52, 2.), τὴν Σικυωνίαν συγγραφὴν (III, 10, 6. IX, 5, 2.) et τοὺς Σικυωνίους λόγους (IV, 29, 1.) appellat. Graecia vero fabularum ferax hac peculiari narratione nequaquam contenta aliam quoque commenta est, quae, quum latiorem habeat ambitum, non terrae cuidam sed incolis antiquissimis videtur esse adscribenda, quare alteram illam non Argolicam sed Pelasgicam potius nominaverim. Quae quidem Inachi genus confingendum suscipiens huic regi, sine dubio deorum generi tertio priori, Oceani videlicet et Tethyos filio, duos attribuit filios, Phoroneum maiorem eamque ob rem patris in regno longe lateque patente successorem, huiusque fratrem natu minorem Aegialeum (Apollod. II, 1, 1.). Commodissimum igitur videbatur, ut, quum duplex exsisteret Aegialeus indeque fabulae difficultas quaedam oriretur, ille Sicyoniae stirpis auctor antiquissimus et αὐτόχθων Phoroneo frater adderetur. Hinc autem maior nascitur difficultas; nam Phoroneus paternum regnum adeptus est, nec videtur ἁπάσης τῆς ὕστερον Πελοποννήσου προςαγορευθείσης δυναστείων fratri vel minimam tanti regni partem separatim moderandam gubernandamque concessisse. Unde Aegiali nomen quum silentio quasi quodam suppressum videatur, Phoronei contra nomen celeberrimum cum in fabulis, tum in historiis et chronographiis est; nam ab eo ultima temporum computatio procedebat, quum in eadem fere tempora incideret Attica epocha, quam ad Ogygem revocabant. Acusilaus a Phoroneo ad Olympiadem primam annos MXX computaverat (v. Iul. African. ap. Euseb. Praep. Ev. X, 10. p. 488. extr.). Eidem primus humanitatis cultus tanquam auctori tribuebatur ab Argivis; nam primus dispersos ante homines et seorsum habitantes in unius civitatis ius compulit, et ab eo oppidum illud, quo congregati sunt, Phoronicum est nuncupatum (Paus. II, 15, 5. Tatian. adv. Gent. 60. et hinc Euseb.). Nobilitavit quoque nomen carmen epicum antiquissimum, Φορωνίς, ignoto auctore (cf. Schol.

Apollon. I, 1129. Clem. Strom. I. p. 380. Pott. Heyn. ad Apollod. II, 1, 1.).[1])

Aegialeus Sicyonius Europem habuit filium, hic Telchinem, isque rursus Apim, cuius ante Pelopis in Olympiam adventum eo usque opes creverunt, ut ea tota regio, quae intra Isthmum est, ab eo fuerit Apia nuncupata (Paus. II, 5, 5.). Apollodori (II, 1, 1.) autem Aegialeus sine prole moritur. Ne tamen eius plane interiret memoria, ex eius nomine peninsula nomen suum traxit, commutata enim est Pelasgia in Aegialeam. Phoronei vero filius Apis paternum suscepit regnum, quod tyrannorum more administravit, Aegialeamque de suo nomine Apiam nuncupari voluit. Qui quum liberis careret severitatemque nimiam exerceret, interfectus esse dicitur a Telxione et Telchine, Apis vel Apidis Sicyonii filio; quo facto Sicyon cum Aegialea proprie dicta ab Argivorum tyrannide, quae ad Argum devenit, liberata est. Eusebius vero (Chron. II. p. 274.) Apim, quum fratrem Aegialeum regem praefecisset Achaiae, cum populo in Aegyptum profectum esse affirmat (cf. Syncell. Chron. p. 118. Epiphn. ctr. haeres. I. p. 5. Etym. M. s. v. *Ζευξιδία.* Augustin. de civ. dei XVIII, 5.); hinc Aristippus (Arcad. I. ap. Clem. Alex. Strom. I. p. 322.) Apim, Argorum regem, Memphim aedificasse contendit.

Iam Telxionem videntur in regenda civitate secuti esse reges, quos Pausanias (II, 5, 6. sq.) recenset, ad Selinuntis usque aetatem, qui, utpote Neptuni filius (Paus. VII, 1. Steph. B. v. *Ἑλίκη* et qui ibi citatur Eustathius ad Il. II, 575.), *αἰγιαλοῦ* regnum, a Sicyoniaco seiunctum, facili potuit obtinere negotio.[2]) Quo regnante Ion infesto

1) Pausaniae Argorum reges a Phoroneo ad Danaum usque cum Castoris et Hygini contulit Marshamus in Canone Chron. p. 84., sed eorum nomina magnam partem ignota fuere Homero.

2) Tres primos Sicyoniae reges, Aegialeum, Europem, Telchinem habent etiam Clem. Alex. (Strom. I, 321.) et Eusebius in Chronico; primum et secundum Augustinus de civ. dei 18, 2. Reliqui Sicyoniorum reges recensentur hac serie ap. Euseb.: Epopeus,

exercitu hanc terram dicitur aggressus esse, a Selinunte autem Helice filia in matrimonium data acceptaque in amicitiam vocatus rex et ipse mortuo socero regionem illam imperio obtinuisse, urbem Helicen in uxoris suae honorem condidisse, incolasque a sui nominis similitudine Iones cognominasse, qui usque ad Heraclidarum tempora summum in Ionia vel Aegialea obtinuerint imperium. Vicis duodecim, qui temporis successu ad nonaginta aucti videntur (Strab. VIII, 7. p. 224.), conditis Iones hanc regionem habitarunt sub regibus post Ionem sine prole mortuum ex Achaei familia. Post Archandrum enim et Architelem Pelops eiusque posteri hanc quoque terram cum maxima Peloponnesi parte videntur obtinuisse, et quidem Agamemnon belli Troiani aevo, ut ex Homeri navium catalogo coniici posse videatur (v. 569—580.).

§. 5.

Ionia.

Quum autem Herculis posteri[1]) cum Doriensibus coniuncti in Peloponnesum revertissent atque in meridionales peninsulae partes, Messeniam dico et Laconiam, impres-

---

Laomedon, Sicyon, Polybus, Inachus, Phestus, Adrastus, Polyphides, Pelasgus, Zeuxippus (Paus. II, 5 et 6.).

1) Hercules enim quum frustra tentasset regnum paternum, quod Amphitruo propter Alectryonis caedem (Paus. IX, 11, 1.), quam invitus Tirynthe patraverat, profugus reliquit, recuperare, eiusque filius Hyllus (Paus. I, 35, 6. IV, 30, 1.) contra Echemum, Tegeatarum regem, in certamine singulari cecidisset (Paus. I, 41, 3. 44, 14. VIII, 5 et 45. Diod. Sic. IV, 58.), atque huius filius, Cleodaeus (Paus. III, 15, 7.), eiusque rursus filius Aristomachus (Paus. II, 7, 7: de omnibus Herod. VI, 52. Heyn. ad Apollod. p. 505. sq.) infelici conatui suo occubuissent, contigit denique, ut Aristomachi filii, Temenus, Cresphontes, Aristodemus (Paus. II, 18, 6. coll. Strab. VIII, 6. p. 188. sq.), atque ex Aristodemo filii Eurysthenes et Procles, quum pater caesus esset (Paus. III, 1, 5.), sedes paternas occuparent. Hinc igitur omnes, qui cum Herculis posteris una expeditionem in Peloponnesum fecerant, dicti sunt Heraclidae, nomine, uti fieri solet, a ducibus petito.

sionem fecissent, Achaei, penes quos summa tum inter Graecos illarum regionum erant potentia atque auctoritas, e sedibus suis pulsi in terram eam se contulerunt, quam Iones obtinebant, primum petituri quidem a propinquis, ut sibi liceret receptis iisdem cum illis legibus atque iure uti, deinde autem, quum ab Ionibus repudiatae essent receptionis conditiones, armis sibi postulata vindicaturi. Erat eo tempore rex duxque Achaeorum Tisamenus, Orestis filius, qui in pugna contra Iones cecidit. Neque tamen impedivit regis ista calamitas, quominus Achaei victores e proelio evaderent urbeque Helice, quo Iones post cladem sibi illatam confugerant, expugnata summarum rerum potirentur (cf. Paus. V, 1, 1.). [2])

Iones vero quum essent vel ex pacis conditionibus et propter amicitiam paternam, quae ipsis cum Achaeis intercedebat, liberi dimissi, vel coorto dissidio ab Achaeis tota regione exterminati, in Atticam se contulerunt, ubi a rege Melantho sive ob gratiam Ioni debitam amicitiamque, sive ut coniunctis uterque populus viribus fortius resisteret Doriensibus, recepti sunt (Paus. VII, 1. coll. I, 3, 2. VII, 2, 2. II, 18, 7. Strab. VII. p. 219.). Paucis deinde annis post Iones ex Attica duce Neleo, Codri filio, in Asiam commigrarunt, ibique duodecim urbes ad

---

2) Iones illo aevo inde a finibus Corinthi occiduum litus Peloponnesi tenebant; Sicyon igitur cum agro suo ad Ionum possessiones pertinebat (cf. Mueller. Orchom. p. 236.), quamquam Strabo (VIII, 2. p. 141.) et Ptolemaeus (III, 16.), sine dubio suae aetatis fines respicientes, Sicyoniam ab Achaia vel Ionia diversam fuisse testantur (cf. Strab. VIII, 7. p. 222). — Ossa autem Tisameni seriori deinde tempore Lacedaemonem sunt deportata oraculi edicto atque circa eius sepulcrum Phiditia Lacedaemoniorum instituta (Paus. VII, 1, 4. Plut. vit. Lycurg. 12. Ages. 20. Athen. Deipn. IV, 6. p. 183.). Quae res quum ad bona oraculorum iussu instituta proprie pertineat saepiusque sit iterata exemplis indigere uberioribus non videtur (cf. Lyc. ctr. Leocr. p. 135. Dinarch. ctr. Demosth. p. 47. Plut. in Solon. c. 9. Paus. VI, 23.). — Helicen confugisse Iones affirmant Paus. VII, 1, 3. Strab. VIII, 7. p. 222. Herod. I, 145.

vicorum similitudinem, quos in Peloponneso incoluerant, condiderunt (Strab. VIII, 7. p. 219. Herod. I, 145.).

Vici vero illi duodecim Ionum (Strab. VIII, 7. p. 223: *οἱ μὲν οὖν Ἴωνες κωμηδὸν ᾤκουν·* sed ex Pausaniae narratione VII, 6, 1. apparet, iam ab Ionibus urbes esse conditas, quas Strabo l. c. ad Achaeos refert: *οἱ δ' Ἀχαιοὶ πόλεις ἔκτισαν·*) coniuncti erant sacro, quod fiebat Neptuno Heliconio ad urbem Helicen iam ab Ione, uti narratum accepimus, conditam; neque solum Ionibus in Peloponneso, sed etiam in Asia minore, atque Achaeis, sanctissimus mansit cultus ille Neptuni (Hom. Il. VIII, 203. XX, 403. Paus. VII, 24, 4.) propterea quod regiones illae proxime mari adiacentes saepius potuerint mari exundante aqua superstrui, quod malum averruncare posse Neptunus, utpote marium deus aquarumque, credebatur. Nullo tamen praeterea vinculo coniunctae fuisse videntur urbes illae duodecim suum quaeque imperium nacta, quod ipsum duodecim pagorum Atticorum historia comprobari possit (Paus. VIII, 2, 1.). Quibus de rebus quoniam scriptores silent et Heraclidis in Peloponnesum reversis omnis illa civitatum pristina forma in novam eamque priori plane dissimilem videtur esse commutata (Thuc. I, 2.), iam nos quoque etsi inviti coniecturis supersedere cogemur.

§. 6.

Achaia.

Achaei terra, quam ex eorum nomine Achaiam nuncupatam esse constat, universa potiti, urbes vel condiderunt, vel conditas iam occuparunt, quarum quaeque septem vel octo vicos (*δήμους*) complexa est (Strab. VIII, 3. p. 143. et VIII, 7. p. 224., ubi *ἑπτὰ καὶ ὀκτὼ* corrigendum est, ut fiat *ἑπτὰ ἢ ὀκτώ·* illarum vero *χωρῶν*, ut Homerus eas vocat, quum urbes (*πόλεις*) fuisse non videantur, quaeque plura *συστήματα δήμων* non solum in Achaia, sed per totam Peloponnesum simili ratione singula oppida, complexae sunt, et quidem Aegium septem aut octo, Patrae septem, Dyme octo, Strab. l. c. Paus. VII, 25. Diod. Sic. XV, 48.), *τοσοῦτον εὐανδρεῖν τὴν χώραν συνέβαινε;*

principe inter omnes post Helices interitum urbe Aegio admodum aucta.

Nomina harum urbium recensent Herodotus (I, 145.), Polybius (II, 41.), Strabo (VIII, 7. p. 222.), Pausanias (VII, 6, 1. cf. c. 25, 5.). Sed quomodo quum in nominibus tum in ordine harum XII urbium hi scriptores discrepent, haec eorum comparatio docebit; inter Herodotum et Strabonem summa est consensio, sed ab iis discessit Polybius, et rursus aeque ab illis atque ab hoc Pausanias (cf. Siebel. ad Paus. VII, 6, 1.). Ordo igitur et nomina sunt:

1) apud Herodotum et Strabonem:	2) apud Polybium:	3) apud Pausaniam:
Πελλήνη	*Πάτραι*	*Δύμη*
Αἴγειρα	*Δύμη*	*Ὤλενος*
Αἶγαι	*Φαραί*	*Φαραί*
Βοῦρα	*Τριταία*	*Τριταία*
Ἑλίκη	*Λεόντιον*	*Ῥύπες*
Αἴγιον	*Αἴγειρα*	*Αἴγιον (Ἐάσιον)*
Ῥύπες	*Πελλήνη*	*Κερύνεια*
Πατρέες (Πατρεῖς)	*Αἴγιον*	*Βοῦρα*
Φαρέες (Φαρεῖς)	*Βοῦρα*	*Ἑλίκη*
Ὤλενος	*Κερύνεια*	*Αἰγαί*
Δύμη	*Ὤλενος*	*Αἴγειρα*
Τριταιέες (Τριταιεῖς)	*Ἑλίκη*	*Πελλήνη.*

Leontium igitur solus habet Polybius, Ceryneam omiserunt Herodotus et Strabo, Rhypes et Aegas Polybius, et Patras Pausanias. Pro nomine Rhipes iam e Pausania ipso (VII, 18 et 23.), ex Herodoto, Strabone, Stephano a se emendatum Rhypes affirmat Facius. *Ἐάσιον* deinde, quod Pausanias solus protulit, non agnosci a reliquis scriptoribus iam supra vidimus. Et magna sane est codicum in hoc nomine diversitas, aliis *Θάσιον*, aliis rursus *Ἀλάσιον* exhibentibus. Sed quum tres scriptores iique fide non indigni, Herodotus, Polybius, Strabo et Pausanias ipse (VII, 7 et 24.) exhibeant Aegium, hoc Sylburgius contra Amasaeum *Θάσιον* illud coniicientem recte reposuit. Ceraunium autem vel Cecyrinam Schweighaeu-

serus emendatione mutavit in Κερύνειαν; sic etiam a Pausania (VII, 25, 4.) nomen hoc scribitur et emendatur a Wesselingio ad Diod. T. II. p. 40. n. 62. Haec civitas ex posterioris memoria temporis irrepsit in catalogum Pausaniae. Nam quum haec duodecim nomina sint, tamen non multo post Pausanias etiam Patras adscripsit, ut sint tredecim civitates, invito et repugnante ipso Pausania. Cerynea igitur loco mota, repositis Patris, emendato Easio, ut sit Aegium, Herodotus et Pausanias in nominibus concordant. Aegas et Rhypes cur praetermiserit Polybius, Strabo declarat (VIII, 7. p. 223.): οἱ Ἀχαιοὶ πόλεις ἔκτισαν, ὧν εἴς τινας ὕστερον συνῴκισαν καὶ ἐκ τῶν ἄλλων μερίδων ἐνίας, καθάπερ τὰς Αἴγας εἰς Αἴγειραν, Αἰγαῖοι δ' ἐλέγοντο οἱ ἐνοικοῦντες, Ὤλενον δὲ εἰς Δύμην, et p. 225. pergit: τῶν δὲ λοιπῶν πόλεων τῶν Ἀχαϊκῶν εἴτε μερίδων, Ῥύπες μὲν οὐκ οἰκοῦνται· τὴν δὲ χώραν Ῥυπίδα καλουμένην ἔσχον Αἰγιεῖς καὶ Φαρεῖς. Et Pausanias quoque tantum ruinas Rhyparum sua aetate exstitisse ait. Crotona a Myscello condita est Ol. XVII, 3, quo Syracusae, i. e. DCCX. a. C., quod satis vetus est tempus florentissimae urbis. Interierunt deinde ex harum urbium numero circa Ol. 101, 4 = 373 a. C. Helice (Strab. VIII, 7. p. 221.), quum Asteus Athenis esset Archon (Diod. XV, 48. Mar. Par. N. 72. Paus. IX, 1, 3. VII, 24, 5. et 25, 2. Demosth. Timoth. p. 1190. 1192. 1202. Neaer. p. 1357. Ἀριστaῖος ap. Aristot. Meteor. I, 6. p. 585. E. Clinton. Fast. Hellen. p. 110 et 191.), atque agri Helicenses seriori tempore colebantur ab Aegiensibus; et Olenus paulo ante pugnam Leuctricam; utraque a mari hausta, et Bura terrae motu concussa ac diruta (cf. Tacit. Ann. IV, 13.). Iam Spanhemius (ad Callim. H. in Del. 101. p. 465.) adnotavit, Pausaniam non eodem terrae motus genere, ut Amasaeus vult, sed eodem tempore utrique illi urbi id contigisse narrare, ut ambae delerentur. Strabo ita distinguit: Βοῦρα δὲ καὶ Ἑλίκη, ἡ μὲν (Bura) ὑπὸ χάσματος, ἡ δ' (Helice) ὑπὸ κύματος ἠφανίσθη. Alii scribunt utramque aquis submersam esse; de qua diversitate cf. Wessel. ad Diod. Sic. XV, 48. Bura tamen restituta denuo a civi-

bus, quorum haud pauci, quum patria urbs ea clade exstingueretur, peregre abfuerunt (Paus. VII, 25.), a Demetrio Poliorcete est expugnata (Diod. Sic. XV, 48.). Hinc Polybius quoque illustratur, qui II, 41. affirmat, in suam usque aetatem durasse in Achaia urbem Buram deletis Oleno et Helice; Bura enim antiquior distinguenda est a recentiore (Strab. VIII, 386. Paus. VII, 15, 5. ib. Siebel.). Aquis mersam esse Buram Pausanias certe non videtur innuere, qui de Oleni interitu nihil videtur compertum habuisse, nisi illud ex vocabulis ποτὲ (VII, 18, 1.) πόλις coniicias. Oleni ruinas novit quidem, verum non dicit ruinarum caussam (VII, 22, 1.).

Heliceen autem, antequam terrae motu a mari hausta esset, principem fuisse inter Achaiae urbes ibique conventus habitos in luco Aenario, de quibus infra accuratius disputabimus, auctores sunt Strabo (VIII, 7. p. 224.) et Pausanias (VII, 7, 1. et c. 24.).

§. 7.

Tisameni successores. Foedus primum.

A Tisameno, Orestis filio, quo duce Achaeorum gens Ioniae, postea Achaia dictae, loca obtinuit, penes reges summum fuit imperium usque ad Ogygum (quem ex Gyge mutaverunt iam Palmerius in Exercit. ad Polyb. II, 37. 41. cf. IV, 1. et Meursius de Reg. Lac. c. 6. cf. Strab. VIII, 7. p. 219. Paus. I, 38, 7. IX, 5, 8. Manso Sparta III, 1. p. 287. sqq.). Primae tamen Achaeorum imperii partes fuere penes Tisameni filios Daimenem (non Diamenem, quem habet Helvingius l. c. p. 42. sive e codice depravato, sive ex typothetae errore), Spartonem, Tellen (Tellim, Tellidem, cf. Clavier. in Suppl. et Histoire des premiers temps de la Grèce T. II. p. 192. Paus. X, 28, 1.) et Leontomenem. Cometes vero natu maximus iam multo ante in Asiam cum classe transmiserat. Hi, quos enumeravit Pausanias (VII, 6.), et praeterea Damasias (Paus. V, 4, 2.), Penthilo, Orestis filio, genitus, Tisameni liberûm patruelis, summae rerum praefuerunt. Aequo tamen in regno iure fuere a Lacedaemone profecti et ipsi Achaici nominis,

Preugenes eiusque filius Patreus. His urbem Achaei assignarunt, quae a rege postea suo, Patrae nominata est; prius enim huius urbis nomen erat Aroë (Paus. III, 2, 1. ubi κτίζειν est augere, amplificare, et id. VII, 18, 3.).

Ogygi vero filii quum non regalem eamque legitimam exercerent potestatem, sed pro dominis sese gerentes mores legesque populi despectui haberent atque contra ius fasque imperio abuterentur, regni formam in reipublicae vel popularem statum converterunt Achaei inita urbium duodecim inter se societate (c. a. DCC. a. C.) tam firma atque laudabili, ut legibus, ponderibus, mensuris, pecunia denique eadem, magistratibus porro, senatoribus atque iudicibus iisdem uterentur, cunctaque haec terra, si eorundem moenium ambitu circumscripta fuisset, pro una urbe posset censeri (Polyb. II, 37.).

Quam quum societatem primam illam democraticam (Polyb. II, 41. IV, 1. Strab. VIII, 7. p. 219. Paus. VII, 7, 1.) iniisset, necesse est, instituta eiusdem et publica et domestica iam antiquioribus temporibus sincera ac bene morata fuisse, quoniam a plerisque civitatibus Magnae Graeciae adscita sedulo colebantur. Crotoniatae enim, Sybaritae, Caulónitae, quum in Italia inferiore Pythagoraei seditiones movissent, mores legesque Achaeorum adsciverunt (c. a. DLXX. a. C.) iisque in administrandis rebus publicis usi sunt. Famam vero gloriamque Achaei mox tantam nacti sunt, ut post cladem Leuctricam, quum exorta esset inter omnes in universum Graecos et praecipue inter Lacedaemonios et Thebanos ingens perturbatio, huius contentionis dissidiique arbitrium uterque populus solis iis permitteret ex omni Graecorum numero (Polyb. II, 39. Paus. VIII, 6, 5. Strab. VIII, 7. p. 220. Kortüm in zur Gesch. Hellen. Staatsverf. p. 141. Not. 56.). Illam vero gloriam, quum neque urbium numero, neque opibus, nec rebus bellicis vel eximia virorum fortitudine prae ceteris ullo modo excelluerint, inde usque a libertate recuperata nulla admodum re, nisi iustitiae et aequitatis laude sibi comparaverunt Achaei.

Caput secundum.
Urbium Achaiae singularum descriptio.

Terrae urbiumque Achaicarum descriptionem Strabo (VIII, 7.) nobis et Pausanias (VII, 17. sqq.) reliquerunt, ex quorum scriptis nostram composituri sumus narrationem, si prius de utriusque fide atque auctoritate cum historica tum geographica pauca monuerimus.

§. 8.
Pausanias.

Ad Pausaniae libros progressis nobis iudicium iam in promtu est, quum dissertatiuncula (Ein Wort über Pausanias, besonders in Beziehung auf einzelne Begebenheiten des Achäischen Bundes. 1828. ap. Iahn. in Ephemeridib. philol. paedag. Suppl. T. I. Fasc. 2. 1832. p. 280—290.) ante hos quinque annos conscripta ipsi iam demonstrasse confidimus, Pausaniae in rebus historicis fidem vel nullam, vel tum demum aliquam existimandam esse, si ab iis scriptoribus, quos inspexisse se affirmet, quique ex nostrae aetatis critica ratione pro fontibus re vera haberi possint, non discedat neque dissentiat. Multum ille quidem per varias terras peregrinatus Romae Hadriano et Antoninis imperantibus περιήγησιν suam τῆς Ἑλλάδος decem libris comprehensam confecit, hic ibi, occasione oblata, historias intexens, quibus, si aliorum scriptorum consensum tulerint, auctoritatem non denegaveris, nunquam tamen iis usus fueris ad alios refellendos ac corrigendos. Raro enim quum de se loquatur difficile sane dictu est, quid in universum se praestiturum professus sit quidve scribere proposuerit et quem finem respexerit, praesertim quum ex operis ipsius argumento frigida tantum languensque oculis nostris sese offerat imago sine nitore, ut, quia de casibus, qui peregrinantibus saepius solent evenire fortuitis, nunquam loquitur, res vero ad geographiam pertinentes non eruditorum more sed vulgari sane ratione tractat, ne huic quidem argumento vel consilio suo satisfecisse videa-

tur. Historicae eius narrationes, quas dicimus, saepissime monumentorum vel templorum, urbium aliarumque rerum memorabilium descriptionibus annexae sunt, vel praefationis loco praemittuntur in transgressu ad novam vel urbem vel regionem describendam. Quam ob rem quisque facile sibi persuadeat, Pausaniae notulas illas magis ad antiquiora tempora, quum diversae pluresque gentes Graeciam habitarent, pertinere, quam ad seriorem aetatem eamque a multis auctoribus accuratius descriptam. Hinc factum est, ut mythologiam potius quam historiam composuisse videatur.

Verum has de Pausania quaestiones singulari opusculo dedita exposuit opera et laudabili sane diligentia Ferdinandus Koenig in libello, qui de Pausaniae fide et auctoritate in historia, mythologia artibusque Graecorum tradendis praestita inscribitur editusque est Berolini in libraria Aug. Mylii anno praeterito; qui mirum quantum meas de hoc scriptore eiusque scriptis opiniones explanavit ac demonstrando stabilivit. De historica eius fide quum disseruisset, Quamvis igitur, inquit, (p. 29.) Pausanias veri investigandi et enarrandi studio deditus fuerit, neque unquam sciens prudensque ficta et commentitia, ut in fraudem induceret lectores, pro rebus re vera gestis vendiderit, tamen historiam face critica illustratam non exhibuit, quum nec locupletes ubique testes secutus sit, nec raro iudicii dexteritas ad explorandam rerum veritatem necessaria desideretur. Porro de Pausaniae in fabulis explicandis παῤῥησίᾳ et iudicii subtilitate haec scribit (p. 40.): Iam vero licet in fabulis interpretandis παῤῥησία et iudicii subtilitas plerumque desideretur, tamen ad Graecorum res sacras cognoscendas scriptor noster materiam praebet uberrimam.

Quibus quidem expositis atque diiudicatis, eas res, quas ex aliorum tradit auctoritate Pausanias, saepissime fide quidem historica destitui cuique facile apparebit, non tamen ita esse comparatam eius narrationem, ut plane reiicienda et nullius pretii aestimanda sit, sed pendere eius auctoritatem potius ex fontibus, quibus usum eum

esse deprehendimus. Habuit autem ante oculos, dum Achaeorum res concinnabat, Phylarchum et Polybium (Koenig l. c. p. 13. 14.), et quum neque iniqua magnorum virorum obtrectatione neque partium, quod dicunt, studio tangi potuerit, quippe qui satis longo temporum intervallo ab iis, quorum res describit, quorumque auctoritatem secutus est, remotus sit, iam sequi inde videtur, hanc certe eius narrationem non omni fide prorsus carere. Etiamsi Aratum de omnibus Graecis optime meritum esse dicat (VIII, 52, 2.), rebus tamen Achaicis nemo sane eum nimis addictum fuisse existimabit (cf. VII, 11, 1. 14, 2. cf. Koenig p. 19.). Goldhagenum vero, qui Pausaniam adulationis reum egit atque in rem suam I, 9, 6. excitavit, iam Siebelisius rectissime refutavit laudatis locis VII, 9, 10. 11. VIII, 2, 2. in Praef. p. XV. Sed quum fidus quidem narrator at parum iudiciosus sit (cf. Boeckh. Corp. Inscriptt. p. 90. et Ind. Lect. per sem. XXII—XXIII habendar. p. 4.), neque tum in fontibus eligendis, tum in diversis narrationibus diiudicandis mentis aciem comprobet, mirum non est, Pausaniam in rebus gestis exponendis minus nobis satisfecisse, a vera temporum ratione saepe aberrasse aliaque commisisse vitia, quae uberius Koenig p. 18. enumerat ac recenset et nobis quoque insequenti narratione vel invitis plura eiusmodi notandi emendandique sponte sese offeret occasio.

In iis vero rebus, quae ipse visu percepit, quae tum ad locorum faciem et naturam, tum ad artis opera et monumenta, tum ad incolarum instituta et mores pertinent, enarrandis maximam esse Pausaniae fidem, curam, diligentiam, omnes, qui aliquid iudicare possunt, uno ore consentiunt. Eamque sententiam confirmant triumviri, qui exquisitis literis instructi in Graecia perlustranda summum studium operamque collocarunt, Dodwellus (Class. Tour. p. 436.), Gellius (Narrative of a Journey in the Morea p. 370.), Leakius (Topography of Ath. p. XXXIII.). Hinc etiam factum est, ut in Achaiae urbibus describendis Pausaniam potissimum secutus sim, etiamsi censor libri Helvingiani (in Ephemeridib. Gotting. mens. April. h. a.)

propterea Helvingium vituperet, quod Pausaniam secutus sit, quem antiquissimam urbium illarum conditionem cognitam non habuisse opinatur; quae tamen sententia quum nullis stabiliatur argumentis temere profecto est pronunciata atque iactata.

§. 9.

Strabo.

Strabonem si ad scriptorum rerum Achaicarum recensum admittimus, iam id non propter seriorum historiam temporum fieri quisque intelliget, sed, ut inde colligatur, rectene fecerimus, magnam eius narrationibus de antiquioribus Achaeorum rebus gestis auctoritatem condonantes.

Ac Strabo quidem tribus illis libris VIII, IX, X, quos destinavit Graeciae descriptioni, ab Homero tanquam omnis huius disquisitionis fundo primoque Graeciae geographo orsus descendit quoque ad antiquitates, quas simul ex historicorum traditis, Ephori potissimum et Polybii, illustrat. Iam Hellanicum, Demetrium Scepsium, Thucydidem et passim quoque Aristotelem quum in universae Peloponnesi descriptione secutus esset, Polybii auctoritatem exemplar sibi elegit in describendis Achaici foederis forma atque institutis. Tanta autem apud veteres Polybii fuit auctoritas, ut, quotquot post eum vixerunt scripseruntque de Graecorum Romanorumve rebus, vix quisquam ei diffidere conaretur. Sed haec deinceps videbimus accuratius. In definiendis autem locorum intervallis comparavit cum Polybio Artemidorum et Eratosthenem Strabo.

Quam ob rem quum et Strabo et Pausanias ipsi visitaverint Graeciam, Herodotus vero et Polybius in Graecia ipsa vitam degerint, Homeri praeterea, Herodoti ipsius, Thucydidis, Aristotelis, Polybii, Eratosthenis, quantorum virorum, Strabonis, Livii, Plutarchi, Pausaniae de Achaeorum urbibus narrationes vel notulae, haud tamen spernendae, ad nostram pervenerint aetatem, iam dubium nullum erit, quin nostra quoque de Achaiae urbibus disquisitio, recentiorum insuper peregrinatorum editorumque relatione atque auctoritate nixa, accurata censeri fideque

summa digna haberi debeat. (Cf. Heerenium de fontib. Geographicor. Strabonis p. 8 et 30. sq.)

§. 10.

Dyme. Larisus. Hecatombaeum.

Agri fines inter Achaeos et Eleos Larisus amnis facit (cf. Liv. XXVII, 31.), et in ipsa fere fluminis ripa Larisaeae Minervae templum.

Abest a Lariso Achaeorum urbs *Dyme* stadia ferme quadringenta. Vulg. lectio est: *ὅσον τετρακοσίους ἀπέχει τοῦ Λαρίσου*, Mosq. vero *ὅσον περὶ τριακοσίους κ. τ. λ.* Dyme trecentis a Lariso distat stadiis vertit Steph. Niger; *ὅσον τε τριακοσίους* e cod. 1410 edidit Clavier. Nibby quoque habet: trecento. Cellarius autem in Geogr. antiq., Goldhagenus et Barthelemyus in Analyse de Cartes de Voy. de jeune Anach. p. XVI. maluerunt *τετταράκοντα* scribi, sic quoque Clinton in Fast. Hellen. p. 421. Verum quum *τριακοσίους* aeque corruptum videatur esse ac *τετρακοσίους*, vulgatam retinuit Siebelisius, ne vitium vitio permutaret. Mannertus (Geogr. VIII. p. 411.) XL stad. veram esse lectionem contendit. Muellerus (in Dor. II. p. 429.) in eo loco ponendam censet Dymen, ubi nunc est pagus Karabosta; Mannertus vero (VIII. p. 410.), ubi nunc est vicus Kaminitza. Dyme auctore Strabone (VIII, 3. p. 142.) *ἐξ ὀκτὼ δήμων συμπολισθεῖσα* distabat ab Araxo promontorio Elidis (Strab. VIII. p. 226.) vel Achaiae (Paus. VI, 26, 5.), ut ex Muelleri quoque mappa Peloponnesum proponente comparet, sexaginta stadiis, Pausania (c. 18, 1.) referente a Piro fluvio et Oleno quadraginta, a Patris centum viginti (Tab. Peuting. ponit Dymen a Patris distantem 15 mil. Steph. B.). Priscis temporibus Palea, ut Pausanias, Stratus, ut Strabo narrat, est appellata, nomen serius, quod Pausaniae aetate obtinuit, tunc accepit, quum in Ionum adhuc ditione esset; neque vero Pausaniae satis liquet, utrum a Dyme foemina indigena, an ab Dymante, Aegimii filio, sit nuncupata (Etymol. M. p. 291.). Strabo (VIII, 7. p. 225.) contra eam totius Achaiae vocat urbem *δυσμικωτάτην*, indeque recte putat esse

nuncupatam. (Etym. M. l. c. Steph. B. ubi haec urbs in Euphorionis versiculo ἐπιζέφυρος vocatur.) Antimachus Cauconidem Dymen dicit, indeque hoc epitheton originem accepisse putant nonnulli, quod eo usque Cauconum gens pervenerit ibique sedes suas posuerit. Fortasse Larisus antea Caucon vocatus sit, cui coniecturae Strabo certe suffragari videtur. Dymen Pausanias II, 9, 1. et VII, 6, 1. commemorat eamque πρώτην πρὸς Ἤλιδος dicit.

Larisus vero et Larissus (cf. Siebel. ad Paus. VII, 17.) viae a Palaio Achaia ad Metoki ad sinistram est teste Guil. Gellio in Itin. of Morea p. 25. et vocatur nunc Risso secundum Barbié du Bocage (Carte de la Morée publiée à Paris en 1814) seu Mana ab Anglis Muellero in Dor. II, 429. referente. Pausanias (VI, 26, 5. alter locus VII, 17, 3. a Muellero depravatus censetur) a Lariso Elidem 157 stad. computat, quae equo vectus Dodwellius non recta quidem via, sed per ambages confecit octo horis et quadraginta minutis sive sexagesimis; quare viae temporisque spatium exaequari non posse existimans Pausaniam in hac parte topographiae errorum vitiorumque arguit. (Cf. Classical tour T. II, 2. p. 154.) At iam Siebelisius crediderit non multum abesse, quin hi duo numeri inter se sint pares, si viginti stadia unius horae spatio aequentur. Quod re vera ita se habet; dimidium enim milliarium geographicum a proficiscentibus unius horae spatio percurri solere vetus est observatio. Perfluit Dymen Larisus, quem Gellius (l. c. p. 31.) inter Kapelletti et Palaeopolin ponit, e monte Scolli, qui ab urbe Elide dissitus est 130, a Tritaea vero 100 stad., vel saxo Olenio (Hom. Il. II, 615. X, 755.) originem ducens auctore Strabone (VIII, 7. p. 225.). Mannertus vero (VIII. p. 411.) Strabonem falso intellexit; Buprasium enim ad Larisum quidem, minime vero in confiniis Elidis et Dymaeae situm erat; quare Muellerus hoc oppidum magis meridiem versus depressiusque in Elide in mappa sua recte posuit.

Urbs ipsa, quamquam ad mare sita, portu tamen carebat (ἀλίμενος, Strab. l. c. Polyb. V, 91. Liv. XXVII, 32.). In suburbano Dymes agro ad viae dexteram Sostrati

sepulcrum exstat, qui adolescentulus indigena Herculi, ut aiunt, in amoribus fuit, et superstitem illi Herculem ipsum tumulum puero fecisse memorant capillumque inferias misisse. Pausaniae etiamnum aetate imminebat terrae aggeri pila, cui Herculis signum insistebat, et parentare Sostrato populares ipsius scriptor noster accepit. Habuerunt porro iidem Dymaei Minervae aedem et signum, prisci utrumque operis. (Cf. Steph. B. v. *Δύμη.*) Aliud etiam apud Dymaeos Dindymenae matri et Attae dedicatum erat fanum, et Oebotae cursoris victoriae monumentum. Qui quum primus ex Achaeis Olympiae coronam meruisset neque ullum apud cives suos eo nomine dignum honorem esset adeptus, imprecatum Achaeis aiunt, ne quis ipsorum unquam palmam Olympicam ferret. Quas diras tum demum resciverunt Achaei, quum, se mirantes Olympicarum palmarum compotes fieri nunquam amplius potuisse, Delphos ad oraculum miserunt. Et tunc quidem quum et alia in Oebotae honorem instituissent virique statuam in Olympiam misissent: mox Sostratus Pelleneus in stadio pueros vicit. Hinc Pausaniae etiamnum aetate Achaeis athletis solemne fuit, ut, priusquam in Olympicum certamen descenderent, Oebotae parentarent eiusque statuae victores coronam imponerent. Oebotae autem palma de stadio data Olympiade VII. (cf. Paus. VI, 3, 4. et c. 8, 1. Amasaeus pro sexta habet septimam Ol. eandemque septimam Euseb. in Chron.); statua vero Olympiae ex Delphico illo responso octogesima demum Olympiade erecta est, cui in victoriae honorem hi versus inscripti sunt:

Οἰνία Οἰβώτας στάδιον νικῶν ὅδ' Ἀχαιοῖς
Πατρίδα Πάλειαν θῆχ' ὀνομαστοτέραν.

Quam Pausaniae de monumentis in Dymaeo agro obviis narrationem si quis accuratius adspexerit Dodwellii verba ista, quae l. c. II, 151. leguntur, magis iactata quam meditata esse lubenter Siebelisio concedet.

Historiam vero Dymaeorum, qui cum Patrensibus summam dederunt operam, ut foedus Achaeorum denuo ineundum curaretur (Polyb. II, 41. IV, 83.), quod attinet, pauca tantum apud scriptores veteres prodita legimus,

neque mirum hoc de urbe silentium, quae propriis opibus vix semel bellicam sibi gloriam comparasse dicitur expulso Cassandri praesidio (Diod. Sic. XIX, 66.) et bello, quod Philippus, Demetrii filius, cum Achaeis gessit, quo hanc unam ex omnibus, quae Achaeis parerent, urbibus dicto audientem habuit eamque ob rem P. Sulpicius Galba (sic enim Ὀλυμπικός vel Οὐλυμπικός Vulgatae, Λούκιος, scl. L. Quinctius Flamininus, qui falso saepius Flaminius effertur, Kuhnii et Corsinii in Fast. Attic. T. III. p. 13. et Helvingii l. c. p. 68. emendandi sunt), Romanorum dux, Philippo victo vel repulso, militi Dymen diripiendam dedit. (Cf. Paus. VII, 17. Liv. XXVII, 31. XXXII, 16, 21. Drakenborch. ad Liv. T. IV, p. 640. Appian. IX, 2. A. U. C. 546.) Paulo ante Strabonis aetatem Pompeius, devictorum piratarum colonias quum constitueret, magnam eorum partem Solos in Cilicia, alios aliorsum, multos etiam Dymen abire ibique habitare iussit; quo facto hoc Achaiae oppidum novas denuo vires cepisse eumque rerum publicarum florem retinuisse ac conservasse videtur, donec Augustus Patrensibus urbem cum agro attribueret (App. Bell. Mithrid. c. 96. Plut. Pompei. c. 28.). Inscriptio ap. Boeckh. Vol. I. N. 1543. continet epistolam ad Dymaeos datam a Q. Fabio Max. Q. F. Proconsule. Argumentum ipsum docet, rem in hac epistola narratam non multo post Achaeos subactos, his ipsis nondum prorsus pacatis accidisse. Proconsuli delictum apud Dymaeos commissum indicarant synedri *οἱ περὶ Κυλλάνιον*, intellige Cyllenen Eleae terrae, Dymae vicinam. Delictum hoc fuit: nempe Dymae Sosus cum factione publicas literas cum curiis incendio deleverat, ut abrogaretur respublica a Romanis constituta (timocratia Paus. VII, 16, 6. Polyb. XL, 8—10.), et cum uno ex damiurgis novas scripserat leges.

Situm quoque erat in agro Dymaeorum castellum, *τὸ καλούμενον Ἑκατόμβαιον*, ubi magna clade a Cleomene, Spartanorum rege, adfecti sunt Achaei (Polyb. II, 51, 3. Plut. in Cleom. c. 14.), a Dyme occasum, ab Araxo meridiem versus Muellero auctore. Langonem vero Plu-

tarchi Muellerus existimat montem et castellum in confiniis Elidis et Dymaeae fuisse (Dor. II, 429.).

§. 11.

Olenus. Pirus. Tichos.

Stadia ferme XL progressis a Dyme Pirus amnis in mare decurrit, ad cuius ripam Achaeorum urbs *Olenus* olim incolebatur inter Dymen et Patras (Mueller. in Dor. II, 429.). Gellius vero (l. c. p. 24.) Oleni vestigia trium horarum et dimidii spatio removet a Patris. Priscis ibi temporibus Iovem a capra nutritum esse et fabulis celebrabatur et ab Arato in Phaenomenis (v. 162. 163. ubi vid. Comment. I. H. Vossii) refertur versibus, quos excitatos Strabo (VIII, 7. p. 224.) dedit. Hoc tamen non in ipsa Oleno urbe factum esse coniicit Vossius e Strabonis verbis: *πλησίον Ὠλένου*, vicumque illum ex nominis *Αἶγος* similitudine in confiniis Oleni fuisse ponit Aegam, diversam sane ab longius remotis Aegis vel Aegio. Serioris temporis Oleni rex commemoratur Dexamenus, in quo tamen vocabulo nec codices neque interpretes sibi constant, dubii, utrum pro participio, an pro nomine proprio sit habendum, qui Herculem muneribus hospitaliter accepit. (Cf. Paus. V, 3, 4. Diod. Sic. IV, 33. Apollod. II, 5, 5.) Parvum certe ab initio olim fuisse oppidum testantur elegi, quos in Eurytionem Centaurum fecit Hermesianax. Ceterum iam supra animadvertimus, Herodotum (I, 145.) et Polybium (II, 41.) huius urbis mentionem quidem facere, simul tamen hunc monere, suo tempore iam vel interiisse, vel certe non superstitem fuisse; quae Polybii narratio a Pausania optime illustratur, qui insequentibus deinde temporibus ex Oleno propter civitatis imbecillitatem Piras et Euryteas incolas se recepisse, Strabo autem incolas, vel agrum tantum Oleni cum Dymaeis coniunctum esse ait; uterque in eo tamen consentit, quod Oleni ruinas tantum commemorant (Paus. VII, 22. Strab. VIII, 7. p. 223.). Quamobrem in Ptolemaei Geographia non ab ipso auctore, sed a glossatore quodam inter Achaiae urbes maritimas Olenum interpositum esse recte existimat Mannertus, qui

simul in tabula Peutingeriana hoc oppidum praetermissum esse testatur. Civitatis autem ista imbecillitas inde orta videtur esse, quod Olenus, Strabone auctore, non statim societati Achaeorum renovatae sese adiunxerit. Urbis loco Straboni ostendebatur Aesculapii templum, XL stadia a Dyme, LXXX a Patris remotum, Pausaniae tamen ignotum. Huic Oleno Achaeorum cognominem urbem in Aetolia fuisse a Strabone docemur, cuius, Oleno Achaico non commemorato, mentionem fecerit Homerus: *Οἳ Πλευρῶν' ἐνέμοντο καὶ Ὤλενον.*

Pirum amnem Strabo vocat Melam, quem Mannertus non sine veritatis quadam specie pro adiectivo *μέγας* in Herodoti lib. I, c. 145. ab interprete quodam ad marginem appictum postea in Strabonis textum irrepsisse putat; Pirum enim prope Olenum fuisse testes habemus praeter Herodotum, Pausaniam (VII, 22, 1.), Hesiodum apud Strabonem (VIII, 342.) et Etymologum Magnum (p. 475. v. *Πίρος*). At Muellerus (Dor. II, 429.) Pirum latum esse hodiernum Kaminitza et Melam fluvium illius secundarium opinatur. (Cf. Call. in Iov. 23. Dion. Per. 416. Str.) Eundem fluvium in Pharensium agro nuncupatum narrat Pausanias (VII, 22, 1.) *Πίερον* pro *Πείρῳ*, idque posterius nomen ei a maris accolis inditum esse coniicit. In ripis eius platanorum lucus est tanta arborum magnitudine ex ipsa vetustate, ut intra cavernas, quia multae concavae sunt, qui velint et epulari et recumbere possint. In Dodwellii quoque Itinerario (I, 1. p. 164. sq.) plures et permagnae memorantur platani, totumque lucum illustrari dicit a Plinio (XII, 1, 5.) Siebelisius ad Paus. l. c.

Vicus est *παλαιὰ Ἀχαΐα* haud procul ab ostio fluminis Kaminitzae (*Πείρου*); prope absunt rudera antiquae urbis Oleni. Ex huius igitur ruderibus in deversorium *παλαιᾶς Ἀχαΐας* delatae aliquot inscriptiones sunt, quas exhibet Boeckhius in Corp. Inscript. Graecar. Vol. I. Part. 4. p. 713. N. 1544. 1547. 1549. 1550. 1551.

Prope Araxum promontorium Tichos, Dymaeorum castellum, situm erat loco opportuno, quod fabulae narrant

ab Hercule fuisse olim exstructum, bellum gerente cum Eleis, qua veluti arce belli adversus eos uteretur (Polyb. IV, 59, 4. c. 83, 2.).

§. 12.

Patrae. Glaucus.

Ab amne Piro stadia ferme LXXX distat *Patrensium urbs*, abs qua haud procul in mare Glaucus amnis erumpit. Eam regionem primum omnium incoluisse indigenam Eumelum et paucis hominibus imperasse tradunt. Ad eum ex Attica venisse Triptolemum, abs quo et fruges acceperit Eumelus et urbis condendae praecepta, et primam quidem urbem sumto de terrae cultu nomine *Aroan* appellatam. Triptolemo consopito Eumeli filium Anthean ad Triptolemi currum dracones iungere ausum et ex eo frumenta serere, de curru vero excussum diem obisse, Eumelum et Triptolemum de pueri nomine urbem communi consilio a se conditam *Anthean* nuncupasse; quo tempore tertiam quoque urbem inter Aroan et Anthean intermediam, indeque *Messatin* vel *Mesoan* (Paus. VII, 20, 4. Steph. B. v. *Μεσσόα*, Muell. Dor. II, 49.) vocatam, erectam memorant. Hoc in oppido Liber Pater educatus ibidemque Panum insidiis prope circumventus esse ferebatur. Eiectis deinde Ionibus Patreus, Preugenis filius, nepos Agenoris, Achaeos edicto vetuit Anthean et Messatin incolere, Aroës vero pomoerio ampliato veterem oppidi ambitum novo inclusit et Aroën de suo nomine Patras vocavit. Antiquius tamen nomen non plane exolevisse numi testantur ita inscripti: COL. A. A. PATRENS. i. e. Colonia Augusta Aroë Patrensis (cf. Wassii Add. ad Thuc. II, 83.). Agenor enim ille Preugenis pater fuit Arei filius, Ampycis nepos; Ampyx vero Peliae filius; is ab Aegineta, Derito, Harpalo, Amycla, Lacedaemone gentilitatis ordinem ducebat.

Patrae distabant a Rhio L (Paus. VII, 22, 7.) vel XL (Strab. VIII, 387. Plin. IV, 5.) stadia, i. e. mill. geogr. secundum Tab. Peuting.; a Corintho ad Patras est iter

viginti horarum teste Hobhousio (in Journey trough Albania T. I. p. 238.), triginta trium in Muelleri Dor. (II, 426.); Patrass to Palaio Achaia 3 hours 55 minutes, Megaspelia by Kalabrita to Patras 12 h. 55 m. referente Gellio (l. c. p. 23. 135.); secundum Peuting. Tab. 85 mil. geogr., 25 mil. geogr. distant Patrae ab Aegio (cf. Sickleri nachtr. Anm. und Berichtig. zu Dodw. Reise p. 51.). Strabonis aetate erat *πόλις ἀξιόλογος* eandemque ille dicit *ἐξ ἑπτὰ δήμων συμπολισθεῖσαν.* Hanc urbem ad ipsum mare exstructam non fuisse viri docti iam locis Thucydidis (V, 52.) et Plutarchi (in v. Alcib. c. 15.) planum fecerunt. Hinc falsa est et Mannerti et Helvingii narratio de portu non magno illo quidem sed mediocri et opportuno tamen, altero Thucydidem, Strabonem rursus altero falso interpretante. Mannertus enim si Thucydidem et Plutarchum inspexisset accuratius, vidisset profecto non solum Corinthios et Sicyonios, quos nominat Thucydides, quominus muri exstruerentur, obstitisse, sed ex Plutarchi quoque sermone, quem Alcibiadem cum homine aliquo habuisse hac de re fingit, opus non perfectum esse coniectura certe obvia assequutus esset. Helvingius autem Strabonis verbis: *ἔχει δὲ ὕφορμον μέτριον* in errorem se induci passus est, quum non attenderet ad ea verba, quae intermedia posuit geographus, quae tamen non valent de Patrarum portu, sed de Rhio. Intervallum vero inter Pirum amnem et Patras Dodw. (II, 1. p. 148.) accuratius se emensum esse profitetur; dicit enim viam esse quattuor horarum deficiente tertia horae parte, quae, quantum mea quidem fert opinio, non discrepant a Pausaniae octoginta stadiis, viginti scilicet unius horae spatio percurri posse quisque concedet. Eodem auctore Glaucus nunc Leuca vocatur (II, 2. p. 352.); a Patris vero ad Glaucum unius horae viam esse deficiente circiter quarta parte Gellius (l. c. p. 23.) affirmat. Inscriptiones Patris repertas Osannus in Sylloge Inscriptionum antiquar. Graecar. et Latinar. Fascicul. VI. N. 32. 41. 42. 43. 44. offert; Boeckhius in Corp. Inscript. Graecar. Vol. I. Part. 4. N. 1545. 1546. 1548. 1552. 1553. 1555. 1556. 1557. 1558.

Historiam huius urbis quod attinet, expulsis Macedonum tyrannis primi erant, qui foederi Achaeorum instaurando maximam navarunt operam, Patrenses cum Dymaeis et Tritaeensibus (Polyb. II, 41.). Paulo post Patrenses soli ex Achaeis in Aetoliam transmiserunt, quo Aetolis amicis veteribus adversus Gallos auxilium ferrent. Insigni vero clade pluribus proeliis accepta, fortunis prope omnibus eversi Patras longe maxima pars reliquere. Hi per agrum dispersi, quo se ex terrae cultu recolligerent, oppida incolere coeperunt, Messatin, Anthean, Bolinen, Argyran, Arban, plerumque ignota. Augustus deinde, vel quod ad navium appulsum Patras valde esse appositas iudicaret, vel alia quacunque de caussa, remigrare omnem illam multitudinem ex illis oppidulis Patras iussit. Quin eodem Rhypis funditus eversis multitudinem omnem traduxit, ac solis Patrensibus ex Achaeis omnibus, ut sua libertate uterentur, concessit, aliaque in eam civitatem beneficia contulit, quibus a se deductas colonias Romani afficere consueverunt (cf. Strab. VIII, 7. p. 225.). In eo vero magnopere discedit a Strabone Pausanias, quod Rhypas cum Patris coniunctas narrat, Strabo autem Rhypensium agrum Aegiensibus et Phariensibus attributum esse scribit. Ceterum Eusebius (Chron. U. C. 740 = 14 a. C.) quoque Rhypas cum Patris coniunctas esse dicit; nec minus Pausanias (VII, 22, 1. et 4.) nos docet Tritaeam et Pharas ab Augusto Patrensibus esse attributas.

Iam de Patrarum arce Pausaniae sequitur narratio VII, 18, 6 — 20, 2., quam toto ambitu interponere piget. Erat ibi Laphriae Dianae fanum et simulacrum Calydone ex Aetolia Augusti iussu Patras translatum donoque Patrensibus datum (cf. Paus. IV, 31, 6.). Porro Eurypyli monumentum, qui Ilio capto Liberi patris simulacrum Aroën detulit. Narratio sive potius fabula de Melanippi et Comaethonis amore. Triclariae Dianae templum. Aedes Minervae Panachaidis. Delubrum matris Dindymenes. In foro Iovis Olympii templum. Apollinis fanum. Odeum magnificentissime exornatum. Fanum et area sacra Dianae Limnatidis. Inauratae statuae Patrei, Preugenis,

Antherionis.[1]) Liberi Patris Calydonii templum. Fabula de Coresi et Callirrhoes amore. Aesymnetae templum. Neptuni et Veneris et Salutis templa. Oraculum. Duo Serapidis templa. Aesculapii aedes.

Foeminarum Patris quam virorum Pausaniae aetate duplo fere maior erat numerus, et hae quidem si quae aliae ad Venerem pronae, texendis e bysso Eliaca reticulis et alia veste complures victum quaeritabant.

§. 18.

Pharae. Tritia. Leontium.

Nunc a Patris pergit Pausanias ad mediterraneas urbes Pharas et Tritiam s. Tritaeam (VII, 22, 1—7.).

Pharae, Strabonis (VIII, 7. p. 226.) Phara, in confiniis Dymaei agri, diversa a Messeniaca Phara, cuius incolae Pharatae, Achaicae vero urbis Pharenses (Strab. Φαρέες Herod. I, 145.) vel Pharaeenses (Φαραιεῖς Polyb. II, 41. et Steph. B.) nuncupabantur, Patrensibus ab Augusto attributae sunt. Via inter Patras et Pharas interest stadium centum et quinquaginta, si via, quae Olenum ducit, eas iudice Muellero (in Dor. II, 429.), quod tamen ipsum iam Mannertus (VIII, 412.) observavit; a mari vero ad continentem superiorem oram stadium intervallum circiter septuaginta. Praeterfluit Pharensium agrum fluvius Pierus, quem maris accolas Pirum nuncupasse iam supra diximus; in quem effudisse aquam videntur minores amnes, Caucon, Teutheas et Achelous. Oppidani pro certo non habebant, Pharesne, Philodamia Danai filia natus, an alius quis illi cognominis eam urbem condiderit. Excellens prae ceteris fori area magno lateque patenti ambitu erat. In medio Mercurii Forensis marmoreum signum. Oraculum. Aqua Mercurio sacra in Hama fonte. Dircen fontem, cognominem Thebano, nominat Strabo (VIII, 7.

1) Quod nomen in Antheias commutari perperam vult Helvingius Paus. locum VII, 18, 2. respiciens, silentibus tamen codicibus et editoribus omnibus.

p. 226.). Pisces deo sacri putabantur. Procul oppido stadia ferme quindecim est Castoris et Pollucis lucus lauris consitus plurimis. Pouquevillius (T. III. p. 519.) apud vicum Kato Achaia Phararum ruinas lapidemque cum inscriptione Φαρπιεων quattuor ferme horarum intervallo a Patris dissitas reperisse se profitetur, et Mannertus (VIII, 412.) quidem opinatur, hunc lapidem fortasse vico unius circiter horae spatio meridiem versus remotiori Apamo Achaia attribuendum esse.

Tritia (Cic. ad Attic. VI, 2. Τριτία Pausaniae, qui tamen et Τρίτειαν exhibet, Polybii, Strabonis et Stephani Τριταία, Siebelisii Τρίταια emendata) Achaeorum et ipsa urbs a litore interior abest a Pharis stadia centum et viginti, a Scolli vero centum Strabone auctore, quem laudat Muell. in Dor. II, 429. Huius oppidi conditorem Celbidan sunt qui dicant fuisse, venisse vero illum ex Cumis Opicae terrae. Alii a Marte tradidere Tritiam, Tritonis filiam compressam, fuisse eam Minervae sacerdotem dum virgo esset; Melanippum Marte et Tritia natum urbem condidisse, et a se auctam de matris nomine appellasse. Postea haec quoque Patrensibus est Caesaris Augusti voluntate attributa. Pausaniae aetate ibi erat fanum Maximorum Deorum; Minervae aedes et signum marmoreum novum, quum priscum Romam esset deportatum; in suburbano agro sepulcrum Niciae pictura insigne.

A mari remota in interiore terrae parte ponitur pro Rhypis a Polybio (II, 41.) *Leontium* in montibus intra Pharas et Aegium (V, 94.) eiusque situm et regionem accuratius determinat Muellerus (Dor. II, 429.) putatque esse Khan St. Andreas in via a Kalavryta Patras ducente (cf. Clinton. Fast. Hellen. p. 421.).

Atque hae, Pharae, Tritia, Leontium, procul a mari et plane interiores in continenti terra urbes sunt.

§. 14.

Rhium. Argyra. Rhypes.

Duplex monstratur via Patris Aegium ducens, altera per mare, altera per terram. Navigantibus igitur Aegium

a Patris distat stadia quinquaginta promontorium, cui nomen *Rhio*. Portus ab opportunitate dictus Panormus abest a promontorio stadia quindecim. Totidem a Panormo distant, qui Minervae muri dicuntur; a quibus ad portum, cui Caprifici (*Ἐρινεοῦ*) nomen, oram legentibus intervallum stadiorum nonaginta. Inde ad Aegium sexaginta (150 min. itinere terrestri teste Gellio). Distat igitur Aegium a Patris 230 stad. Vostizza (i. e. Aegium) to Patras 8 hours 15 minutes (Gell. l. c. p. 6.), seu, ut Williams ait, viginti duo miliaria Britannica. At pedestre iter e Patrensi urbe usque in Aegiensem quadraginta stadiis brevius est; quod congruere cum Gellii 25 miles Muellerus (in Dor. II, 427.) adnotavit. Et Mannertus (VIII, 401.) affirmat 190 stad. aequare $4^3/_4$ mil. geogr. indeque Tab. Peuting. habere 25 mil. seu 5 mil. geogr. Patris vero in Italiam navigantibus Plinius (H. N. II, 108.) hocce praescribit iter addita simul longitudinum mensurarumque ratione. Patris scilicet Leucadem iter est $87^1/_2$ mil., totidem a Leucade Corcyra distat, inde Acroceraunia absunt $132^1/_2$ mil., hinc Brundisium $87^1/_2$ mil.; summa miliarium est 395, quae aequant 79 mil. geogr.

Paululum abest ab ipso Patrensium oppido Milichus amnis, prius Amilichus dictus, et Triclariae templum, situm hoc ad viae dexteram. Paulo longius progressis alius est amnis, cui Charadrus nomen; cuius aquam mirabilem profecto vim verno tempore in pecudes inde bibentes exercuisse narrat Pausanias. Post Charadrum ruinae sunt non magnopere insignes *Argyrae* urbis et ad dexteram viae popularis fons Argyra et Selemnus fluvius in mare ea parte exit. Mythus de Selemni, a Venere in fluvium commutati, et Argyrae nymphae amore. Ab Argyra modico intervallo fluvius abest Bolinaeus, cui proxima olim fuit *Bolina* urbs, quam Pausanias (VII, 18, 5.) *Βολίνην*, VII, 23, 3. *Βολίναν*, Etymologus M. vero *Βόλινον* (*κώμη τῆς Ἀχαΐας πλησίον Πατρῶν*) et Phavorinus nuncupant. (Cf. Steph. B.) Hanc cum Argyra Pausanias ab Augusto Patrensibus attributam esse narrat. Promontorium inde mari imminet *Drepanum* vocatum ex

fabula illa notissima. Pausanias igitur Rhium a Drepano distinguit contra Strabonis sententiam. *Rhium* enim (cf. Phavor. et Etym. M. v. et Siebel. in Hellen. p. 226.) κατ ἐξοχὴν ita dictum est humile Achaiae promontorium inter Patras et Aegium et introrsum falcis in modum reflexum, unde Δρέπανον quoque appellatum est; sic Strabo VIII. p. 336. et 387. At Gellius 123 min. Drepanum a Rhio, Dodwellius 2 miles removent, neque longe remotum fuisse a Bolina testatur etiam Etymologus M. (Cf. Paus. VII, 22, 7. 23, 4. Gell. l. c. p. 6. Muell. Dor. II, 427.) Alterum vero promontorium Rhion a Patris quod Pausania auctore distat quinquaginta stadiis (VII, 22, 7.), a Strabone tantum quadraginta ponitur (VIII, 387.). Referente Gellio (l. c.) unius horae et paene dimidiatae via est a Patris ad Rhium, quod propius accedit ad quinquaginta Pausaniae stadia, Pouquevillii 1 lieue 2225 tois., 5 m. p. Plinii. (Cf. Muell. Dor. II, 427.) Ab Antirrhio, Aetoliae promontorio, quantum distet Rhium a diversis auctoribus diversissimis omnino numeris significatur. Strabo enim quinque stadia inter utrumque interponit; Thucydides et Agathemerus septem (Thuc. II, 86.), minus 1 m. p. Plinius (IV, 52.), decem stad. Scylax. (Cf. Muell. Dor. l. c. qui Coronellii descriptione usus est in regione depingenda.) Portus ibi nullus navigantibus praebuit stationem, quippe quum vada syrtibus collibusque arenis exaggeratis nautas deterrerent. Neque urbs ibi sita erat, sed templum modo Neptuni, cuius Thucydides (II, 84.) et Strabo meminerunt. Hodiernum Rhii nomen est Castellum Morea, Antirrhii vero Castellum Rumelia, utrumque Dardanellae minores nuncupatur. (Cf. Mannert. VIII. p. 404.) Inscriptio in Castello Moreae in promontorio Rhio reperta apud Boeckhium Corp. Inscript. Graecar. Vol. I. Part. 4. N. 1554.

Panormus portus e regione Naupacti situs erat testante Polybio (V, 102.), Dodwellio (I, 1. p. 171.) nunc Tekkies vocatur. A Panormo meridiem versus distant quindecim stad. Athenae muri, Ἀθηνᾶς καλούμενον τεῖχος, quo pertinere putat Siebelisius Stephani B. Τεῖχος,

φρούριόν Ἀχαΐας, nisi potius idem fuerit cum Dymaeorum castello, cuius supra meminimus. Hinc navigantibus Erineus portus, quem Stephanus B. in πόλιν Ἀχαΐας commutavit, abest nonaginta stad. (Cf. Muell. in Dor. II. p. 427.)

Paululum supra militarem viam vidit *Rhypum* ruinas Pausanias, patriae olim Myscelli, Crotonis conditoris (v. Strab. VIII, 7. p. 225. coll. VI. p. 269.), ab Augusto dirutae (Paus. VII, 18, 5.) et Patrensibus attributae; idque oppidum Aegio occasum versus situm fuisse, ubi nunc St. Michael l'Archange, suspicatur Pouquevillius. (Cf. Muell. Dor. II, 427.) In Rhypensium territorio Leuctrum quoque situm erat, ut refert Strabo: τὸ Λεῦκτρον ἦν δῆμος τῶν Ῥυπῶν.

§. 15.

Aegium. Homorium. Arnarium. Panachaeae Cereris fanum.

Aegium a Rhypis distat circiter 30 stad. Pausania (VII, 23, 5.), unam et dimidiatam horam Gellio (l. c. p. 5.) referentibus, et vocatur nunc Vostizza eodem Gellio (l. c. p. 7.) auctore; ab Helice distabat XL stad., ab Aegira vero recta via XII mil. Tab. Peuting. testante. Prope mare fuisse patet ex Paus. VII, 24, 1., neque vero prope Olenum, unde caussa nominis fabulosa originem traxerit, ut opinatur Siebelisius ad Paus. VII. p. 177. ex Strab. VIII. p. 387. (Cf. supra §. 11.) Aegium, Helice deleta, princeps Achaiae urbs, ἐξ ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ δήμων συνεπολίσθη narrante Strabone (VIII. p. 337.). Aegiensem agrum perlabitur fluvius Phoenix, itemque Meganitas, qui in mare influunt. Alexandrino cuidam Stratonico vel Stratoni, athletae, ibi exstructa fertur fuisse porticus. (Cf. Siebel. ad Paus. V, 21, 5. Palmer. in Exerc. p. 414. Niebuhr. de Armenica versione Chronici Euseb. p. 59.) Erat porro Aegii vetustum Lucinae fanum; simulacrum fecit Demophon Messenius. Sacra Aesculapio area. Hygiae et Aesculapii signorum eundem Messenium Demophontem in basi incisi iambi auctorem esse indicant. Minervae delubrum et Iunonis lucus. Liberi aedes proxima theatro.

Iovis Servatoris area in foro. Aenea signa, quae recta per militarem viam progressis in cella quadam Neptuno et Herculi, Iovi item et Minervae dicata sunt, Argivos nuncupant. Prope forum communis Apollini et Dianae aedes dedicata est. In foro Dianae templum. Talthybii caduceatoris sepulcrum. In maritima Aegii parte Veneris delubrum. Neptuno, Proserpinae, Iovi Homagyrio s. Congregatori templa dedicata fuere. *Homagyrium*, qui τῇ ὁμηγύρει (Hom. Il. XX, 142.) praeest, cognomine appellarunt, quod in hunc locum Graeciae principes Agamemnon coegit, quo de illorum sententia consilium caperet, quae foret Priami regnum bello adoriendi optima ratio. Hoc Homagyrii templum est *Aenarium* s. *Arnarium* (Strab. VIII, 7. p. 221. 224. Plut. Arat. c. 37. 42. Liv. XXVIII, 7. XXXV, 48.-XXXVI, 35. XXXVIII, 30. Paus. VII, 7. et 24.), idem fuisse Tittmannus suspicatur in Darstell. d. Griech. Staatsverf. p. 681. in luco situm haud procul a Cereris Panachaeae templo; Homagyrii vero et Homorium et Homarium dici posse. (Cf. Paus. VII, 24. Polyb. II, 39. ibid. Schweigh. V, 93.) Iam Iones et postea Achaei Aegium solebant (Polyb. II, 54. IV, 7. V, 1. XVI, 27.) vel in viciniam huius urbis Arnarium s. Aenarium etiam Helice deleta convenire. Pertinebat videlicet Arnarium non ad Aegienses sed ad Helicen, antequam haec terrae motu hausta esset, Strabone inprimis auctore. Erat autem Arnarium ἄλσος ut Strabo affirmat. Arnarium et Aenarium idem esse affirmat Kuhnius (ad Paus. VII, 7, 1.), Casaubonus tres esse diversas γραφὰς unius loci asserit: Ὁμάριον s. Ὁμώριον, Ἀρνάριον et Αἰνάριον. Mihi videtur Ὁμώριον fuisse genuinum loci nomen eo, quod ipse Polybius (II, 39. cf. Strab. VIII, 7.) asserit, Crotoniatas cet. imitatos esse formam reipublicae Achaicae, primum in eo, quod Διὸς Ὁμορίου κοινὸν ἱερὸν καὶ τόπον ἀπέδειξαν, ἐν ᾧ τάς τε συνόδους καὶ διαβούλια συνετέλουν. Certe non potuisset dici, illos imitatos esse Achaeos, nisi Achaei et nomen loci idem et eadem loco congrua iam ante habuissent. Itaque archetypum Iovis Homorii primo habuerunt Achaei, typum vero

et *ἀφίδρυμα* Crotoniatae cum sociis. Idemque Amiterminus vel Ambiterminus dici posset ex Glossario Cyrilli. Aenarium vero perperam correxit Kortuemius (in Zur Gesch. Hellen. Staatsverf. p. 141.) in Arnarium, hocce ab *ἄρνεσι* Iovi oblatis derivans. (Coll. Il. III, 375.) Kuhnii sententiam ignoravit Helvingius, multa ille quidem ignorans (l. c. p. 54. Clinton. Fast. Hellen. p. 241. Not.). Synedrium vero illud Achaeorum, quod Aegii sedem habuit, etiam Pausaniae aetate reliquum fuit. (Cf. Paus. VII, 16, 7. 24, 3.) Sed iam inde ab Arati temporibus in alias quoque urbes Achaei convenisse videntur, de quibus infra accurate disputabo. Proximum erat Homagyrii *Panachaeae Cereris fanum*, iisdem sacris destinatum, quibus Palladis Panachaeae Patris. (Cf. Paus. VII, 20, 2.)

Urbs nunc Vos- vel Bostizza nuncupata paene tota terrae motu anno 1817 deleta est. (Cf. Mannert. VIII. p. 401.) Hinc orientem versus progressis amnis est Selinus rapidus, a quo Aegium viam horae dimidiatae esse tradit Gellius (l. c. p. 10.). Discedit Strabo, apud quem *ῥεῖ διὰ τῆς Αἰγιέων πόλεως*. Ibidem ille plures huius nominis fluvios recenset atque in iis etiam *τὸν ἐν τῇ νῦν Ἠλείᾳ*, quem etiam Pausanias (V, 6, 4.) nominat. (Cf. Dodw. II, 2, 346. Muell. Dor. II, 427.) Inscriptio apud Aegium reperta offertur a Boeckhio in Inscript. Vol. I. N. 1542. Decretum id Achaeorum consilii de *προξενίᾳ* singulis externarum civitatum hominibus inter Ol. 125 et 152, ut videtur, data.

§. 16.

Helice.

Ab Aegio stadium intervallo XL remotus ad mare (inde *ἀγχίαλος* Theocrito XXV, 165. dictus) vicus est *Helice*, idem vero duodecim stadiis a mari dissitus Strabone (VIII, 384.) teste; totidemque ferme ex altera parte ab Aegis; via autem militaris Aegio per Aegiram Sicyonem quae ducebat ab Helice XXX stad. meridiem versus distabat. (Cf. Gell. l. c. p. 10.) Helicen, frequentis olim urbis nomen, ab Ione conditam atque in honorem

uxoris nuncupatam esse supra narravimus; quin et Homerus Helices et Heliconii Neptuni mentionem fecit (Il. II, 575. VIII, 203. X, 403.); praeter hanc vero et Aegas novit poeta. (Cf. Il. II, 630. quem versum Mannertus ignorasse videatur.) Helicen iam Homeri temporibus urbem fuisse celebratam non solum ex eo patet, quod dixerit eam εὐρεῖαν, sed etiam quod eius seorsum fecerit mentionem commemorato universo Aegialo (Strab. VIII, 7. p. 223.). In ea fuit Ionibus religiosissimum Neptuni Heliconii templum et mansisse apud se cultum eius dei memorant etiam tum, quum ab Achaeis eiecti Athenas primum, inde postea ad maritimam Asiae oram confugere (Paus. VII, 24, 4.).

Deleta est haec urbs propter scelus ab incolis (Strab. l. c. p. 220. sq.) sive ab omnibus Achaeis (Paus. l. c.) commissum Ol. 101, 4. Asteo Athenis summum magistratum gerente, Damone Thurio Olympionica (v. Diod. Sic. XV, 48. ibid. Wesseling. Demosth. Or. in Timoth. p. 650. Paus. VII, 25, 2. IX, 1. ibid. Siebel. Strab. l. c. Mar. Par. Arist. Meteor. I, 6. falso habet Ἀρισταίου ἄρχοντος.).

Res vero, quae hic tangitur, ita habet: Iones Ol. 101, 4. iussi sunt oraculo ἀφιδρύματα λαβεῖν ἀπὸ τῶν ἀρχαίων καὶ προγονικῶν αὐτοῖς βωμῶν ἐξ Ἑλίκης τῆς ἐν τῇ τότε μὲν Ἰωνίας, νῦν δὲ Ἀχαΐας καλουμένης. Quum igitur Iones ad aram Neptuni Heliconii, quae apud Helicenses erat, sacra facerent, Helicenses, qui hoc illis concedere noluerant, indignati hoc illorum factum et res sacras disiecerunt et sacros Ionum legatos ad aram iugularunt (Diod. Sic. XV, 49. Ael. H. A. XI, 19.). Motus igitur terrae insequenti continuo hieme consecuti, qui Helicen delevit, caussam a religione repetivit Pausanias (cf. IV, 24, 2.) et Heraclides (ap. Strab. l. c.); naturalis autem haec a quibusdam apud Diodorum Siculum (l. c.) affertur: τὴν Πελοπόννησον κατὰ βάθους ἔχειν μεγάλα κοιλώματα καὶ συστάσεις ὑδάτων ναματιαίων μεγάλας· εἶναι γὰρ ἐν αὐτῇ δύο ποταμοὺς φανεροὺς ῥέοντας ὑπὸ γῆν· quorum alter Ladon (Paus. VIII, 20. Strab. VIII, 569.), Stymphalus alter, qui hiatu absorptus deinde emergeba-

tur in Argolide Erasini nomine (Paus. VIII, 22. Strab. l. c. p. 570.). Callisthenes descripsit quemadmodum Helice Buraque mersae sint in Ἑλληνικῶν aliquo loco. (Cf. Wessel. ad Diod. XV, 48. Seneca in Q. N. VI, 23.)

Helices tamen quaedam ruinae e mari eminebant Pausaniae aetate, at non iam omnes aequaliter conspicuae, parte earum aquis marinis absumta. Agrum Helicensem, quum nemo ex incolis superstes manserit, tenent Aegienses. Thessalicae Helices meminisse Hesiodum Strabo testatur. (Cf. Muell. Dor. II, 427.)

§. 17.

Cerynia.

Ab Helice eiusque ora maritima divertens dextrorsum ad oppidum pervenies in monte conditum supra militarem viam, cui *Cerynia* nomen (de quo nomine varie corrupto v. Wessel. ad Diod. XV, 48. Tzschuck. ad Strab. VIII, 387. Schweigh. ad Polyb. II, 37. supra §. 6. tamen Mannertus VIII, 390. vitiosam *Κεραυνίαν* praefert; *Κερυνία* ap. Athen. I, p. 31.), sive ab eorum locorum regulo, sive ab amne proximo, qui Cerynites dicitur. Hic, qui ex Cerynea Arcadiae monte oritur et Achaeorum finitimos agros praeterlabitur, Muellero est der Fluss von Kalabryta, Cerynia vero, Helicae vicina (Aelian. H. A. XI, 19.), in claustrum St. Irine commutatur. Huc aliquando commigrarunt Mycenaei ex Argivorum finibus profugi, quae inquilinorum accessio opulentiorem multo et clariorem Ceryniam reddidit. Erat eadem patria Marci primi Achaeorum praetoris, ex quo coeperunt Achaei singulos annuos creare. Strabonis aetate Cerynia in Aegiensium ditione erat. Eumenidum fanum ibi ab Oreste dedicatum esse tradidere.

§. 18.

Bura.

Cerynia reversos in militarem viam atque illinc aliquantum progressos devius trames *Buram* ducit, quae in dextera maris in monte ipsa etiam sita fuit; quam vero

vicina mari fuerit dici non potest, quare Mannertus fallitur scribens maris undas ad Buram pervenire non potuisse; respexit sine dubio haec Strabonis (VIII, 386.): *Βοῦρα ὑπέρκειται τῆς θαλάττης ἐν τετταράκοντά που σταδίους*, quae tamen pertinent ad recentiorem Buram, ut recte observavit Siebelisius (ad Paus. VII, 15, 5.). Appellatam vero aiunt a Bura Ionis et Helices filia. (Cf. Paus. et Steph. B.) Aliud de nominis origine traditur in Callim. H. in Del. 102, ubi Bura dicitur *Δεξαμενοῖο βούστασις* et Scholiasta addit: *ᾤκησε* (Etym. M. *ᾤκισε*) *δὲ αὐτὴν Δεξαμενὸς ὁ Κένταυρος, ἐκεῖ δὲ αὐτοῦ τὰ βουστάσια ἐφυλάττετο· διὸ καὶ Βοῦρα ὠνομάσθη.* Guil. Gellius (l. c. p. 9.) Megaspelia Vostizzam proficiscens post iter duarum horarum et ferme dimidiatae ad ruinas Burae venit. (Cf. Muell. Dor. II, 428.)

Oppidum hoc idem terrae, qui Helicen delevit, motus tam vehementer perculit, ut in templis prisca omnia deorum signa corruerent frangerenturque. Civium ii duntaxat reliqui fuere, qui forte vel militiae vel negotii cuiuspiam obeundi caussa domo abfuissent, atque ii quidem paene excisam civitatem restituere. (Cf. §. 6.) Burae aedes erat Cereris, Veneris, Liberi Patris et Lucinae. Simulacra horum numinum e Pentelico lapide Atheniensis Euclidae opera. Habuit etiam Iovis templum.

Qua ad mare descenditur amnis est Buraicus, qui referente Dodwellio (II, 2, 139.) it per vallem Megaspeliae in Arcadia, ubi *ποταμὸς τῶν Καλαβρύτων* de urbe vicina Calabryta vocatur. Idem repetens p. 341. addit: ohngefähr 2¼ St. südöstlich von Vostizza geht er in den Kor. Meerbusen. (Cf. Muell. l. c.) Ad hunc fluvium erat Herculis spelunca cum oraculo eiusdem Herculis Buraici, eandemque recta via ab Helice distare stadiis ferme triginta narrat Pausanias, unde sequitur ipsam eam ab urbe Bura remotam esse stadiis decem. (Cf. Mannerti de Pouquevillio et Dodwellio iudicium VIII. p. 400.)

Ab Hercule discedentes perennis aquae fluvius excipit ex Arcadiae monte in mare defluens; nomen et monti, in quo fons, et flumini, Crathis, a quo Italiae fluvius Cra-

this nomen accepisse fertur. Herodotus (I, 145.) quia disertis verbis addit, fluvium hunc fuisse ἀέναον, inde consequi videtur, reliquos rivulos aestatis tempore exsiccatos esse. De nomine huius fluvii v. Strab. VIII, 304. Tzsch. ἀπὸ τοῦ κίρνασθαι τὴν ὀνομασίαν ἔχων· Paus. VIII, 15, 4. Herod. V, 45. Theocrit. V, 16, 124. Callim. H. in Iov. 26. Nunc vocatur Sacrates s. Acrato (Khan Akrata Muell. l. c.) teste Dodwellio (II, 2, 137. sq.).

§. 19.

Aegae s. *Aega.*

Ad hunc Achaicum Crathidem olim fuit urbs *Aegae* s. *Aega* (Strab. VIII, 7. p. 224. Ruinen am Krathis nach Pq. müssen *Αἰγαί* sein', Muell. l. c.), quam postea desertam quum pristinis fuisset spoliata opibus ferunt. Fuit haec urbs et Homero (Il. VIII, 203.) et Herodoto (I, 145.) nota; eam εἰς *Αἴγειραν* συνῴκισαν Strabone referente, ager vero Aegarum Aegiensibus attributus est. In via ab Acrata to Kamares Gellius non procul ab Acrata transiit pontem, quo iunctus erat Crathis (l. c. p. 13.).

Non ita procul a Crathide ad dexteram viae monumentum erat cum equestris viri iam paene abolita pictura. Ab eo tumulo triginta circiter stadiorum via ad Gaeum ducit, Telluris fanum, cognomento Eurysternon.

In Euboea quoque insula Straboni Aegae notae erant, quarum iam Homerus mentionem fecisse narratur, ab eaque urbe mare Aegaeum nomen accepisse. (Strab. VIII, 7. p. 223. cf. Mannert. VIII. p. 396. qui tamen, quod stadiorum numerum attinet situmque urbis, emendandus est.)

§. 20.

Aegira.

Ad Aegiratarum navale, cui idem quod Aegirae urbi nomen est, stadia intersunt 72 ab Hercule Buraico. Nihil vero in maritima ora habent Aegiratae memoratu dignum. A navali superior urbs stadia abest 12, quod ut conciliarent cum Polybii numero (IV, 57.): ἀπέχει

δὲ τῆς θαλάττης ὡς ἑπτὰ στάδια, ubi *septem* tantum habet stadia, dixerunt suo navali (ἐπινείῳ) urbem Aegiram versus hibernum aut occasum subiectum fuisse, non recta versus meridiem. Appellata est urbs ab Homero (Il. II, 573.) Hyperesia. (Cf. Paus. VII, 26, 6. coll. §. 2. Steph. B. v. Αἴγειρα.) Nomen, quod Pausaniae aetate usurpabat, obtinuit, quum Iones eam tenerent ex huiuscemodi caussa. Quum Sicyonii comparato exercitu agrum invasuri essent intelligerentque Hyperesienses nullo se pacto pares illis numero et viribus futuros, capras omnes, quae intra fines erant, in unum coegerunt, alligatasque ad cornua faces intempesta nocte accendere. Hostes ignes eos esse ab auxiliaribus Aegiratarum suspicati retro agmen egere. A capris itaque mutato veteri nomine urbs Aegira est appellata; neque tamen continuo novum nomen inolevit. (Cf. Steph. B. v. Strab. X, 445.)

Aegiram Polybius (IV, 57, 5.) dicit sitam esse inter Aegiensium et Sicyoniorum urbem (sic et Tab. Peuting. VII.) ἐπὶ λόφων ἐρυμνῶν καὶ δυςβάτων, νεύειν δὲ τῇ θέσει πρὸς τὸν Παρνασσὸν καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς ἀντιπέρα χώρας. Versus meridiem vicina fuit Pheneo (Paus. VIII, 15, 2.). Strabonis (VIII, 386.) Αἴγειρα ἐπὶ βουνοῦ κεῖται. Dodwellius (II, 2. p. 133. ibid. Sickl.) ubi nunc Argyro Castro, et Gellius (l. c. p. 13.) ponit inter Acrates et Camares, a priore duarum circiter horarum spatio eam removens. Straboni (VIII, 385.) a Sicyone progredienti versus occasum prima urbs fuit Pellene, altera Aegira, tertia Aegae ἐν τῇ τάξει τῶν τόπων. Distabat a Sicyone 25 mil., ab Aegio 12 mil., a Pellene autem eam Pausanias 120 stad. removet. (Cf. Tab. Peuting.) Muellerus (l. c.) Palaeo Castro nunc esse antiquam Aegiram affirmat. Usurpari vero nomen huius urbis et plurali numero comprobavit Siebelisius. (Steph. B. v. Φενεός.)

Memoratu digna Pausaniae hac in urbe videbantur: Iovis templum, Dianae aedes, Apollinis delubrum, Iphigeniae signum (Paus. VII, 26, 3.), templum Veneris Coelestis, aedicula Aegirae.

Aegiram Oeanthiae, Aetoliae oppido, ex adverso sitam ad Crium fluvium, qui haud procul ab Aegira in mare exit, fuisse tradit Polybius (IV, 57. coll. Strab. VIII, 503.), ibidemque Aegiratarum fortitudinem, qua contra Aetolos irruentes urbem defenderunt, laudibus extollit, unde Mannertus urbis incolarum numerum octo vel decem millium fuisse coniicit (VIII. p. 395.), neque eam Hierocli solum notam, verum per medii aevi casus varios ad nostram usque aetatem perdurasse sub nomine Botstizza (Georg Phranza II, 9.), hodie in Vosticam commutato, nec cum occidentem versus remotiore Vostitza commutando, narrat. De Crio tamen fluvio non consentit Muellerus (Dor. II, 428.).

§. 21.

Phelloë. Gonüsa. Aristonautae.

Recta porro ab Aegira discedentes a Iovis templo et per montes ardua, stadium XL nihilo brevior *Phelloën* via ducit. Haec vero urbs versus meridiem Aegirae subiecta fuit iudice Mannerto. Inter Zakoula et Acrata ponit eam Gellius (l. c. p. 22.), qui hanc rupem a Zakoula duarum ferme horarum et ab Acrata duarum horarum spatio, quinta horae parte deficiente, removet. (Cf. Muell. Dor. II, 428.) Accepit Phelloë iudice Kuhnio nomen a petroso loco, in quo sita fuit. (Cf. Steph. B. v.) Pausanias Phelloën castellum minime clari nominis vocat eamque ne ab Ionibus quidem ea loca tenentibus perpetuo habitatam esse. Ager vites feliciter educabat, ea qua maxime saxosus erat parte multae passim quercus, multae item ferae, cervi inprimis et apri reperiebantur. Perennibus aquis maxime irriguum castellum. Ibi templa Liberi et Dianae erant.

Ab Aegira descendentibus ad navale atque illinc progressis paulo longius ad viae dexteram est aedes Agrestis Dianae, quo loco capellam in bello cum Sicyoniis gesto procubuisse memorant.

Inter Aegiram et Pellenen castellum sub Sicyoniorum ditione ponit Pausanias *Δονοῦσαν*, vel potius *Gonusam,*

vel Gonussam, quod maxime vexatum et veterum scriptorum testimoniis et recentiorum coniecturis animadvertimus. (Cf. Siebel. ad Paus. II, 4. V, 18. VII, 26, 6.) Pro Gonusa et Pisistratidis arma sustulit contra Palmerium, Facium, Siebelisium nuperrime Robertus Gompfius (l. c. p. 50. sqq.) acriter quidem sed nequaquam ita pugnans iuvenis ut vel certamen finitum vel hostes fusos fugatosque dicas. Helvingius (l. c. p. 47.) Mannerti (VIII. p. 394, qui cum Strothio in Handbuch der alten Geogr. I. p. 2. p. 697. sequitur Sylburgium) iudicio acquiescit. Goldhagenus Gonusam primum, deinde Donoessan in Homeri loco (Il. II, 573.) scripsit. Falso loco Gonussen Muellerum (Dor. II, 428.) posuisse in mappa sua iam Hagenus (l. c. p. 3.) et Gompfius (p. 11.) viderunt. Vocabulum enim *jenseits* apud Muellerum sensu prorsus caret. Urbs haec a Sicyoniis deleta est indeque intelligitur, cur et Scholiasta cum Eustathio explicandi caussa ἀκρωτήριον Πελλήνης addiderit et tota antiquitas de Gonusa illa, hanc enim scripturam recipimus, sileat. Ex recentiorum peregrinatorum numero accuratissime locum vetustae Gonusae exploraverunt Gellius et Leakius. Atque hic quidem reperisse sibi visus est locum, quem Gonusa occupavit, in colle quodam, qui nunc Coryfi (Κορυφή) appellatur, mari proximo, singulari, praerupto, quique omnibus per fretum navigantibus undique conspicuus interiacet flumini Xylocastrensi et Fonissae, sed propior postremo neque multo infra ipsam Pellenam. (Cf. Gell. l. c. p. 14.) De priscis Gonusae regibus cf. Paus. II, 4, 4. V, 18, 2. De vocabulis per simplex vel duplex σ scribendis cf. Hagen. l. c. p. 9. sq.

Pelleneorum navale *Aristonautae* appellatur, quod ab Aegirae maritima parte (i. e. ab Aegiratarum ἐπινείῳ) stadia 120 distat, dimidio brevior a navali Pellenen via (Paus. II, 12, 2. VII, 26, 7.). Hoc nomen inditum ferunt, quod in eum portum appulerint Argonautae. (Cf. Muell. Dor. II, 428.) Erat oppidum ipsum in iugo situm. Iugi supremus vertex in acutissimum assurgit fastigium,

sed nullae ea in parte, quod maxime ardua et praerupta est, domus. In planiore clivi parte conditum erat oppidum, non continuum illud quidem, sed in duas partes divisum, sub cacumine scilicet inter utramque urbis partem eminente.

§. 22.

Pellene.

Aegiratis contigui Pellenenses, qui versus Sicyonem et Argolidem Achaeorum extremi sunt (Paus. VII, 26, 5. coll. c. 6, 1. Dodw. II, 2. p. 132.). Straboni (VIII, 386.) Pellene *στάδια ἑξήκοντα τῆς θαλάττης ὑπερκειμένη φρούριον ἐρυμνόν* dicitur, eumque stadiorum numerum confirmare Pausaniam quoque supra vidimus. (Cf. Herod. I, 145. Gell. l. c. p. 14. 15. 20. Muell. Dor. II, 428, qui vicum et urbem Pellenen commiscuit.) *Κώμη Πελλήνη* Strabone auctore sita erat intra Aegium (scrib. Aegiram, cf. Mannert. VIII, 394.) et Pellenen urbem. (Cf. Apollon. I, 177.) Versus austrum vicina illi fuit Pheneos Arcadiae (Paus. VIII, 15, 2. Steph. B. et Phavor. v. *Φενεός*).

Incolarum huius urbis nomen tribus modis effertur, quamquam Stephanus B. *δύο μόνα ἐθνικὰ ἔχει, τὸ εἰς ευς καὶ διὰ τοῦ ιος* dicat, tertia tamen forma est in *αῖος* (Paus. II, 12, 2.), qua Plinius (IV, 5.) quoque usus est. Appellatos ipsi se praedicant a Pallante, qui fuerit de Titanibus unus; ut Argivi a Pellene putant Argivo, Phorbantis filio, Triopae nepote. (Cf. Siebel. ad h. Paus. l.) Cum hac Pellene Laconiae castellum Pellana (*τὰ Πέλλανα*), quod Strabo nominat, commutandum non est.

In ipsa via, quae Pellenen ducit, Mercurii signum erat cognomine Dolii. In eadem via urbem propius Minervae templum erat; fabricatum a Phidia deae signum. Supra Minervae delubrum lucus erat muro circumseptus Dianae Sospitae sacer. Contra lucum Liberi Patris templum, quod Lamptera nuncupabant. Apollinis Theoxenii templum. Dianae aedes. In foro erectum aquae per occultos meatus ductae conceptaculum conspici potuit. Fontes infra urbem, quas a dulcibus aquis Glyceas appella-

bant. Gymnasium, in quo posita statua erat Promacho Pellenaeo, Dryonis filio, una ex Olympicis, tribus ab Isthmicis, duabus e Nemeis ludis de pancratio palmis reportatis. Unam ei sui cives ex aere Olympiae, alteram e marmore in Gymnasio dedicarunt. Hunc bello, quod inter Pellenaeos et Corinthios gestum est, unum hostes quam plurimos pugnantem occidisse memoriae proditum (Paus. III, 9, 6. IV, 17, 3.). Ab eodem etiam Olympiae superatum Polydamantem Scotussaeum, quo tempore a Persarum rege in patriam reversus Polydamas in Olympicum certamen iterum descendit (Paus. VI, 5, 1.). Chaeronem quoque magno honore prosecuti sunt Pellenenses, ob duas de lucta in certaminibus Isthmiacis vel Nemeis, quattuor Olympiae acceptas palmas. Nominare tamen eum respuunt, quod Pellenensium rempublicam sustulerit. Corruptus enim ab Alexandro, Philippi filio, invidiosissimo dominationis munere, se patriae suae tyrannum imponi facile passus erat (Demosth. orat. de foederib. c. Alex. Athen. XI, 509. Siebel. ad Paus. VII, 27, 2.). Lucinae aedes in parte oppidi minore. Neptunium (*Ποσειδῶνος ἱερόν*) prope Aristonautas et *ὀλίγον ὑπὲρ τὴν ὁδὸν ἐν ἀριστερᾷ* (Paus. II, 12, 2.).

A Pellene stadia circiter sexaginta abest Mysaeum, Mysiae Cereris sacrarium (Paus. II, 18, 3. Herod. fragm. ap. Herm. p. 308. et Pseudo-Herodian. in Bast. adn. ad Gregor. Cor. p. 22. *ἔστι δὲ ἄλσος ἐν τῷ Μυσαίῳ*), neque Pausaniae hac in re fidem Dodwellius (II, 2, 132.) recte videtur addubitasse. In luco agitabant festos dies septem. Modico a Mysaeo intervallo surgit Aesculapii templum, Cyros appellatum, quod aegroti, quae volebant, ibi consequebantur (Paus. VII, 27, 4. Siebel.).

Flumina item aliquot descendunt e montibus, qui supra Pellenen sunt. Eorum unus Crius appellatus manat ab ea parte, quae Aegiram spectat. (Cf. Amas. ad Paus. Muell. Dor. II, 428.) Alter vero fluvius, fortasse is Alsus nuncupatus (cf. Interpp. ad Paus. VII, 27, 4.), e Sipylo descendens in Hermum influit. Qua vero parte finitimi sunt Sicyoniis Pellenenses amnis Sythas Achaicorum

postremus in Sicyonium mare decurrit. Dictus idem fluvius Sys. (Cf. Strab. VIII, 2. p. 141. Ptolem. III, 16. Paus. II, 2, 1. Siebel. ad Paus. VII, 27. Gompf. l. c. p. 86. sqq.) Etiamsi extremis Gompfii de hoc fluvio verbis quid obmoveam non habeam, quoniam de rebus incertis et in coniectura tantum positis dubium semper remanebit, tamen miras omnino frustra ciwisse eum turbas existimo de Sytha in confiniis Achaiae et Sicyoniae profluente, aquas in mare Sicyonium effundente, nec tamen Sicyonium, sed Achaicum nuncupato. Nonne perinde est fluvium in confiniis terrarum duarum iter suum mare versus tenentem ab hac sive ab illa nomines? nonne potior erat Achaia, cui inde ab Arati temporibus Sicyoniam quoque addictam novimus, ita ut fluvius a maiori terra nomen traxisse videatur? nonne denique mirum a mari, in quod exit, fluvium nominari velle? Quam ob rem probo equidem Siebelisii coniecturam Sythamque cum Pausania in confiniis Achaiae et Sicyoniae profluxisse arbitror.

Pagus vero ille Pellenaeus (Strab. VIII, 7. p. 224.) nomen Pellenicis chlaenis dedit, quas in certaminibus praemii loco proponebant. (Cf. Mannert. VIII, 394. quem falso intellexit Helving. l. c. p. 43.) Denique situm erat in agro Pellenensium, haud procul ab urbe Pellene remotum, Oluros castellum, quod Plinius (IV, 5.) ad mare, Muellerus vero (Dor. II, 428.) in ripis Brychi amnis situm fuisse affirmat, neque tamen ad Brychum, sed ad Helissontem potius, vel inter hunc et fluvium Sytham in mappa sua posuit. At Plinius quum Pellenen prorsus omittat neque in describenda hac ora maritima accurate procedat (v. Mannert. VIII, 394.), quod ipsum Melae quoque imputatur, iam de Oluri positu sub iudice lis manebit. Verum idem parvum Achaiae oppidum vel castellum in Pellenensium territorio fuisse dubium esse non potest, quum Xenophon quoque in Hellenicis (VII, 4, 17.) eius faciat mentionem eundemque locum Stephanus B. s. v. Ὄλουρος excitet.

§. 23.

Politica Achaiae descriptio.

Reliquum iam est, ut de magnitudine Achaiae, de incolarum numero, deque regionis illius terraeque natura atque conditione vel qualitate in universum dicamus.

Atqui Achaia testibus Herodoto (I, 145.), Strabone (VIII. p. 385.), Pausania (VII, 1, 1. 6, 1. 26, 12.) in latitudinem a finibus Sicyoniorum ad promontorium Araxum patet 700 stadiis, 652 vero Scylace testante, a cuius tamen computatione Pausaniae numeri non plane abhorrent (Araxum scilicet a Dyme 60, Dymen a Patris 120, has a Pellene 402 stad. abesse tradit). Tab. Peut. 100 mil. habet, quae recta mensura 13 mil. geogr. exaequant. In latitudinem sive in continentem ad Arcadiae usque fines duo cum dimidio, vel quod maximum est, occasum versus, quinque miliaria, quae geographica vocamus, se extendit. Hinc igitur terrae totius 39 miliaria geographica quadrata efficiuntur, quae cum Clintonis (l. c. p. 421.) 651 mil. Anglicis (Achaia et Sicyon et Phlius 783 quadratorum millium Angl. fuerunt, quorum Sicyoni et Phliunti 132, Achaiae 651 tribueris) optime congruunt. Iam cum his si Clintonis incolarum numerum, quem hominum liberorum 41,200, omnium autem in universum cum servis 61,800 fuisse evincit, comparaveris et cum eodem Clintone 95 homines in uno mil. quadrato Anglic. habitasse statuas, iam consequitur non solum quot homines in miliari quadrato quoque geographico habitaverint, quorum numerus est 1500 vel 1550, sed ex ipso hoc numero iudicium quoque de soli campique Achaiae qualitate.

Ac campus quidem constat terra argillacea eaque post imbrem satis lubrica nec tamen plantis vel graminibus procreandis idonea. (Cf. Dodw. II. p. 292. p. 228.) Sed ille soli color ex albo in nigricantem commutatur si quis Sicyonem versus processerit (Dodw. l. c. p. 295. Gompf. l. c. p. 15. 16.). Agrum igitur nec uberem, nec latum possidebant Achaei maximam partem ad maris ora situm sine ullis portubus et saxosum (Liv. XXXVIII,

28. 29. Polyb. XXII, 23, 1.). Montium enim colliumque iuga extremitatibus suis et pari fere spatio ab orae margine distant et quod, dum redire iam ad planitiem iugaque demittere videantur, subito exsurgunt denuo atque in arduos fere clivos extolluntur, quo efficitur, ut universum litus navigantibus suavissimum quidem adspectum, periculosissimum vero receptum praebeat. (Gompf. l. c. p. 2. idem de promontoriis et terrae linguis Pouquevillii sententiam dedit p. 1.) Oppida autem unum alterumve si exceperis exigua erant, neque eo modo munita, ut contra hostium impetus diutius defendi potuerint; quam ob rem patet, hinc Achaeis gloriam sane nullam nasci potuisse, nisi exemplo suo demonstrassent, quam inexpugnabilis sit vis ac robur Graecorum bene moratas leges ducesque prudentes nacta. (Cf. Plut. Arat. c. 9. 24. Polyb. II, 37. 39. Iustin. XXXIV, 1.)

Caput tertium.

Foedus Achaeorum prius et alterum ad eum usque annum, quo Sicyon Achaeorum facta est.

§. 24.

Ad Philippi, Amyntae filii, aetatem.

De rebus bellicis Achaeorum quae memoratu digna sint narrari vix possunt. Belli quidem Troiani aevo maximam Graecorum exercitus partem fuisse Achaeos, quum adhuc essent eorum in potestate Sparta et Argos, vates celeberrimus prodidit, quamquam nostra exstitit aetate vir eruditus, qui doctrina sua male collocata vel abusus demonstrare conatus est, bellum Troianum nunquam gestum omnesque de eo narrationes a poetis confictas tantum eaque de caussa reiiciendas esse, C. Voelckerus Giessensis, dissertatione, quae inscribitur: Die Wanderung der Aeolischen Kolonien nach Asien als Veranlassung und Grundlage des Trojanischen Krieges, in Allgem.

Schulzeit. Abth. II. 1831. N. 39. sqq. Seyffarthii vero coniecturarum meminisse tantum sufficiat.

In bellis autem contra Persas nec cum Leonida ad Thermopylas consociati neque pugnarum ad Euboeam, Salaminem, Plataeas participes erant. Neque tamen in Achaeos solos cadit illud desertae Graecorum libertatis opprobrium, sed in plures Peloponnesi incolas civitatesque, qui Isthmo se defensos ab hoste satisque tutos opinabantur. (Cf. Herod. V, 29. 148—152. 202.) Quam ob rem nulla vel in Atheniensium, vel in Lacedaemoniorum delectu est Achaeorum facta mentio. Etsi ad Plataeas subsidia misere Graecis adversus Mardonium, tamen, quia non venerunt in tempore, in communi Graecorum donario, quod Olympiae dedicatum est, Achaeorum nomen ceteris sociis non fuit adscriptum (Paus. VII, 6, 3.). Eos Pausanias patriam suam quosque tutari voluisse existimat. Simul etiam Troica victoria elati Lacedaemoniis, Doriensibus nimirum, se parere indignum ducebant, idque aperte longo post tempore declararunt.

Bello Peloponnesiaco Pellenenses intestinis discordiis turbati soli Lacedaemoniis statim opem tulerant (Thuc. II, 9.), reliqui Achaei neutri partium favebant. (Cf. Thuc. I, 111. 115. VIII, 3. Paus. VII, 6, 3.) Sub finem vero belli Achaei cum Atheniensibus fecisse deprehenduntur. (Cf. Xen. Hell. I, 2, 18.) Hanc obtrectationem atque rerum externarum negligentiam non defendit solum sed etiam collaudat Kortuemius (l. c. p. 142.) vana ille quidem rerum politicarum opinione deceptus. (Cf. Dissert. meam Ueber Polybius Darstell. des Ach. Bundes in Krit. Bibl. Suppl. Bd. I. Heft 2. p. 278. sqq.) Inter Cyri minoris duces nominat Xenophon (Anab. I, 1, 11. 2, 3.) Socratem Achaeum.

Seriori deinceps tempore quum Epaminondas Peloponnesum invasisset Achaei necessitate coacti societatem cum Thebanis inierunt. Quo facto instituta quoque eorum commutavit aliquam partem Epaminondas tradito civitatis regimine divitibus principibusque, quorum auxilio Achaeorum remp. sibi subiecerat. Hinc igitur ex democratia

prodiit ea civitatis forma, quam oligarchiam vocant. Sed quum Arcades Thebis conquererentur Epaminondam Achaiae res ita constituisse, ut Lacedaemoniis tantum inde commoda progigni possent, Thebani harmostas, quos vocant, in singulas urbes miserunt, qui expulsis urbium primoribus democratiae instituta revocarunt. Verum haud multo post exules magna hominum caterva comitante urbes suas quisque recuperavere atque cum Lacedaemoniis foedus iunxerunt (Xen. Hellen. VII, 1, 41—44. 2, 32. 4, 17. Strab. VIII, 7. p. 220. coll. Xen. Hell. III, 2, 26.). Patrenses vero etiam post pugnam Mantineensem ab Atheniensium partibus stetisse non solum Plutarchus (in Alcib. c. 15.) auctor est, sed Pausaniae quoque narratione (VII, 6.) aliquam partem confirmatur. (Cf. Kortuem. l. c. p. 142. N. 59.)

Mortuo deinde Epaminonda multis rebus effectum est, ut inter Graecorum otia sordidum et obscurum antea Macedonum nomen emergeret et Philippus obses triennio Thebis habitus, Epaminondae et Pelopidae virtutibus eruditus, regnum Macedoniae Graeciae et Asiae cervicibus, velut iugum servitutis, imponeret (Iustin. VI, 9.).

Sacro autem bello, quod tertium dicitur, exorto Phocensibus erant coniuncti Achaei. (Cf. Diod. Sic. XVI, 30. 36—39.) Mox tamen Graeciae civitates, dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt, quippe in mutuum exitium sine modo ruentes omnibus perire, quod singulae amitterent, non nisi oppressae senserunt (Iustin. VIII, 1.). Atqui non immerito crederes tot tantisque bellis Achaiae urbes debilitatas omniaque civitatis instituta paulo fuisse immutata; quae profecto calamitas eo celerius atque fortius invaserat urbes illas, nisi Peloponnesus, utpote arcta per Isthmum via montibusque admodum altis satis defensa ac tuta, maximam partem naturae auxilio incolas ab hostium impetu liberos reddidisset.

§. 25.

Ad Alexandri M. mortem.

Paulo post Macedonum reges, inprimis vero Philippus, Amyntae ille filius, quum quasi fundamenta quaedam

Graecorum servitutis iecissent (cf. Polyb. V, 10. IX, 22. qui loci paene videntur esse sibi contrarii, Strab. VIII, 7. p. 220. Iust. VIII.), Graeci ita degeneres maioribus suis sunt facti, ut nulla fere adhibita armorum vi, proditione potius urbes suas capi paterentur. [1]) Constitutis igitur singularum urbium tyrannis, praefectis praesidiisque statim post pugnam ad Chaeroneam commissam (Paus. I, 25, 3.), quae universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit (Iust. IX, 3.), cuncta Graecia Macedonum dominatu acerrime tenebatur usque ad Alexandri M. tempora, qui admiratione magnoque Graecorum amore commotus tyrannorum imperio abrogato singulis urbibus libertatem restituit, quo simul Graecorum animos magis addictos sibi haberet atque conciliatos. (Cf. Drumann Ideen zur Gesch. des Verf. d. Griech. Staat. p. 64. et Flathe Gesch. Maced. cet. T. I.) Pugnae vero ad Chaeroneam commissae Achaei etiam interfuerunt (Paus. VII, 6, 3. coll. VI, 4. Iust. VIII, 4. Demosth. π. στεφ. p. 179. Diod. Sic. XVI, 77. qui Clitarchum Eretriae, Oreo Philistidem tyrannos impositos refert), qui postquam fractae sunt Lacedaemoniorum vires, Arcades autem et Messenii contra eos arma cepere, Thebani a Macedonibus devicti, Athenienses debilitati, nihil in commune consulebatur, diuturna pace et libertate — praeter Pellenen, quae tum adhuc sub tyranno Chaerone (Paus. VII, 27.) erat — viribus ad audendum comparatis aliquo haberi in honore coeperunt; eamque tamen ipsam potentiam Macedones inique ferre, premere deinde Achaeos, donec diversis studiis partium animos populi dissociarent, ut aliae civitates tyrannos, aliae praesidia Macedonica reciperent.

Mox nova Peloponnesiorum sequitur clades ab Antipatro ad Megalopolin illata, qua in pugna Agis II., Archidami III. filius, Lacedaemoniorum rex caesus est. (Cf. Diod. Sic. XVII, 62. 73. Dinarch. Or. in Demosth.

---

1) Una tantum urbs Graeciae non est capta proditione, Sparta; v. Paus. VII, 10, 1. Iustin. IX, 5. XXVIII, 4.

p. 94. Paus. III, 10, 6. Curt. VI, 1. Arrian. II, 18. Plut. Ages. c. 3. Iustin. XII, 1.)

§. 26.

Ad Demetrii Poliorcetis mortem.

Mortuo autem Alexandro M., Macedonum rege, urbes istas Achaeorum invaserunt discordiae atque altera post alteram relictis rebus communibus pro se quaeque rempublicam administrare coeperunt, idque eorum opera potissimum, ad quos Alexandri pervenerat dominatus (Polyb. II, 41. Diod. Sic. XIX, 66. XX, 103.). Quam ob rem quum ita essent omnium vota singulorumque diversa alii quoque aliis e Macedonum ducibus sese applicuerunt (Polyb. II, 37. Drumann. l. c. p. 68. qui de tyrannis Graecorum optime sententiam suam exposuit ibid. p. 545. sqq. eosdemque illorum temporum hac ignominia omnino fuisse dignissimos demonstrare conatus sum in libello meo Der Aetolisch-Achaeische Bundesgenossenkrieg p. 14. N. 2.). Hinc factum est, ut tres inter Graecos factiones existerent, quarum uni Athenienses, Aetoli, Acarnanes, Locri, Eleenses, Phocenses sunt adnumerandi, alteri Boeoti, qui cum Antipatro erant coniuncti, tertiae denique Thessali, qui inter Graecos Macedonesque fluctuantes ad Athenienses tandem accesserunt; quo facto Aetoli rursus ad Macedonum partes sese contulerunt. Quae fortasse praeter alias multas caussa inimicitiarum inter Achaeos et Aetolos seriori tempore ortarum exstiterit.

Bello Lamiaco exorto (Diod. Sic. XVIII, 11—17. Plut. Phoc. c. 23—28. Strab. IX, 5, 10. Paus. I, 25. VII, 6.) Achaei, quod nondum e Boeotica clade se recollegissent, domi manserunt, unumque ex omnibus Achaeis Chilonem palaestritam privatim ad Lamiam in certamen prodisse meminit a Patrensium viro antiquitatis consultissimo se audire Pausanias. (Cf. Paus. VI, 4, 4. Iust. XIII, 5.)

Ac post Antipatri mortem (Iust. XVI, 2.) Polysperchon sibi in Graecia imperium stabilire studuit democratiis constituendis, quum is, qui iam fato erat functus, ari-

stocratias ubique firmandas curasset. Obtinebat hic instituta civitatis mutandi mos perditissimus rerumque novarum istud studium, non solum apud Graecos, sed apud omnes fere antiquitatis populos. (Cf. Diod. Sic. XVIII, 57. Drumann. l. c. Heeren. T. XV. p. 55. sq. O. Mueller in Gesch. Hellen. Stämme und Städte, T. II.)

Neque inter duos tantum de Graeciae imperio disceptabatur, verum enim, postquam in Macedoniam profectus est Cassander et alii duces fieri non posse rati, quin tutum obtinerent imperium, nisi Graecos sibi subiecissent, societates inter se invicem inire, quibus Graecorum extremum libertatis lumen penitus exstinguueretur. Sequuntur disceptationes, inimicitiae, bella inter Antigonum et Cassandrum, inter utriusque factiones fluctuantibus Polysperchonte eiusque filio Alexandro. Alexandrum Cassander Peloponnesi ducem constituit (Diod. Sic. XIX, c. 11. 35. 36. 49—52. 60—64. Paus. I, 25.), quo facto Polysperchon Corinthum et Sicyonem occupat. Pax tandem inter Ptolemaeum, Lysimachum, Cassandrum, Antigonum sancita Graecis libertatem donavit (*τοὺς Ἕλληνας αὐτονόμους εἶναι*, Diod. XIX, 105. XX, 19. Simili ratione postea Romani Graecos libertate donata decipiunt falluntque, cf. Plut. Flamin. c. 5. Diod. Sic. XIX, 64—105. Iust. XXVI, 1.).

Ptolemaei mox praesidia Peloponnesum occupant eaque expellit Demetrius, Antigoni filius, principemque se Graecorum ducem creandum curat. Quo post varios fortunae casus devicto mortuoque, Antigonus Gonatas insequenti tempore Macedonum tandem imperio potitus est, qui princeps stirpis regiae in Macedonia habetur (Diod. Sic. XX, 98—110. Plut. Demetr. 16—32. 53.).

Paulo post Galli impressionem in Graeciam faciunt (Paus. VII, 6, 4. VIII, 10, 4. X, 21, 2—4. cf. Dissert. mea de Achaicis rebus antiquissimis p. 24.). Magnus quidem Graecos occupat terror, tamen ex Achaeorum, societate instauranda occupatorum, numero soli Patrenses, quos Aetolorum auxilio vel etiam propriis viribus, propter hanc ipsam expeditionem, iam ante annum quartum Ol.

124 libertatem recuperasse coniicimus, iidemque soli e Peloponneso contra eos expeditionem susceperunt, ceteri barbaros artis navigandi rudes in Peloponnesum non esse impetum facturos opinabantur, modo Isthmum muro firmassent. (Paus. Phoc. 3, 3. Arcad. 6, 1. Ach. 6, 4. Idemque Gallo imperante 253 p. Chr. contra Scythas s. Gothos factum est, cf. Georg. Sync. ed. Bonn. p. 715. Zonar. XII, 23. Zosim. I, 29.)

§. 27.

Foedus renovatum.

Itaque post Demetrii Poliorcetis mortem, quum de Macedonico imperio inter Pyrrhum (Paus. I, 13. Plut. vit. Pyrrh. c. 26.), Lysimachum, Seleucum, alios disceptaretur et Seleucus Ceraunus vix obtinere posset regnum cum propter intestinas civium discordias, tum quia Galli ea tempestate (280—275 a. Chr.) Graeciam et Macedoniam infesto exercitu invaserant (Iust. XXV, 1.), factum est, ut Achaei pristinae tandem gloriae libertatisque memores circa Ol. 124, quo tempore Pyrrhus in Italiam traiecerat, ad societatem politicam, quam vocant, redirent. Expulsis igitur Macedonum tyrannis (Polyb. II, 41.) primi erant, qui foederi instaurando maximam navarunt operam, Dymaei, Patrenses, Tritaeenses, Pharaeenses. Quinto deinde post anno Aegienses, postquam praesidium oppido eiecerunt, eidem adscripti sunt societati. Tum secuti sunt Burii occiso tyranno. Simul etiam cum his Cerynenses pristinum statum receperunt, quum eorum tyrannus Iseas metu, ne et ipse, ut reliquarum urbium domini, expelleretur aut occideretur, ultro dominatu posito, ad conventum Achaeorum civitatem suam adiecisset, quos paulo serius, praeter Olenum et Helicen terrae motu absorptas, secuti sunt Leontium, Aegyra, Pellene. (Cf. Paus. VII, 6, 5. et 8, 1. Polyb. l. c. Strab. VIII, 7. p. 220.)

Ac tempus quidem illud societati renovandae erat profecto accommodatissimum, quo tempore Antigonus Gonatas paucis ante annis a Pyrrho Epirota ex Italia reduce, cui sese adiunxisse videntur Achaiae urbes (Iustin.

XXV, 4.), tota paene Macedonia eiectus et a Macedonibus desertus in Peloponnesum recesserat (Plut. Pyrrh. c. 26. Paus. Attic. 13, 2.), atque occiso etiam Pyrrho (Ol. 127, 1 = 272 a. Chr.) vix contra Alexandrum, Pyrrhi filium, defendere regnum potuit, idque ipsum virtute tantum filii sui Demetrii post victoriam ad Derdium partam recuperavit (Iustin. XXVI, 2. Euseb. Armen. 39.); Lacedaemonii vero et intestinis discordiis distracti et cum Achaeis denique coniuncti fuerunt (Plut. Agis c. 13—15.);[1]) miseranda porro Peloponnesi potissimum conditio, contra laudabilis sane Achaeorum concordia erat (cf. Plut. vit. Arat. c. 6. ibid. Wachsmuthii coniectura ingeniosa de ἀρχίκλοψι recentioris temporis v. Zinkeisen Gesch. Griechenlands etc. T. I. p. 419. N. Plut. Arat. c. 9. et 24. Polyb. II, 37—39. Iustin. XXXIV, 1. quamquam hic quidem seriora respicit tempora, tamen valet eius sententia etiam de prioribus); quo denique post mortem Ptolemaei Ceranni, Macedoniae regis, orbis terrarum orientalis perturbatione quasi quadam tenebatur.

§. 28.

Tempus instauratae societatis.

In chronologia, quam dicunt, rerum Graecarum rectius constituenda quamquam multi iique summi viri, Dodwellius, Bayerus, Corsinius, Larcherus, Schweighaeuserus, Manso, Clinton, sedulo elaboravere, quibus nuperrime accessit Schornius, iuvenis admodum (natus Bonnae a. d. VI. Non. Quinctil. 1806, praematura morte defunctus Muenstereiffeliae a. d. IV. Kal. Decbr. 1833.), neque tamen ille spernenda diligentia et doctrina instructus; tamen

---

1) Lacedaemonii post irruptionem, quam in Pellenensium agrum fecerant, societatem cum Achaeis iunxerunt (Plut. Arat. c. 24. Paus. II, 8, 4.), eamque ob societatem Agide duce auxilio Achaeis venerunt, quum Aetoli Peloponnesi oram septentrionalem pervagarentur (Plut. Arat. c. 31. Lucas Ueber Polybius Darstellung des Aetolischen Bundes p. 82. sqq. et lib. meus Der Aetolisch-Achäische Bundesgenossenkrieg p. 25. sq.).

non puto fore a proposito nostro alienum, si, utpote in re tam ambigua et tot opinionibus ac coniecturis obnoxia, expensis prius collatisque horum virorum iudiciis atque rationibus, ubi necesse visum fuerit, ex ipsis veterum auctorum scriptis eas temporum rationes eruendas componendasque curemus, quae nobis quidem ad verum rerum tum gestarum ordinem proxime accedere maximeque antiquorum narrationibus satisfacere videantur.

Illi autem viri quum Graecorum universam, vel certi cuiusdam scriptoris, rationes chronologicas tractassent rectiusque constituissent, Bayerus, vir celeberrimus, unus dedita opera chronologiam, quae res Achaeorum proprie spectat, accuratius disposuit emendavitque in Fastis suis Achaicis in Commentariis Academiae Petropolitanae (T. V. p. 382. sqq.) primum editis, quos ante hos LIII annos Christ. Adolph. Klotzius cum opusculis ad historiam antiquam, chronologiam, geographiam et rem numariam spectantibus eiusdem auctoris in publicum emisit. Huius igitur viri, recentioribus, qui Achaeorum res conscripserunt, prorsus ignoti, Helvingium intelligo et Schornium, doctrina saepius nos usuros deprehendent lectores benevoli.

Achaeorum foederis primordia referunt Polybius et Plutarchus ad Olympiadem centesimam vicesimam quartam, ad idem fere tempus, quo Pyrrhus in Italiam transiit. Polyb. II, 41, 1: *'Ολυμπιὰς ἦν εἰκοστὴ καὶ τετάρτη πρὸς ταῖς ἑκατὸν, ὅτε Πατρεῖς ἤρξαντο συμφρονεῖν καὶ Δυμαῖοι.* Id. II, 41, 11: *περὶ τὴν εἰκοστὴν καὶ τετάρτην Ὀλυμπιάδα πρὸς ταῖς ἑκατὸν — κατὰ τὴν Πύῤῥου διάβασιν εἰς 'Ιταλίαν.* Hae igitur temporis notae Achaeorum foedus exortum docent Ol. 124, 4. a. Chr. $28^1/_0$. Nam Pyrrhus transiit in Italiam vere 280, ibique Laevinum consulem nactus est. Plutarch. Pyrrh. 16. Liv. ep. XIII. anno ante quam Galli Graeciam invaserunt, duobus ante quam cladem ad Delphos acceperunt. Polyb. I, 6, 5: *Ταραντίνων — ἐπισπασαμένων Πύῤῥον τῷ πρότερον ἔτει τῆς τῶν Γαλατῶν ἐφόδου.* Id. II, 20, 6: *ταῦτα* (pugna Romanorum cum Gallis et Etruscis ad Vadimonis lacum,

ubi Dolabella Cos. Romanorum cladem ultus est) συνέβαινε γίγνεσθαι τῷ τρίτῳ πρότερον ἔτει τῆς Πύῤῥου διαβάσεως εἰς τὴν Ἰταλίαν, πέμπτῳ δὲ τῆς Γαλατῶν περὶ Δελφοὺς διαφθορᾶς. Paus. I, 12, 1, 2, διέβη δὲ οὗτος ἐπαγομένων Ταραντίνων· τούτοις γὰρ πρότερον ἔτει (sic scribendum ex Casauboni docta emendatione in Commentario Polybiano p. 118. adnotaverunt Bayerus et Valckenarius pro ἔτι) πρὸς Ῥωμαίους συνειστήκει πόλεμος. Galli vero Graeciam invaserunt Ἀναξικράτους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν· τῷ δὲ ἔτει τῷ ἐφεξῆς Δημοκλέους ἄρχοντος, — ἐς τὴν Ἀσίαν διαβαίνουσιν (Paus. X, 23, 9.).

Porro Polybius (II, 41.) notam temporis expeditionis Italicae edidit, Ptolemaeum Lagi, Seleucum Nicatora, Lysimachum, Ptolemaeum Ceraunum (potuisset addere Demetrium) non magno intervallo decessisse. Hi utique circa initium, medium et finem Ol. 124 obierunt, qua ex re nihilo minus confirmata est nostra sententia. Demetrius, quem non nominavit Polybius, mortuus est aet. 54 tertio anno postquam captus erat, 283 a. Chr. = Ol. 124, 2 (Plut. Demetr. 52. Steph. B. v. Ἀπάμεια. Wess. ad Diod. T. IX. p. 504.). Eodemque anno Ptolemaeus Soter diem obiit, aet. 84 (Lucian. Macrob. 12. quadraginta annis postquam Alexander decesserat, Porphyr. in fragm. ap. Scalig. Euseb. p. 59. sq.). Lysimachus autem a Seleuco caesus et occisus est Ol. 124, 4 = 280 a. Chr. circiter septem mensibus ante Seleuci mortem (Iustin. XVII, 2. Iulio 281.). Seleucus a Ptolemaeo Ceranno interfectus est regni anno 32., Ianuario anni a. Chr. 280 = Ol. 125¹/₂. (Dexipp.) Ceraunus denique eodem anno circiter Octobri mense a Gallis occisus est, novem mensibus post Seleuci mortem — Euseb. septemdecim (vel potius sedecim) mensibus post Lysimachi mortem (v. Clinton. Fast. Hellen. p. 195. et 196.).

Strabo quoque (VIII, p. 384.) Achaeorum foedus quo tempore Pyrrhus in Italiam traiecit exortum esse tradit: ἀνέλαβον σφᾶς πάλιν κατὰ μικρόν· ἦρξαν δε Πύῤ-

ρου στρατεύσαντος εἰς τὴν Ἰταλίαν τέσσαρες συνῆσαν πόλεις, ὧν ἦσαν Πάτραι καὶ Δύμη· εἶτα προςελάμβανόν τινας τῶν δώδεκα.

Deinde Polybius Achaeorum foederis fundamenta acta esse tradit quo tempore illud trium et quadraginta, qui ab Alexandri morte computantur, annorum spatium exibat. Iam igitur annis 323 a. Chr. hos 43 annos si detraxeris, prodit numerus foederis renovati 280 a. Chr.

Denique idem Polybius (II, 43.) inter foedus constitutum et Catuli victoriam ad Aegates insulas — τῆς Καρχηδονίων ἥττης — 242 reportatam annos 38 interfuisse dicit, quod cum priore ratione convenit. Nam 242 + 38 = 280 a. Chr.

Consentiunt Bayerus et Clinton, quos praeeuntes secuti sumus. Helvingius has res chronologicas difficillimas sane qui vix verbo tetigit in libro suo (p. 75.) consentit is quidem in summa rerum cum ducibus nostris, quorum tamen neutrum nominavit, ne novit quidem. Quam ob rem vix temperare mihi possum, quin alterum eius libri censorem in Hall. Allgem. Lit. Ztg. Novbr. 1832. Ergänz. Bl. N. 104. p. 825—831. scribentem, Helvingium recentiores Achaicarum rerum scriptores quotquot sunt omnes novisse atque eorum libris usum esse in conscribendo opusculo suo, falsi certe iudicii arguam.

Schweighaeuserus chronologiam anni societatis denuo instauratae male tractavit. Nam quum ad Polyb. II, 41. adscripsisset annum U. C. 470, ad III, 25, ubi de eadem re Polybius loquitur, adiecit annum U. C. 474 et Heynii insuper notam, quae annum U. C. 473 exhibet. (Cf. Censor. Ed. Polyb. a Schweigh. cur. in Neue Allgem. Deutsche Bibl. T. V. p. 24.)

§. 29.

Historia novae societatis Achaeorum ad Arati usque aetatem.

Quum primi ex Achaeis Dymaei cum Patrensibus, Tritaeensibus et Phareensibus in libertatem et commune concilium conspirassent, regnavit in Macedonia Antigonus

Gonatas, cui assignant regnum ab eo anno, quo mortuus est Demetrius pater eius, 283 a. Chr. Regnavit autem per quadraginta quattuor annos; ad annum igitur usque 239 a. Chr. (Clinton. Fast. Hellen. p. 194. et 256.) Hinc Pausanias convincitur erroris, qui Sicyonem ad foederis Achaici societatem ab Arato traductam esse dicit Antigono Dosone Macedoniam administrante, quum tamen Sicyon, quod mox demonstrabimus, a tyrannis liberata Achaeisque tradita sit anno 251 a. Chr. (v. Paus. II, 8, 3. cf. Perizon. ad Ael. V. H. III, 17. Koenig. l. c. p. 22. et meam de Pausan. fide atque auctoritate dissertatiunculam.)

Hocce foedus quinque et viginti annos constitisse tradit Polybius (II, 43.), priusquam singuli praetores annui crearentur. Hoc vero spatio renovatae societatis praesides fuerunt praetores duo et scriba s. γραμματεὺς unus, quorum quae fuerint officia nisi nominum interpretatione vix coniectura assequi posse crediderim. Hinc scribam,[1] sive praetorum auctoritati subiectus sive non fuerit et parem quodammodo cum iis habuerit dignitatem, civitatum Achaicarum res internas administrasse, praetores vero s. στρατηγοὺς rebus praefuisse bellicis facile colligitur, quamquam verisimile est, et praetoribus iam primis temporibus concessam fuisse magnam rerum quoque internarum auctoritatem atque potentiam. Neque magis cognitum habemus, num hi magistratus annui an perpetui h. e. per totum vitae tempus fuerint electi atque in republica gerenda constituti. Peractis autem viginti quinque annis placuit unum creare praetorem, cui rerum summa committeretur, et primus eius dignitatis fuit Marcus Cerynensis, qui idem Buram a tyranno liberatam societati attribuerat, anno 255 a. Chr. Quattuor vero, qui proxime secuti sunt, anni nullam memoratu dignam rem offerunt, donec quarto post

---

1) Schornii (l. c. p. 62.) quam dedit de scriba hoc sententia coniectura locisque veterum auctorum ab ipso excitatis talibus nititur (Polyb. IV, 7. Plut. Arat. c. 24.), qui vel nihil eiusmodi offerunt, vel de seriori tempore intelligendi sunt.

Marci praeturam primam anno, quum idem Marcus iterum esset praetor, Aratus Sicyonem patriam suam Achaeorum reipublicae adiunxit, anno 251 a. Chr. (Polyb. II, 43, 1. 2.) Ex hoc autem tempore quanta in dies ceperit Achaeorum societas incrementa mox expositurum me profiteor, si prius de institutis eorum disputavero.

Strabonem (VIII. p. 385.), qui ita scripsit: *εἴκοσι μὲν δὴ ἔτη διετέλεσαν γραμματέα κοινὸν ἔχοντες καὶ στρατηγοὺς δύο κατ' ἐνιαυτὸν οἱ Ἀχαιοὶ καὶ κοινοβούλιον εἰς ἕνα τόπον συνήγετο αὐτοῖς, ἐκαλεῖτο δὲ Ἀρνάριον, ἐν ᾧ τὰ κοινὰ ἐχρημάτιζον καὶ οὗτοι καὶ οἱ Ἴωνες πρότερον· εἶτα ἔδοξεν ἕνα χειροτονεῖσθαι στρατηγόν,* corrigendum esse statuerunt Casaubonus et Schweighaeuserus ita ut numero *εἴκοσι* adderetur *πέντε*. Profecto statuere licet vocem *πέντε* excidisse, aut cum Lipsiensi editore numerum summatim positum esse. Sed potest etiam sanus esse locus et Strabo viginti annis positis ab eo tempore computasse, quo columna, quae initam societatem testaretur, statuta est. Idque probabilius est, quod conciliorum locum memoravit. Atque is prope Aegium erat, ac proinde concilii locus factus est postquam Aegium se ad societatem applicaverat. Hanc Clintonis sententiam amplectimur.

Qui illos *quinque* annos (Polyb. II, 41.) spatio quinque et viginti annorum superiores fuisse statuit Larcherus (Herod. T. VII. p. 718. sq.) res ita ordinavit:

284. Foederis fundamenta acta sunt a Patrensibus, Dymaeis, Pharaeis.

280. Circiter quinto anno post quam Dymaei, Patrenses et Pharaei foedus constituerant reliquae urbes tyrannos eiecerunt seq.

Sed haec ratio Polybio repugnat eamque refutavit Clinton (l. c. p. 255.).

Bayerus porro quum recte praeturam Marci primam anno XXVI. Achaico posuisset, falso scribit: circiter quintum annum, h. e. XXX. Achaico, Ol. 132, $^{1}/_{2}$ Aegienses praesidium Macedonicum eiecerunt, quos reliqui secuti sunt. Sed hunc viri ceterum sagacissimi errorem iam

Breitenbauchius (in Gesch. der Achäer cet. 1782 ed.) emendavit.

Quantopere Manso (in Sparta III, 2. p. 200.) a vera rerum gestarum chronologice distribuendarum ratione aberraverit facili negotio quisque intelliget, qui sententiam eius cognoscere voluerit.

Schornius denique quum (l. c. p. 52.) societatis renovatae tempus notasset Ol. 124, 4, Aegium deinde Ol. 125, 4 huic foederi addidisset, ab anno 4 Ol. 125 praetores creatos numeratosque esse putat, exactis vero ab hoc anno XXV annis, Marcum Cerynensem praetorem unum esse electum Ol. 132, ¹/₁, et tribus annis post, Ol. 132, 3 Sicyonem liberatam, Aratum Ol. 134, 2 iterum praetura functum, Acrocorinthum captum esse aestate Ol. 134, ²/₃. Sed discedit a nostra ratione.

Iam si illos Polybii (II, 42.) quinque annos quinque et viginti annorum numero comprehensos esse statuimus, ex iis, quae Polybius exposuit, hic rerum ordo exsistit:

	a.	a. Chr.
Societas Dymae, Patrarum, Tritaeae, Pharararum	5 } 25.	280.
Applicat se Aegium	20 }	275.
Marcus Cerynensis praetor primum idemque primus	4 —	255.
Aratus Sicyonem liberat	8 —	251.
Aratus iterum praetor	1 —	243.
Carthaginienses Luctatio et Postumio Coss. devicti ad Aegates. (Liv. XXXIII, 12.)		242.

Caput quartum.

De Achaeorum institutis atque legibus.

§. 20.

Democratia.

Achaeorum res quum adversus exteros impetus tutas quodammodo atque corroboratas viderimus, iam diligenter

inquiramus, quibus legibus atque institutis ab eo anno, quo Aegium ad foedus accesserat, domi militiaeque usi sint Achaei, quoniam et nititur omnis externa, quam dicunt, vis rebus intus domique apte ordinatis et repetuntur res externae s. bellicae a domesticis atque ad illas tanquam ad fontes referuntur primarios.

Civitates istae, quum foedus illud notissimum iniissent, non solum communi Achaeorum nomine insigniebantur, sed etiam magistratibus iisdem gaudebant, atque omnibus quidem, quae vel primordio foederis vel seriori demum tempore adscriptae sunt, eadem iura cum ceteris concedebantur (Polyb. II, 38, 6—10.). Quam ob rem societas haec Achaica merito vocata est democratica: *ἡ συμπολιτεία, τὸ κοινόν, τὸ ἔθνος τῶν Ἀχαιῶν* (Polyb. II, 38, 6. 41, 5. 6. 44, 6. IV, 1, 5. XXIII, 8, 6. Strab. VIII, 7. p. 219.), nam *τῆς ἰσηγορίας καὶ παῤῥησίας καὶ καθόλου δημοκρατίας ἀληθινῆς σύστημα καὶ προαίρεσιν εἰλικρινεστέραν οὐκ ἂν εὕροι τις (τῆς παρὰ τοῖς Ἀχαιοῖς ὑπαρχούσης)*, ut rerum Achaicarum auctor fidelissimus scriptum reliquit Polybius II, 38, 6. Eandemque reipublicae conditionem democraticam etiam serioribus temporibus, quum Romani iam in Graeciam traiecissent rerumque Achaicarum auctoritatem sibi arrogassent, retentam conservatamque esse Polybius (II, 37, 11: *καθόλου δὲ τούτῳ μόνῳ διαλλάττειν τοῦ μὴ μιᾶς πόλεως διάθεσιν ἔχειν σχεδὸν τὴν σύμπασαν Πελοπόννησον, τῷ μὴ τὸν αὐτὸν περίβολον ὑπάρχειν τοῖς κατοικοῦσιν αὐτήν· τἄλλα δ᾽ εἶναι καὶ κοινῇ καὶ κατὰ πόλεις ἑκάστοις ταὐτὰ καὶ παραπλήσια*), Pausanias (VII, 30, 2. coll. VII, 11.), Plutarchus (in vit. Philop. c. 10.) et Iustinus (XXXIV, 1.) testantur.

§. 31.

Conventus.

Summa belli pacisque potestas erat et legum ferendarum creandorumque magistratuum, recipiendarum denique urbium in societatem penes conventum, ad quem cives

omnes, qui trigesimum aetatis annum explessent, admittebantur.

Decernebatur in concionibus, quas vocat Strabo ἐκκλησίαν, σύγκλητον, σύνοδον, κοινοβούλιον, Pausanias συνέδριον, σύλλογον, de pace agenda vel de bello gerendo (Polyb. IV, 15. 16. Liv. XXXVIII, 31. 32. Paus. VII, 9. Polyb. XXIV, 12.), de sociis novis recipiendis (Polyb. XXV, 1, 4. XXXVII, 82. Plut. Arat. c. 41.).

Ad conventum omnes Achaeos, qui annum aetatis trigesimum vel agerent, vel excessissent, admissos esse dicimus freti Polybii loco (XXIX, 9.) — ἐν ᾗ συνέβαινε μὴ μόνον συμπορεύεσθαι τὴν βουλὴν ἀλλὰ πάντας τοὺς ἀπὸ τριάκοντα ἐτῶν. Idem argumentari licet ex vocabulis ἐκκλησία, Ἀχαιοί, οἱ πολλοί, τὸ πλῆθος, ὁ ὄχλος, qui ἄρχουσι opponuntur, apud Polybium passim obviis, quibus non singularis quaedam magistratuum concio videtur designari, sed cunctorum potius Achaeorum conventus. Cf. Polyb. IV, 14: τὸ δὲ τῶν Ἀχαιῶν πλῆθος μετά τινας ἡμέρας ἀθροισθὲν εἰς τὴν καθήκουσαν σύνοδον. V, 1: — τὸ τῶν Ἀχαιῶν ἔθνος. XXIII, 8. 10. 12. XXV, 1. XXVIII, 4. 5. 6. 7. XXIX, 8. 9. XXXIII, 15. XXXVIII, 2. Nec minus Livius nostrae sententiae patrocinatur: XXXI, 25. XXXII, 20. 22. XXXV, 25. Ubi semper universe de Achaeis ad concionem coactis sermo est. Aliis rursus locis (Liv. XXXII, 20.) praeco ad sententias dicendas singulos evocat, quod quidem in minore concione, praesentibus scilicet tantum singularum urbium legatis, supervacaneum fuerit. Neque impedit locus iste Livii (XXXII, 21.), ubi *principes Achaeorum* alloquitur Aristaenus praetor, quominus nostra stabiliatur sententia, praesertim quum apud omnes omnium temporum populos usitatum fuisse videatur, idque Homericis adeo versibus demonstrari possit, eos tantum alloqui, qui prudentiores, praestantiores honoratioresque essent, et alio rursus loco (Liv. XXXV, 49.) Quinctius, Romanorum imperator, Achaeos omnes appellet. Neque omnino in eiusmodi alloquendi formulis certa quaedam ratio videtur esse observata. Porro apud Livium XXXV, 25. principes multitudini opponuntur; murmur

concionis tantae ex tot populis congregatae; iam non singuli tantum, sed populi universi inter se altercabantur; omnibus fere populis haud dubie approbantibus; quae similesque Livii eiusque antecessoris Polybii relationes nostram utique comprobant sententiam. Omne autem dubium circa hanc rem tollitur Polybii narratione de concilio primum Corinthi habito indeque Sicyonem translato, lib. XXIX, 9. (Cf. Dissertat. meam de Achaicis rebus antiquissimis.) Adversari videntur Drumannus vir cel. (l. c. p. 463.) et Helvingius (l. c. p. 229.); contra mecum faciunt Clinton (l. c. p. 386.) et Guilielmus Schornius (l. c. p. 371. Not. 3.), quem tamen miror, nullam nec Tittmanni, nec Drumanni, neque aliorum, qui hanc rem agitavere, habuisse rationem. (Cf. Reisk. et Schweigh. ad Polyb. XXIX, 9, 5.)

Helvingius, qui prolixius sententiam suam super hac re adversus Tittmannum explicuit, Polybii locum (XXIX, 9, 6.) prorsus falso intellexit, quod ipsum quidem vitium potuit evitare modo Schweighaeuseri notulas ad hunc locum inspexisset. Opponitur enim ibi βουλῇ altera illa Achaeorum concio, conventus ille omnium Achaeorum, qui tricesimum aetatis annum agerent, de exceptione vero, ad quam provocat Helvingius, ut sententiam suam defendat, ne verbo quidem Polybius loquutus est. Nempe ἡ σύγκλητος est conventus Achaeorum, in quem non solum ἡ βουλή, i. e. senatores, sed omnes cives conveniebant, qui tricesimum aetatis annum compleverant; ἡ σύγκλητος igitur idem valet atque ἡ ἐκκλησία. Alterius porro Polybiani loci (XXXVIII, 4.), ubi de extremis societatis Achaicae temporibus disserit auctor, ὄσον vocabulum plane falsa exagitavit interpretatione Helvingius. Scilicet obtrectationibus dissidiisque Achaeorum res quum in dies magis magisque collaberentur et Graeci a proditoribus quasi circumsepti in Romanorum potestatem non vergerent amplius, sed paene iam venissent, mores depravarentur, legibus non obtemperaretur, magna sane hominum multitudo, nullo iam patriae amore devincta, huc illuc fluctuans, pessimo cuique dedita, homines igitur in-

fimae quos dicunt plebis, conventus visere eorumque sanctitatem et tranquillitatem polluere et conturbare; quorum hominum Polybius tantam convenisse turbam, quanta vix temere alias, scribit. Conveniebant igitur aliis quoque temporibus homines in officinis degere adsueti et sordidas artes exercentes, nunquam tamen tanto numero, quanto Corinthi tum in concione praesentes aderant.

Bis quotannis conventus ordinarii habebantur vere et auctumno. Nonnunquam tamen a magistratibus extraordinarias conciones esse conscriptas probabile est, necessitate inprimis urgente. (Cf. Polyb. V, 1. XXIV, 1. XXV, 1. XXVII, 11. XXIX, 9. Liv. XXXVIII, 30.) Seriori deinde ac Polybii quidem nostri tempore ita de extraordinariis concionibus videtur constitutum esse, ut tum demum haberentur, quando de bello gerendo foederibusque ineundis ageretur, aut Romanus imperator sive legatus a senatu literas sibi missas recitare vellet.

De rebus tantum ante promulgatis disceptari solitum erat. (Cf. Liv. XXXI, 25. Polyb. XXIII, 10. 12. XXIV, 5—17.) Quodsi igitur Tittmannus (in Griech. Staatsverf. p. 681.) illam legem impugnare conetur, rem videtur arduam suscepisse, praesertim quum ibi coniecturis locus relictus non sit, ubi antiquorum scriptorum restant disertae narrationes, quae sedulo premantur necesse est. Praetorum enim ius erat convocare damiurgos, damiurgi de quibus rebus erat consultandum, praetore communicante, senatum populumque singularum urbium consulebant; tum deliberatione privatis in conciliis facta res ad omnium Achaeorum concilium referebatur. Ubi in unum convenerant, praetor, qui concilio praesidebat, Iove, Apolline, Hercule auspicii caussa vocatis, de quibus consultandum esset, in medium proponebat. Suadentibus aliis, aliis dissuadentibus, si maior damiurgorum pars consentiret, referebatur ad populum.

Neque amplius tribus diebus concilium habebatur; secundo enim quoque die proponi, quae decernerentur, necesse erat, tertio decretum fieri et sub solis occasum concionem dimitti (Liv. XXXII, 19. 22. Polyb. XXIX, 9.).

Legati auctoritate cuncti conventus ad gentes exteras mittebantur, reducesque coram concilio de expeditionibus factisque referebant suis (Polyb. XXIII, 7, 9.). Legati item externorum populorum in conventu mandata sua exponunt, auditisque eorum orationibus et ipsis dimissis, decernitur (Polyb. IV, 7. XXIII, 7—10. XXVIII, 7. XXXIII, 15. XXXVIII, 4. Liv. XXXII, 19. XXXV, 48. XXXVI, 31. XLII, 44. XLIII, 17. Diod. Sic. fragm. lib. XXIX. Dio Cass. fragm. CLXV.). Recitabantur quidem aliquando literae Persei regis (Liv. XLI, 23.) et Marci, Romanorum legati, coram Achaëis in theatro (Polyb. XXIX, 10.), non tamen mirandum est, quoniam ita fieri solebat apud Graecos, ut, quando ad mercaturam exercendam convenissent, etiam ludos celebrarent, et in theatris similiter de rebus gravissimis nonnunquam disceptarent (Polyb. XXXVIII, 4.).

Denique erat penes concionem de puniendis iis decernere, qui societatem deseruissent, vel contra leges quidquam fecissent, et honorum propter res bene gestas adiudicandorum statuendorumque auctoritas. Nonunquam tamen poenae constituendae caussa eligebantur iudices pro temporis necessitate (Polyb. IV, 14. XL, 5.). Areum et Alcibiadem, quia Spartam confugerint, ἐν τῷ συνεδρίῳ capite damnatos esse Pausanias (VII, 9, 2. 3.) refert. Arato honores prope regales et sacrificia decreta sunt a concione (Polyb. VIII, 14.), Eumeni et Polybio statua (Polyb. XXVIII, 7. XL, 8.). Abea, Messeniae urbs, ex decreto concilii, Hadriano imperatori statuam dedicasse fertur. (Cf. Tittm. l. c. p. 685. Inscript. Montefalcon. Diar. Ital. p. 426. N. 19. et Paciaudi Monument. Peloponnes. II, 77.)

Sententias in concione dicere suffragiaque ferre non solum praetori et magistratibus licuit, sed unicuique, qui aderat, quos omnes praeco ad id negotii alta voce excitasse videtur. (Polyb. XXIX, 9; ubi praeeunte Reiskio Schweighaeuserus in textum recepit τοὺς βουλομένους pro τοῖς βουλευομένοις; Liv. XXXII, 20.) At praetor ex animi sui sententia nihil ipse dicebat, si de bello disceptaretur (Liv. XXIV, 25.). Ceteris in rebus invenio praetorem sen-

tentiam dixisse suam, suasorem vel dissuasorem fuisse. Apud Aetolos vero non semper licitum fuisse praetori sententiam dicere auctor est Livius (XXXV, 25.).

Itaque vidimus τὴν ἐκκλησίαν omnia non solum instruendi instituendique, quae proprie ad generales quas dicunt res pertinuerint, habuisse ius, igitur non solum τὸ δραστήριον, quod Thucydides (II, 63.) vocat, penes eam fuisse, sed etiam legum ferendarum, magistratuum creandorum (τὴν ἀρχαιρεσίαν), ipsorum conventuum habendorum regendorumque, iudiciorum denique exercendorum arbitrium atque auctoritatem.

§. 32.

Tempus conciliorum. Annus Achaicus.

Conventus iusti in modum concilii coacti sunt quotannis duo. Unus vere exeunte sub exortum Pleiadum, sub auctumno alter. Dionysius Petavius summa diligentia egit, ut a. d. XI. Mai. matutinum ortum eius sideris fuisse relatum ostenderet. Cum hoc autem exortu heliaco Pleiadum et aestas et messis exordiebatur in Graecia et annus Achaicus. (Cf. Voss. ad Arati Phaenom. 254. et Diosem. 1065. Polyb. IV, 7. 26. 37. XXXVIII, 3. XL, 2. II, 54. V, 1. 30. Liv. XXXVIII, 32. Bayer. l. c.)

De anno Achaico Polybius V, 1: τὸ μὲν οὖν κατὰ τὴν Ἀράτου τοῦ νεωτέρου στρατηγίαν ἔτος ἐτύγχανε διεληλυθὸς περὶ τὴν τῆς Πληϊάδος ἐπιτολήν· οὕτω γὰρ ἦγε τοὺς χρόνους τὸ τῶν Ἀχαιῶν ἔθνος. De hoc synchronismo consulendum est quarti libri Polybiani totum caput 37.

De concilio autem (IV, 7. 26. XXXVIII, 3. XL, 2.), in quo comitia legendis praetoribus egerint Achaei, eundem in modum, iisdem verbis Polybius, περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν. In verno igitur concilio designati sunt. Sed intercedebat aliquot dierum tempus inter comitium eumque diem, quo die designati praetores magistratum inierunt (Polyb. IV, 6. 7.). Polybius etiam disertis verbis testatur, exeunte vere designatos fuisse praetores; ineunte aestate, h. e. non ita multis post diebus, coepisse in ma-

gistratu esse. Aetoli vero statim ab aequinoctio auctumnali comitia praetorum suorum celebrabant.

Eandem rationem servatam puto in concilio altero stato sub auctumno, ut Livii ipso verbo utar; fuisse enim celebratum exeunte auctumno, medio anno Achaico, quum rebus bello gerendis tempus iam exiisset et operae agrestes feriarentur.

Quae vero disputavit Schornius (l. c. p. 210—215.) de anni tempore, quo post Ol. 140, 4 praetores magistratum capessiverint apud Achaeos, quamquam laudata illa quidem censori huius libri C. H. (in Ephemeridib. Gotting. Fasc. 123. d. 3. Aug. p. 1220—1224. h. a.) assensum tamen nostrum non tulere. Polybius enim si duobus illis locis (IV, 37. et V, 1.) Achaeos *tum* (τότε) circa Pleiadum ortum magistratus creasse scribit, haec nota non valet de belli socialis tantum tempore, sed de universo Achaici foederis ambitu ad annum usque 146 a. Chr. Ista autem antithesis particulae τότε, quam sedulo quaerit Schornius, quamque in eo repperisse sibi visus est, haec si ad instituta, quae belli socialis tempore valebant, referantur, sita potius est in eo tempore, quo historias suas condidit Polybius. (Cf. infra §. 38.) Scripsit nimirum haec post eversam Corinthum, iam quum apud Achaeos alia obtinerent instituta et mos ille praetorum creandorum evanuisset. (Cf. Censor. Schweighaeus. edit. Polyb. in N. Allgem. Deutsch. Bibl. T. V. et Lucas l. c. p. 16. sqq. Schweighaeus. quae de particula hac adnotavit T. VIII. p. 173. sensu prorsus carent.)

Sed singulis Schornii argumentis statim respondeamus. (Et scripta quidem haec iam erant, quum in vivis adhuc versaretur Schornius.)

1) Timoxenus (v. Polyb. V, 106.) tertium praetor electus est circa Pleiadum ortum Ol. 140, 3, sub finem igitur anni tertii eiusdem Olympiadis; bellum vero sociale compositum est messe iam peracta Ol. 140, 3, initio igitur tertii anni eiusdem Olympiadis. (Cf. infra §. 66.)

2) Philopoemenis vero praetura prima continetur annis Ol. 143, $^1/_2$ et $^2/_3$. ad Maium mensem eiusdem anni.

Antequam vero Machanidam est adortus tum emendandis populi moribus ordinandaeque reipublicae, quam Philippus rex nonnihil perturbaverat, tempus impendit, tum vero οὐδ᾽ ὅλους ὀκτὼ μῆνας, ut ait Polybius, apparando bello. Si hos octo menses a primis praeturae auspiciis numeres res gesta mense Decembri 207 a. Chr., sive quinto vel sexto mense Ol. 143, 2. Quidni credamus Philopoemenem brumali anni tempore rem gerendam suscepisse, praesertim quum bruma in illis regionibus mitior vel saltem non tam aspera sit, ut apud nos, quum necessitas urgeret, a Philippo denique hoc quoque anni tempore bellum geri posse edoctus esset. (Cf. Polyb. IV, 67, 7. scilicet quae ex hoc loco extricare vult Schornius, non leguntur ibi. Cf. infra §. 70.) Quod vero de aqua, cuius nihil prorsus in fossa reliquum fuerit, narrat Polybius (XI, 15, 8.) nostrae potius sententiae, quam Schornii patrocinatur; brumali nimirum tempore prae frigore evanescere solet aqua vadosa. Nives autem in montium convallibus sive in montibus tantum ipsis illarum regionum, minime vero in planitie, ubi equitatu utebantur, reperiuntur. (Cf. Polyb. IV, 70, 1.) Frutices denique propterea commemoravit Polybius, quod isti, quum perennes sint, et aestivo et brumali tempore equitatui impedimento potuerint esse.

3) At praetores per illa tempora fuere: Cycliades iterum Ol. 144, 4—145, 1 (§. 72.); hunc subsecutus est non pressis ille quidem vestigiis, quum Achaeorum res, ne dicam graviter afflictae, turbatae tamen ea tempestate admodum essent, Aristaenus primum Ol. 145, 2—3 (§. 72.), quem excepit Nicostratus Ol. 145, 3—4 (§. 72.). Philopoemen vero quum tertia sua praetura functus Ol. 144, 3—4 (§. 72.) neque in sequentem, neque in huic proximum annum praetor creatus esset, in Cretam profectus est. Imperio autem a Philopoemene ad Cycliadam translato Nabis redintegravit bellum; adversus quem Philippus Argis in Achaeorum concilio auxilia promittit ea tamen conditione, ut Achaei ipsum a tergo tutum praestent. Restitit autem Cycliades, Achaeorum praetor, quominus aliis de rebus referretur, quam propter quas convocati essent, at-

que decreto adversus Nabin facto concilium fortiter ac libere habitum dimisit, inter assentatores regios ante eum diem habitus. Nihilo tamen minus quum paulo post rebus Philippi rursus favere videretur et propterea apud Achaeos, quorum animi ad Romanos iam erant inclinati, in suspicionem venisset, expulsus est praetore Aristaeno; eodemque anno (556 U. C. = 198 a. Chr.) apud Romanos consul creatus est T. Quinctius Flamininus. Aestate eiusdem anni Sicyone concilium datum est legatis, qui ad Achaeorum gentem erant missi, Romanorum L. Calpurnio, Aristaenus enim praetor Romanis gentem iungi volebat. Achaeorum maxima pars, exceptis Dymaeis, Megalopolitanis, Argivis, societatem cum Romanis init Ol. 145, 2 exeunte. Hieme deinde ineunte a. 3 Ol. 145 quum Opuntii seditionem movissent colloquium in sinu Maliaco habitum est inter Philippum regem et Flamininum consulem, cui ab Achaeis interfuerunt Aristaenus praetor et Xenophon (§. 75.). Neque mirari debemus, cur scriptores Aristaenum non nuncupent praetorem; id ipsum quoniam ex praecedenti eorum narratione clarum est, ubi de colloquio referunt praetermittere potuerunt. Alia vero est Nicostrati ratio; is enim quum antea nominatus non esset, ubi primum narratione tangitur, eo designatur titulo, quem ipsi attribui par erat. De colloquio autem inter Flamininum et Nabin instituendo actum quidem per hiemem, ipsum tamen colloquium habitum est, quum iam novus apud Achaeos praetor creatus esset Nicostratus, mense igitur Aprili Ol. 145, 3. (Cf. §. 75.)

4) Nos, quia ea hieme, qua nuptias celebrabat Chalcide Antiochus, Philopoemen non erat praetor Ol. 147, 1—2, propter id ipsum eius quartam praeturam removebamus ad annum 4 Ol. 146 et 1 Ol. 147. Quae igitur Livius narrat (XXXV, 25—37.) gesta sunt ferme per integrum annum quartum Ol. 146. (Cf. Plut. Philop. c. 14. cf. §. 86.)

5) Philopoemenis praeturae, quinta et sexta sese excipiunt. Praetor autem quum iam in eo esset, ut quintum abdicaret magistratum, sextus vero in eum deferretur in

verno concilio, veris eiusdem initio, mense Maio, in Laconiam irrupit. Mensem enim Maium tum ad vernum, tum ad aestivum anni tempus referri posse in promtu est. (Cf. §. 89.)

6) Hostilius proconsul (sic nos cum Schweighaeusero contra Schornium) hiberna cum copiis in Thessalia agens Ol. 152, 3 (169 a. Chr.), hieme eiusdem anni legatos ad Achaeos misit, qui dictis minisve quum Achaeorum principes perterruissent, placuit, ut praeturam gentis statim peteret Arco s. Archo; qui idem tertium praetor factus est vere eiusdem anni Ol. 152, 3 et mansit ad Maium mensem Ol. 152, 4. (Cf. §. 98.)

7) Docemur a Pausania (VII, 14, 2. extr.), scriptore ceterum non religiosissimo, nec nisi alii consentiant fide digno, Diaeum suffectum imperii sui tempus explevisse, in eius locum successisse Critolaum, quum Sext. Iulius Caesar Roma missus in Achaiam legatus advenerit, Maio igitur mense anni 147 a. Chr. Conventus habiti, primum in Aegiensium urbe, deinde Tegeae, eodem mense Maio, nam sex mensibus post proximus conventus circa Pleiadum occasum erat celebrandus, mense Novembri. (Cf. Voss. ad Arati Diosem. 1065.) Per hiemem eiusdem anni Critolaus Achaeos in bellum Romanum impellit. Critolai igitur praetura comprehenditur primo (a Maio mense) et secundo (item ad Maium mensem) anno Ol. 158. Pugna ad Scarphaeam primo vere Ol. 158, 2 commissa est. In Critolai locum praetor sufficitur Diaeus. Mox item praetor creatus anno 146 a. Chr. (Ol. 158, 2—3.) Corinthus deleta aestate anni tertii eiusdem Olympiadis. (Cf. §. 103.) Sic haec optime cohaerere existimo, quae insequenti narratione suis locis separatim accuratius explicabimus.

Quae si consideraveris difficultatem illam profecto non habebis, qua pressum se impeditumque questus est Schornius, neque coniecturas aliis rursus coniecturis, ut fit in talibus, stabiliendas conabere. Quod si re vera inde ab Ol. 140, 4 Achaeorum praetores auctumnali, non verno, tempore et creati essent et magistratu fungi coepissent; porro si Aratus quintam decimam praeturam suam, quam

Maio mense iniit Ol. 140, 2 (cf. Polyb. V, 30, 7. et c. 91.), non anni, sed sex tantum mensium, spatio circumacto deposuisset, id ipsum, opinor, vel verbo notasset Polybius in Achaeorum atque in Arati potissimum rebus enarrandis tam sedulus, ut ne minoris quidem momenti res oblivisceretur, quippe qui Aratum morae impatientem *quinque diebus* ante tempus iustum quartam decimam praeturam iniisse scripserit. Non negamus quidem tempus suscipiendae praeturae rebus gerendis fuisse minime idoneum, et Romanos in tempore, quo consules munere fungi coeperint, non fuisse constantes deprehendimus, et magis accommodatum fuisse illud tempus, quo Aetoli praetores suos creare consuerint; sed apud Achaeos tamen alia obtinebat ratio, iam, ni fallor, minime propensos ad ea imitanda, quae ab Aetolis recepta erant.

Neque iis assentimur, quae contra Clintonem ad annum 221 a. Chr. ex Polybii locis (IV, 37. et V, 1.) coniicientem, Achaeorum praetores non semper Maio mense iniisse magistratum suum, sed alio mense seriori tempore, istam tamen mutationem post annum demum 169 a. Chr., quo anno Archo praeturam Maio etiamnum mense capessiverit (cf. ap. eum annum 169 et 146 a. Chr.), esse susceptam sancitamque, disputavit Schornius (l. c. p. 412.). Primum enim Schornii coniecturam de Hostilio consule, quum tamen re vera esset proconsul, non agnoscimus, deinde intra Archonis praeturae tertiae spatium, quod terminatur Maio mense anni 3 et 4 Ol. 152, has res esse gestas arbitramur: Attali legati, Polybius legatus ad Romanorum exercitum, Ptolemaeorum legatio, Achaei Sicyone. Post Maium demum mensem Ol. 152, 4 actum de legatione in Aegyptum mittenda. (Cf. §. 98.)

Neque Clintoni illud lubenter concedimus, propter varias rerum perturbationes tempus praetorum creandorum, et seriori quidem tempore potissimum, non semper accuratissime observatum, et nonnunquam sive bello, sive alia necessitate urgente, neglectum esse, quum eiusmodi exemplum nos certe non repperisse libere confiteamur.

§. 33.

Conciliorum locus.

Primo tempore, quum pro regno status coepit esse popularis, concilia in Aenario s. Arnario luco ad Helicen urbem sunt coacta; post recuperata libertate Aegii haberi placuit, quum Helices territorium templumque Neptuni, cuius religione obstringebantur, in Aegiensium ditionem venisset (Strab. VIII, 7.). Livius (XXXI, 25. XXXII, 19.) seu dignitati, inquit, urbis seu loci opportunitati datum est. Nonnunquam tamen postea Sicyone (Polyb. V, 1. XXV, 1. XXVIII, 11. XXIX, 9. Plut. Arat. 41. Liv. XXXII, 19. XXXV, 25.) et Clitore (Polyb. XXIII, 5.) et Megalopoli (Polyb. XXIII, 7. XXIV, 12.) et Corinthi (Polyb. XXIX, 8. XXXIII, 15. XXXVIII, 4.) et Lernae (Plut. Cleom. 15.) et Argis (Plut. Cleom. 17. Liv. XXXI, 25. XXXVIII, 30. XLII, 44. XLIII, 17.) et Tegeae (Liv. XXXVIII, 34.) extra ordinem conventus indicti. Id vero etiam egit Philopoemen praetor, ut omnibus in civitatibus, quae Achaici essent nominis, conventus ex ordine celebrarentur. Quum super ea re legem pararet promulgare conventumque Argos indiceret, damiurgi Aegium evocarunt populum. M. Fulvius Aegiensium favebat caussae, Argos tamen venit, ubi quum diu multumque disceptatum esset praetorque rem inclinatam cerneret ab incepto destitit (Liv. XXXVIII, 30.). Perlata igitur Philopoemenis lex non est, ut recte scribit Tittmannus (l. c. p. 682. male Helvingius l. c. p. 228.), et conventus legitimi semper Aegii habiti sunt.

§. 34.

Βουλή. Γερουσία.

Praeter conventus communes erat concilium quoddam nomine *βουλῆς* insignitum, ad quod tamen non cuique nisi electo accedere licitum videtur fuisse; *τὸ σῶζον* civitatis tantamque nonnunquam potestatem exercens, ut sola de rebus gravissimis cognosceret resque inprimis dubias decerneret (Polyb. II, 46. IV, 26. XXIII, 7. XXVIII, 3.

XXIX, 9. Plut. Arat. c. 3.). Senatores, *βουλευτάς*, disertissime Polybius (II, 37, 10.) ab *ἄρχουσι*, magistratibus discernit, et locum, ubi convenire solebant, *βουλευτήριον* vocat (XI, 9, 8.). Huius vero collegii participes erant praetor, magister equitum, damiurgi et electi Achaeorum; omnes sine dubio, qui magistratibus essent functi et praestantiores civium viderentur.

Γερουσία autem erat magistratuum, praetoris, hipparchi et damiurgorum, collegium (*στρατηγοῦ καὶ τῶν συναρχόντων*, Polyb. XXIV, 12, 6. Drumann. l. c. p. 462. Tittmann. l. c. p. 683.). Et profecto erat, si ne *βουλὴν* quidem convocandi tempus suppetierit, penes *γερουσίαν*, i. e. praetorem et damiurgos, de rebus maxime necessariis decreta faciendi quasi ultimae necessitatis auctoritas, praesertim quum unius praetoris arbitrio res et domesticae et militares interdum subiicerentur teste Livio (XXXV, 25.).

§. 35.

Magistratus.

Primis quinque et viginti annis, ut supra monuimus, praetores duos, scribam unum communem e singulis secundum ordinem civibus elegerunt. Post id visum est populo commodius factum, si unus *στρατηγός*, s. praetor quotannis exercitui praeficeretur, et secundum eum *ἱππάρχης* s. *ἵππαρχος*, s. magister equitum, magistratus ipse *ἱππαρχία*, loco alterius praetoris esset.

Praetorum in annum creatorum (Plut. Arat. c. 30. 38.) erat praesidere conciliis atque referre (Polyb. XXVIII, 7. XXXIII, 15. XL, 5. Liv. XXXI, 25. XXXV, 25. XXXVIII, 31.), hortari, de communi re sua conferre, suadere, dissuadere, expenderent aequa lance rationes suas. Nonnunquam solita maiorem ei permissam esse potestatem legimus. Praetoris enim edicto duodecim millia servorum ad bellum gerendum necessariorum liberata esse narrat Polybius (XL, 2.); Messeniis responsum esse datum adhibitis tamen *συνάρχουσι* (XXIV, 12.); a praetore et principibus s. magistratibus (*οἱ προεστῶτες τῶν Ἀχαιῶν*, Polyb. IV, 9.) decretum ad Messenios missum. In bello

eum summum fuisse ducem et nomen et multi loci affirmant (Polyb. II, 43. XVI, 19. 20. π. ἀρ. κ. κακ. 31.). Aratus semel ᾑρέθη στρατηγὸς αὐτοκράτωρ (Plut. Arat. c. 41.). Legatos externorum populorum in concilium inducebat praetor (Polyb. Legat. XLI.). In eius potestate erat societatis sigillum, quo quae mandata ad civitates foederi adscriptas emitterentur obsignari solebant (Polyb. IV, 7.). Creabatur in eo conventu, qui circa Pleiadum ortum ineunte aestate habebatur. Mortuo praetore is, qui prioris anni praeturam gesserat, sufficiebatur, donec iusto tempore alius creari posset (Polyb. III, 16, 7. 17, 1. IV, 37, 2. V, 1, 1. 30, 7. XL, 2.). Per biennium praetura fungi eidem non erat quidem legibus licitum (Plut. Arat. c. 24. 30. Cleom. 14. 15. ut Spartae nemini licuit per biennium classi praeesse, Xen. Hellen. II, 1, 7.); nihilo tamen minus hanc certe legem saepius migrasse Achaeos deprehendimus, quum, si quem habuerunt idoneum virum, ad hunc per duos vel tres etiam annos ordine deferrent eundem magistratum, ita tamen, ut comitiorum tempore appetente legitimo denuo crearetur; idque Arati et Philopoemenis historia, locisque Plutarchi supra laudatis, demonstrari posse confidimus. Nam παρ' ἐνιαυτόν est illud quidem non solum alternis annis, sed etiam annis invicem se excipientibus, dummodo nova praecesserint comitia novaque instituta fuerit creatio, quam ipsam κατ' ἐνιαυτόν si quis electus esset praetor, anni unius spatio elapso non potuerint denuo instituere. (Cf. infra §. 48.) De anno autem aetatis, qua licuerit ambire praeturam, nihil legibus videtur fuisse praefinitum; verum quum tricenarii tantum ad conventus admitterentur (Polyb. XXIX, 9.), iam inde iuniores ad praeturam admissos non esse, excepto Arato, pro certo colligas.

Praetoris imperio subiectus erat magister equitum; quo munere, qui ad praeturam accedere vellet, cuique prius fungendum erat (Polyb. π. ἀρ. κ. κακ. 10.). Bello exorto eligebantur hypostrategi s. tribuni militum, classiumque duces, item praetoris imperio subiuncti.

Erant et damiurgi pro civitatum numero, donec decem damiurgi, iidemque pro civitatum Achaicarum societati adscriptarum numero, lege instituerentur, summus populi Achaici magistratus (Plut. Arat. c. 43. Polyb. XXVII, 2, 11. ubi τὰς συναρχίας de damiurgis interpretor, cf. Tittmann. l. c. p. 687. Schorn. l. c. p. 63. Liv. XXXII, 22. damiurgos gentis, XXXVIII, 30. damiurgos civitatum.). Quos quum Livius modo civitatum, modo gentis magistratum nuncupet, sequitur, ex quaque Achaiae urbe s. civitate, quarum decem superstites societatem renovasse compertum habemus, unum damiurgum esse electum, horum vero decem damiurgorum collegium, addito magistro equitum, praetore praeside, summum Achaeorum gentis fuisse magistratum. Haec est γερουσία, quam supra commemoravimus. Ex iis autem civitatibus, quae extra Achaiam seriori tempore ad societatem accesserant, damiurgi non eligebantur. Res potissimum domesticas et singularum urbium et universae gentis administratas esse a damiurgis eo usque, ut vel recipiendi reiiciendive tantum penes conventum Achaeorum esset auctoritas, facili coniectura colligitur. Praetori autem accusato vel in ius vocato coram damiurgis caussam fuisse dicendam vix crediderim; accusare eum quidem poterant, sed litis diiudicatio concilio commissa fuisse videtur; e locis saltem, quos in rem suam laudant, Polyb. XXIV, 12. et Liv. XXXVIII, 30. nihil eiusmodi extricari potest.

De damiurgis quam periclitatus est Schornius (l. c. p. 62.) coniecturam digna omnino est, quae reliquis praeferatur omnibus. De δαμιουργίᾳ magistratus notione in universum dixit Schneiderus ad Aristot. Polit. IV, 3, 4. V, 8, 3. et in Lex. Graec. Hesychius Doribus proprium vult v. δημιουργός. Similiter Eustathius ad Odyss. ρ. p. 1825. Exemplo sunt Corinthii Thuc. I, 56. Argivis praeterea demiurgos tribuit Etymol. M. cum Zonara. Non tamen iis soli Dorienses usi sunt; Peloponnesiis universis δημιουργοὺς primo loco positos ut archontes tribuit Philippi epistola ap. Dem. de cor. p. 280. Sic principes magistratus sunt apud Eleos et Arcades Mantinenses, quan-

tum colligas ex Thucyd. V, 47. et Achaeorum, in quorum foedere recentiore aetate claro prisca potissimum instituta retenta cernuntur, decemviri sunt δημιουργοί s. δαμιουργοί. Polyb. XXIV, 5. Liv. XXXII, 22. XXXVIII, 30. Plut. Arat. c. 43. Idem magistratus nominatur in Aegiensi titulo ap. Cyriac. Ap. Thessalos Etym. M. et Zonar. s. v. cf. Boeckh. Corp. Inscript. Vol. I. p. II. N. 4. et p. 711. N. 1542 et 1543. Videntur tamen et singularum urbium magistratus nomine vel titulo damiurgorum fuisse insigniti. Cf. Boeckh. l. c. N. 1543.

§. 36.

Leges.

Leges quod attinet, quibus cuncta Achaeorum instituta nitebantur, nonnulli viri docti propterea tam paucas a scriptoribus nobis esse proditas existimant, quod nemo fere eorum, qui per Graeciam itinera fecerint, in Achaiam migraverit, atque adeo incolas ipsos propter agrorum sterilitatem marisque inaccessa litora, rupibus circumcincta, coeli denique haud iucundam temperiem, commercium cum exteris populis agere non fuisse solitos. At quantopere errent unusquisque profecto intelliget, qui modo audiverit umquam, Polybium, scriptorem illum rerum Achaicarum inprimis sedulum, natum ibi educatumque esse atque a patre habuisse hereditariam quasi quandam cum rebus Achaeorum publicis domesticisque communionem. Videbit sine dubio quam contra veritatem illi viri graviter loquantur (cf. Gast Geschichte Griechenlands seit Alexander d. Gr. Leipzig 1798.), qui meminerit Pausaniam Peloponnesum peragrasse atque Achaici foederis famam per totum tum temporis orbem terrarum fuisse divulgatam dissipatamque. Dolendum sane est scriptores, qui in rebus illis designandis sunt versati, tam pauca de legibus nobis retulisse; et si accuratius attendimus ad instituta totamque historiam, quae tamen satis enucleate atque luculenter nobis ante oculos ab antiquis est posita, num etiam tum credamus re vera tam multa deesse? Possent quidem plura dilucidius atque clarius esse disposita, sed si coniecturis

iisque non audacissimis indulgemus, maximam sane partem explicabitur institutorum legumque apud Achaeos ratio. Ac praeter eas quidem, quarum iam supra mentionem iniecimus, hae sunt praestantissimae.

1) Ad bella aperte gerenda omnes civitates, quae erant societati adscriptae, non imperatos solum milites mittere, sed omnes etiam cives foederis caussa defendendi arma capere debebant.

2) Pecuniae in aerarium commune omnibus civitatibus conferendae erant, ne bellaturis aliquando ipsis deessent (Polyb. IV, 60, 4. 9.).

3) Praeter leges, quibus praescriptum erat, quomodo concilia essent habenda (Polyb. XXIX, 9. 10.), iura exercenda (Polyb. XL, 10, 5.),

4) alia erat lex, quae ei poenam constituit, qui pecunia corrumpi se passus fuisset (Polyb. XXIII, 8, 3.).

5) Leges de recipiendis removendisve sociis. Si quis populus foederis adhuc expers se quoque recipi voluisset in Achaeorum societatem, ei haec erant praetori declaranda, qui rem sibi patefactam coram concilio exposuit. Recepto deinde populo, cui aequum cum ceteris ius concedebatur, columnae exstrui solebant in receptionis legumque societatis observandarum memoriam (Polyb. II, 37.). Quattuor vero urbes, quae primae coierant, nullum condiderunt monumentum sui consensus in renovationem pristinorum patriorum institutorum, quia omnes eodem tempore ultro consentiebant et coibant in unum corpus, quod quia a nemine neque rogabant, neque impetrabant, ideo necesse non erat eius rei, cuius omnes sibi conscii essent, a se ultro susceptae et peractae ullum publicum condere monumentum. Alia res erat in reliquis civitatibus, quae postmodum ad id foedus accedebant, quibus publico testimonio caveri opus erat (Reiske ad Polyb. II, 41, 12, cuius hanc sententiam falso impugnavit Censor ed. Schweighaeus. l. c. p. 8. Polyb. IV, 15. XXV, 1—3.). Nemo autem recipi potuit nisi omnium consensu id esset concessum (Polyb. XXIV, 12—25, 4.). Quando vero civitas ulla seiungere se a societate aut deserere eam

moliretur, tum non solum cohortatione, sed vi etiam cum retinere studebant, haud tamen laeso istius civitatis iure atque privilegio (Polyb. II, 57. π. ἀρ. κ. κατ. [illegible] XXIV, 12–25, 4.).

§. 37.

Instituta.

Reliquum iam est, ut quale fuisse putemus [illegible] rum urbium foedus paucis moneamus.

Arcte quidem coniunctas fuisse Achaeorum urbes quae hucusque exposuimus testantur, quamquam Polybius (II, [illegible].) aliquantulum videtur plus dixisse quam pro veritate. Si muris tantum opus fuisse existimat, quibus singulae urbes circumclusae in unius civitatis formulam redigerentur. [illegible] enim instituta tantum valebant, quamdiu singulae civitates foederi adscriptae essent; leges vero, iura, instituta [illegible] mestica singulis civitatibus propria fuisse videntur, neque quidquam cum illis commune, quae modo [illegible], habuisse. Scilicet illa aequalitas, ut hoc utar, in [illegible] tum rebus erat posita, quae omnibus erant [illegible] referenda potissimum ad commercium, quod inter [illegible] sociatas urbes exercebatur. Quae igitur [illegible] bant salutem omnibus eadem fuere instituta, [illegible] exercendis societatis legibus in universum, [illegible] in singulis tuendis defendendisque, si qui [illegible] conarentur. Quapropter hanc ἰσονομίαν, [illegible] ἰσοψηφίαν, ἰσομοιρίαν, ἰσοτέλειαν [illegible] iisdem etiam ponderibus, mensuris, [illegible] iam inde ab antiquissimis temporibus [illegible] II, 37.).

Conventibus porro iis, qui ad [illegible] chaeae prope Aegium (Paus. VII, [illegible] Panachaicae, σωτηρίας (Pro[illegible] 20, 2.) habebantur, societatem [illegible] Achaicis civitatibus fuisse [illegible] communiter ibi esse exercitam. [illegible] sacerdotis communis Achaeorum (Inscript. [illegible] p. 410. et Van Dale p. 223. [illegible] l. c. p. [illegible]).

At si Polybius (II, 37.) dicit: δικασταῖς τοῖς αὐτοῖς ἐχρῶντο, non videtur tamen communes iudices intellexisse, qui semper essent constituti, sed tales tantum, qui, quando communis utilitatis caussa in aliquam civitatem esset inquirendum aut animadvertendum, eligerentur (Paus. VII, 24. Strab. VIII, 7. Diod. Sic. XV, 49.).

In rebus igitur communi auctoritate administrandis omnes civitates consociatae legibus Achaeorum paruerunt. Sed erant praeterea etiam singulis urbibus instituta propria, quibus res domesticas peculiares quidam magistratus, ἄρχοντες, δαμιουργοὶ (Boeckh. Inscript. Vol. I. N. 1543.), sive πολέμαρχοι nuncupati, moderarentur (Polyb. XXXVIII, 3, 7. IV, 18. Suid. v. πολέμαρχος et Scholiast. ad Aristoph. Vesp. 1037. Polemarchos Aetolorum esse magistratum affirmant, cf. Polyb. IV, 79, 5. ubi Phigalensium nominantur πολέμαρχοι.). Sacerdotes certe singularum urbium proprios peculiaresque fuisse colligi potest ex Inscript. ap. Boeckh. Vol. I. N. 1543. ubi Dymaeorum θεοκόλος, qui alibi ἱερεὺς aut ἱεροθύτης, eponymus anni, nuncupatur. Scribam quoque urbs quaeque habuit peculiarem. Synedria autem cuique urbi tum demum constituta, quum synedria κατὰ ἔθνος communia Achaeorum, Boeotorum, Phocensium, ceterorum Graecorum, post eversam Corinthum sustulerunt Romani. Paus. VII, 16, 6. Arctiore quidem vinculo Achaiae decem urbes inter se colligatas et connexas fuisse quam quae externae accesserint probabile est, inprimis vero post illa tempora, quum denuo esset instaurata societas. Iure igitur reprehenduntur Dymaei, Pharaeenses et Tritaeenses non quod militem privatim conduxerint ad fines tuendos, sed quod in commune Achaeis contribuere recusaverint (Polyb. IV, 60.). Mansit tamen civitatibus ius res domesticas adornandi regendique et legatos ad gentes exteras mittendi, quamquam cum Romanis Achaei lege confirmaverunt, ne singularum urbium legati admitterentur (Paus. VII, 9, 3.). De bello autem gerendo paceve agenda penes unum Achaeorum conventum ex novi foederis legibus decernendi erat potestas, quum ante haec tempora haec quo-

que singularum civitatum essent (Thuc. II, 9. Paus. VII, 20, 3. Schorn. l. c. p. 54.). Singularum urbium iura quaedam fuisse peculiaria testantur narrationes de iure civitatis Calydoniis dato (Xen. Hell. IV, 6, 1. cf. Helving. l. c. p. 237.), de προξενίᾳ s. immunitate et ἀσυλίᾳ, s. praesidio adversus piratas, praestito non a κοινῷ τῶν Ἀχαιῶν, sed a singulis civitatibus. (Cf. Tittm. l. c. p. 769, cuius opinionem pro nostra ratione emendavimus.) Attamen, quantum ex Inscript. ap. Boeckh. Vol. I. N. 1542. colligo, etiam τὸ κοινὸν τῶν Ἀχαιῶν προξενίαν dedit aliarum civitatum singulis hominibus, inter Ol. 125 et 152.

Liber secundus.

Res Achaeorum ab Arati aetate ad Philopoemenis mortem.

Caput quintum.

Arati decem priores praeturae.

Priusquam in Achaeorum historia concinnanda describendaque progrediamur, paululum exspatiari liceat nobis, non quidem ad metam tendere oblitis, sed evagando etiam in deviis veritatem, quae lateat, indagandi quaerendique studiosis atque paratis. Quum enim non forte fortuna sed merito ita factum videatur, ut multi iique celeberrimi recentioris aetatis historiarum scriptores, Beckium equidem, Mansonem, Drumannum et Lucam, qui postremus dedita opera hanc historiae Graecae partem libro supra citato tractavit, intelligo, in veterum scriptorum narrationibus de singulis, quae ad Achaeorum historiam pertinent, rebus gestis atque hominibus, inprimis vero de Arato, offenderint, iam hic, etiamsi non optimo neque eo, quem maxime opportunum dicas, loco id fiat, accuratius inquiramus, quid in genere Graeci auctores, qui de Achaeis eorumque societate scripserunt, et Romanorum Livius,

non solum se traditūros professi sint, sed quid re vera praestiterint et absolverint. Sermo igitur erit faciendus de Polybio, Plutarcho et Livio, ne lectores, si transcriptas tantummodo ex hoc vel alio auctoris libro narrationes nostras deprehenderint, incertos dimittamus vel silentio fallamus atque adeo in errorem inducamus; quod ipsum Helvingius, vir ceterum ingenii admodum versatilis et narrator exercitatus, ut evitaret, operam fere nullam dedisse coarguetur.

§. 38.

Polybius.

Polybius Lycortae, praetoris Achaeorum post Aratum et Philopoemenem nobilissimi, filius, Megalopolitanus, Arcas, natus est inter annum 204 et 198 (A. U. 550 et 556, Ol. 144 vel initio Ol. 145), accuratius enim annus eius natalis definiri non potest. Iuvenis Philopoemenem sectabatur eiusque disciplina formabatur. In exsequiis Philopoemenis defuncti urnam portavit, 182 a. Chr.

Quum minor adhuc esset aetate legitima ad capessendam rempublicam decreta est ei cum patre legatio ad Ptolemaeum Epiphanem, Aegypti regem, 180 a. Chr. Inter res eius domi gestas, priusquam Romam evocaretur, hae recensentur.

Bello Persico cum patre Lycorta metu potentiae Romanorum primum censuerat neque Perseum neque Romanos ab Achaeis iuvandos. Praefectus deinde nominatus est equitum Achaeorum, qui auxilio destinabantur Romanis, 169 a. Chr. Eodemque anno legatus Achaeorum ad Q. Marcium consulem, bellum cum Perseo gerentem, missus est. Insequenti deinde anno Polybium equitum praefectum auxiliarium ab Achaeis petierunt Ptolemaei fratres, Aegypti reges, 168 a. Chr.

Iam sequitur vitae tempus Romae actum inde ab anno 166 a. Chr. Cum mille ex nobilissimis Achaeis ab Callicrate accusatis, quasi bello Persico parum Romanis favissent, Romam evocatus est Polybius, ubi ceteris exulibus per Italiae oppida divisis ipse rogatu Fabii et Scipionis, Ae-

milii Paulli filiis, veniam a praetore impetravit manendi. Inde arctiore consuetudine cum Scipione Aemiliano annos duodeviginti tunc nato contracta in contubernium eius concessit, 165 a. Chr., institutor tunc bonarum artium et coniunctissimus per reliquam omnem vitam comes et amicus. (Suidas v. Παναίτιος. Falso Fabric. Bibl. Graec. T. II. p. 406. et 409. Polybium Panaetii philosophi Stoici discipulum fuisse autumat.) Item Demetrium, Seleuci Syriae regis filium, Roma profugientem, ubi pro obside custodiebatur, consiliis suis regebat, 162 a. Chr. Polybii potissimum et Stratii caussa Achaei per legatos deprecati sunt apud Senatum Romanum pro reditu evocatorum, nec tamen impetrarunt, 160 a. Chr. Postea gratia sua apud principes Romanorum Polybius Locros levavit onere et sumtu militiae adversus Dalmatas, 157 a. Chr. Exulibus Achaeis intercedente apud Catonem Scipione in Polybii gratiam conceditur tandem anno decimo septimo, postquam evocati erant, reditus in patriam, 150 a. Chr.

Visendi studio ac veritatis cognoscendae, ut iudicare posset ea, quae de Hannibalis transitu per Alpes narrabantur, ipse Polybius iter per Alpes suscepit. (Cf. C. T. Reichard Hannibals Zug über die Alpen, 1832.) In peragranda Africa, Hispania, Gallia marique externo, quod illas regiones alluit, multa pericula adiit multosque labores exantlavit eo consilio, ut veterum ignorantiam circa illas partes corrigeret et illos quoque tractus orbis terrarum Graecis hominibus notos faceret. Utrum vero Scipionem ante primum consulatum stipendia passim facientem et nominatim in Hispania, 151 a. Chr., sub Lucullo tribuni militum munere fungentem comitatus Polybius sit, an post 150 a. Chr. demum Galliam Hispaniamque peragraverit non dixerim. Poterat certe priusquam etiam reditus in patriam concederetur Scipionem in expeditionibus in alias terrarum partes comitari, nam liberrimam eius custodiam apud Romanos fuisse satis apparet. Et in pluribus bellis comitem sociumque Scipionis eum fuisse diserte ait Arrianus in Tacticis (init.). Potuit vero etiam itinera illa suscipere Polybius postquam plenam nactus libertatem

turbata omnia domi in Achaia invenit et cives suos vidit consilia sua praefracte adspernantes. Quodsi integrae ad nos eius historiae pervenissent plura de vita eius sciremus. Consuli Scipioni 147 a. Chr. et initio anni 146 a. Chr. Carthaginem oppugnanti expugnantique comes ac socius bellicorum laborum affuit. Sub idem tempus Africae oram lustravit teste Plinio (H. N. V, 1.).

Post concessum Achaeis exulibus reditum in patriam ipse etiam Polybius in Achaiam rediisse videtur et popularibus suis de servanda inter se concordia et de colenda maiestate populi Romani ea consilia dedisse, quibus si paruissent calamitatem erant effugituri, in quam paulo post inciderunt.

Ab excidio Carthaginis ex Africa in Peloponnesum advolavit, ut opem aliquam ruenti patriae afferret. Ac videtur expugnata demum Corintho advenisse. Ibi tum apud imperatorem Romanum et decem legatos honores Arati et Philopoemenis, virorum de Achaeis immortaliter meritorum, defendit impetravitque, ut eorum statuae, quum iam ablatae essent, suis locis reponerentur. Quo nomine ipsi Polybio ab Achaeis marmorea statua posita est. Mox abstinentiae nobile edidit specimen. Post discessum legatorum Romanorum ex Achaia Polybius ex eorum mandato urbes Peloponnesi obiens controversias earum iudicavit, leges eis scripsit civitatesque ordinavit; in quo negotio ita se gessit, ut summo beneficio ab illo affectos omnes se profiterentur et certatim statuis aliisque honoribus eum prosequerentur.

Quae hic summatim carptimque de Polybii vita rebusque gestis adnotavimus, ut, priusquam de scriptis eius diiudicatio institueretur, ipsum virum cognitum haberemus, insequenti narratione suis locis ex antiquorum auctoritate accuratius exponentur.

Peregrinationem suscepit in Aegyptum regnante Ptolemaeo Physcone; ergo post annum 146 a. Chr., quo Physcon fratri Philometori in regnum successit. (Cf. Polyb. ap. Strab. cuius verba retulit in Reliq. Hist. Polyb. XXXIV, 14. Schweighaeuserus.) Crederes comitatum fuisse Scipio-

nem suum in illa legatione, quam ad inspicienda sociorum regna obivit, nisi Panaetium unum omnino tunc Scipioni comitem fuisse Cicero (in Acad. Quaest. II, 2.) doceret. Legatio ista, quam Simsonius in Chronico Universali Valerium Maximum secutus in annum Urbis 624 (130 a. Chr.) coniecit, rectius, ut videtur, a Freinshemio (in Supplem. Liv. LIII, 19. sqq.) ad consules anni 611 (143 a. Chr.) relata est, quandoquidem ante censuram obiisse eum Cicero (l. c.) scribit; censorem autem fuisse Scipionem A. U. 612 (142 a. Chr.) ex marmoribus Capitolinis Pighius docet. Fuerit ergo fortasse Polybius A. U. 611 (143 a. Chr.) in ordinandis Achaiae civitatibus adhuc occupatus. Ceterum de eadem Scipionis legatione Polybium aliquo loco verba fecisse discimus ex Athenaeo (VI. p. 273. qui locus legitur in Fragm. Polyb. N. LXIII. ap. Schweigh.).

Anno Urbis 620 (134 a. Chr.) Scipionem iterum consulem videtur in Hispaniam esse comitatus indeque occasionem cepisse belli Numantini historiam perfecto iam reliquo historiarum perpetuarum opere memoriae prodendi. (Cf. Cic. ad Famil. V, 12.)

De obitu Polybii haec Lucianus (in Macrob. c. 23. T. III. ed. Hemsterh. et Reiz. p. 225.): *Πολύβιος, ὁ Λυκόρτα, Μεγαλοπολίτης, ἀγρόθεν ἀνελθών, ἀφ' ἵππου κατέπεσε, καὶ ἐκ τούτου νοσήσας ἀπέθανεν ἐτῶν δύο καὶ ὀγδοήκοντα.* Mortuus igitur videtur esse circa annum 120 a. Chr.

Scripsit Polybius historiarum magnum opus, s. historiam universalem quadraginta libris comprehensam, ut testantur Stephanus B. (v. *Μεγάλη πόλις*), Suidas (v. *Πολύβιος*) et Eudocia (p. 351. Polyb. III, 32, 2.). Porro de vita et rebus gestis Philopoemenis tres libros separatim eum edidisse, priusquam universam historiam conscriberet, ex ipso discimus historiarum libro X. c. 24. Belli quoque Numantini eum historiam composuisse Cicero loco supra citato testatum reliquit. Commentariorum suorum *περὶ τὰς τάξεις* ipse mentionem fecit Polybius lib. IX. c. 20. (Cf. Arrian. et Aelian. in Tacticis initio.) Denique de habitatione sub aequatore libelli Polybiani meminerunt Ge-

minus in *εἰςαγωγῇ εἰς τὰ φαινόμενα* c. 18. in Petavii Uranologia s. de doctr. tempor. T. III. p. 81. Strab. II, p. 96. sq. et Achilles Tatius in Isagoge in Phaenomena c. 31.

Ingenium Polybii philosophicum satis elucet ex ratione, qua historiam tractavit; eoque nomine laudatur a Strabone (I. p. 2. et p. 14.), meritoque Velleius Paterculus (I, 13.) praecellentem ingenio virum appellat. *Ἀνὴρ πολυμαθής*, vir multifariae eruditionis, vocatur Polybius ab Aeliano (Tact. c. 1.), tam vere quam concinne multiplicem doctrinae copiam designante, qua exornatum fuit huius viri ingenium. Abunde enim vel reliquiae illae, quae de scriptis eius supersunt, declarant, nullam fere esse artem paulo nobiliorem aut scientiam ad vitae usum cultumque pertinentem, qua non probe fuerit imbutus. (Cf. Schweigh. T. V. p. 3—28. Lucas Ueber Polybius Darstellung des Aetolischen Bundes init. Dissertat. mea Ueber Polybius Darstellung des Achäischen Bundes in Ephemeridibus Iahnianis Tom. suppl. I. Fasc. 2. p. 253—280.)

Haec in universum de Polybio coniunctim hic inserenda simulque absolvenda duximus, quum historiarum argumentum, in quo componendo occupati sumus, minus aptam officii exsequendi praebeat occasionem erga virum de Achaeis non solum, verum de omnibus etiam, qui vel de limine antiquitatis studia salutaverint, egregie meritum. Quae vero reliquae sunt quaestiones de tempore, quo scripserit, de argumento, quod et quomodo tractaverit Polybius, etiamsi a Schweighaeusero et Luca ita habitae atque institutae videantur, ut vix quidquam addi his aut detrahi possit, tamen, quum utrumque in diversas abiisse partes notum sit, iam nos quoque operae pretium facturos arbitramur, si, expensis diiudicatisque utriusque rationibus, utrumque aut revocare in concordiam, aut alterius utrius sententiae accedere, aut denique nova ratione inita, rem totam, suspensam adhuc atque ambiguam, stabilire atque extra dubitationem ponere potuerimus.

1. Tempus, quo scripserit Polybius historias suas.

Ac Schweighaeuserus quidem ad Polyb. II, 38, 4: „Ceterum, inquit, quod in tota disputatione, quam de Achaeis instituit Polybius, ita loquitur de Foedere Achaico, tanquam stante adhuc atque florente (cf. c. 37, 10. sq. et c. 62, 4. rursusque lib. IV, c. 32, 9. sq.), satis hinc intelligitur, scripta editaque haec a Polybio esse ante Bellum Achaicum, atque adeo omnino ante novam illam rerum conversionem, quam parte posteriore propriae et uberioris suae historiae, novo scribendi initio sumto (ut ait III, 4, 13.) exponendam suscepit. Cum quo convenit, quod initio libri primi, ubi primum institutum suum et argumentum historiarum suarum exponit, velut ignorans etiam tum, quae post gesta sunt, historiam suam usque ad exitum belli Persici, quo ad summum fastigium evecta tunc erat potentia Romanorum, se perducturum professus est. Confer quae initio harum Adnotationum diximus in Argumento universae historiae Polybianae, et quae dicentur ad II, 64, 4. Quare simul intelligi debet, ea, quae dixit cap. 3. et 4. libri tertii, et si qua forte alia priori parte historiarum, aut praeparationi huic, quae lib. I. et II. continentur, inserta sunt, quae posteriora tempora redolere videantur, ea postliminio demum adiecta ab auctore fuisse, quum novam historiarum suarum editionem, posteriori parte auctam et usque ad belli Achaici exitum perductam, in lucem esset emissurus.“

At Schweighaeuserus neque initio adnotationum suarum, neque ad II, 64, 4. harum rerum ullam fecit mentionem. Sed ad II, 40, 1. ad Polybii verba: *ἧς ἀρχηγὸν — Ἄρατον νομιστέον — ἀγωνιστὴν καὶ τελεσιουργὸν τῆς πράξεως Φιλοποίμενα — βεβαιωτὴν τοῦ μόνιμον αὐτὴν ἐπὶ ποσὸν γενέσθαι Λυκόρταν καὶ τοὺς ταὐτὰ τούτῳ προελομένους ἄνδρας·* haec adnotavit: *ἐπὶ ποσὸν* non solum est *aliquamdiu*, sed et *aliquantum, nonnihil*; ac temperat utique Polybius ac minuit quodammodo adiectis verbis *ἐπὶ ποσὸν* vim verborum *μόνιμον γενέσθαι*, significatque, eo tempore, quo haec scripta sunt, non amplius eam stabilitatem ac firmitatem habuisse foedus Achaicum,

ad quam sub Philopoemene pervenisse videbatur. Continuerat illud quodammodo et nonnihil etiam firmaverat Lycortas Polybii pater; sed sane post bellum Persicum, quum iam multa Romani pro auctoritate agerent cum Achaeis, quamquam stetit adhuc foedus Achaicum, tamen non nimis porro firmitatis habebat et haud ita diu amplius duraturum videri poterat. Itaque et sect. 6. huius capitis, ubi de florente statu huius foederis loquitur, verbo utitur in tempore praeterito ἐν ᾧ καθ' ἡμᾶς ἦν, et libro IV, 32, 9. deos precatur, ut praesens Peloponnesi status possit συμφῦναι, id est coalescere et firmitatem aliquam stabilitatemque obtinere. Monuit insuper Schweighaeuserus Casauboni illorum verborum interpretationem: *ut etiam in posterum aliquamdiu saltem res duraret,* falsam esse; nihil est autem, inquit, in Graecis, cui respondeat Latina particula *saltem,* quam deletam malim, ne quis suspicetur, scripta haec demum esse post bellum Achaicum, dissoluto foedere Achaico. At quid tandem lucri nascitur permutatis particulis istis: aliquantum, nonnihil, aliquamdiu? foedusne Achaicum adhuc durasse, quum ea scriberet Polybius? At ipse auctor §. 6. contradicit verbis: εἰς ταύτην ἦλθε τὴν συντέλειαν, ἐν ᾗ καθ' ἡμᾶς ἦν, ὑπὲρ ἧς κατὰ μέρος ἀρτίως εἶπον· ad eam perfectionem tandem pervenit, quam nostra aetate vidimus, et de qua iam paulo antea nonnihil commemoravimus. Vidit igitur Polybius Achaeorum societatem omnibus suis numeris et partibus perfectam atque expletam; numne, si modo utraque sententia eodem tempore scripta sit eamque rerum Achaicarum conditionem exponat, quae, quum haec scriberet auctor, obtinuit, Polybium primum de nutante foedere ac vacillante, deinde paulo post de firmo absolutoque loquentem coniiciamus?

Lucas vero (l. c. p. 15.) quum, ut suam de primis Polybii historiarum duobus libris ante Corinthi excidium conscriptis sententiam stabiliret, demonstrasset, vocabula ista ἐπὶ ποσὸν non ita esse explicanda, ut fecerint Casaubonus et Schweighaeuserus, sed valere nostratium einigermassen, Latinorum aliqua ex parte, aliquatenus, Helvingius (l. c. p. 75. Not. 10.) hanc Lucae interpretatio-

nem unice rectam esse contendit. Verum Lucas quum paucos tantum locos afferat, ubi *ἐπὶ ποσὸν* alteram s. tertiam illam habeant significationem, unum addubitatum (II, 47.), alios, qui *κατὰ ποσὸν* exhibent, Lycortas vero quater Achaeorum praetor fuerit, iam nihil impedire videtur, quominus hunc virum Achaeorum rempublicam aliquamdiu, auf einige Zeit, administrasse existimemus atque confirmatam adversus hostiles impetus tenuisse. Bene igitur Schornius (l. c. p. 65.) haec ita interpretatus est: Lykortas kämpfte *geraume Zeit* mit Glück dem Verfall entgegen. Atque adeo Lucas ipse non imposuit vel invitis nobis demonstrando necessitatem huius suae significationis, quam hoc tantum in loco adhibendam coniungendaque vocabula *ἐπὶ ποσὸν* non cum verbis *μόνιμον αὐτὴν*, sed cum *βεβαιωτὴν γενέσθαι Λυκόρταν* opinatur, quum de patre suo et fortasse de se ipso auctor verecunde haec scripserit, nusquam tamen in his prioribus libris duobus excidii Corinthi mentionem iniecerit. At his coniecturis tamque difficili vel exquisito interpretandi genere quid tandem efficitur? difficultates cumulantur difficultatibus, neque tamen certa quadam sententia substructa ad finem itineris via munitur.

Sed redeamus ad Schweighaeuserum, a quo divertit narratio.

Eo loco (IV, 32.), quem supra citavit Schweighaeuserus, Polybius belli socialis initium exponit additque, ubi Messeniorum meminit, *εἴη μὲν οὖν οἱονεὶ συμφῦναι τὴν νῦν ὑπάρχουσαν κατάστασιν Πελοποννησίοις, ἵνα μηδενὸς δέῃ τῶν λέγεσθαι μελλόντων. ἐὰν δέ ποτε κίνησιν καὶ μετάστασιν σχῇ ταῦτα·* iam opto equidem, ut, qui nunc est rerum status in Peloponneso, ita coalescat, ut iis, quae dicam, nihil sit opus. Sed si quis aliquando motus aut mutatio status contigerit, cet. In notis adiecit: Eum statum, puto, dicit, quo et Messene rursus et Sparta etiam in Foederis Achaici societatem erant receptae; de quo vide librum XXIV, 12. XXV, 1. sq. et III, 3, 7. Quare intelligitur, scripta haec esse a Polybio ante eversam Corinthum et foederis Achaici dissolutionem. Hinc sequitur,

priorem Polybianarum historiarum editionem statim post annum 573 U. C. (= 181 a. Chr.) ponendam esse, quo anno Lacedaemonii post Philopoemenis obitum Achaeorum societati accesserant. Haec vero se opinatum tantum esse atque coniecisse ipse declarat Schweighaeuserus. Nam ex ipso illo loco tantum apparet, tum, quum Polybius haec scripsit, Messenios tutos a Lacedaemoniorum incursionibus tranquilla bonorum suorum possessione esse gavisos. Sed si quis aliquando motus aut mutatio status contigerit unicam spem superesse Messeniis et Megalopolitanis in agri sui possessione posthac manendi se videre dicit Polybius, si cum Arcadibus, velut naturalibus servatoribus ac defensoribus suis, Messenii societate iuncti omnium temporum omniumque rerum sinceram colant eam societatem.

Iam revertimur ad priorem Polybii locum (II, 38, 4.), ubi de Achaici foederis celebritate loquitur: *πῶς οὖν καὶ διὰ τί νῦν εὐδοκοῦσιν οὗτοί τε, καὶ τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν Πελοποννησίων, ἅμα τὴν πολιτείαν τῶν Ἀχαιῶν καὶ τὴν προσηγορίαν μετειληφότες*; qui igitur factum est, ut nunc et hi ipsi (Lacedaemonii et Arcades) et reliqui omnes per Peloponnesum populi bene secum actum putent, quod cum Achaeis et in reipublicae et in nominis societatem coaluerint? Defendit ibi Schweigh. lectionem antiquiorem *εὐδοκοῦσι*, contenti sunt, quae statim §. 7. occurrit, indeque concludit tum, quum haec scripsit Polybius, Achaeorum foedus adhuc non esse dissolutum, anno scilicet 573 U. C. quum Lacedaemonii sese Achaeis adiunxerant. Casaubonus autem eam lectionem secutus est, quam Strabo in editione sua Polybii reperit, *εὐδοκιμοῦσι*, quam interpretatur: famam obtinent. Qua quidem mutatione totum labefactatur Schweighaeuseri argumentum, ut haec quoque verba nihil amplius valere videantur, quam quae leguntur c. 37, 10: *τοιαύτην καὶ τηλικαύτην ἐν τοῖς καθ᾽ ἡμᾶς καιροῖς ἔσχε προκοπὴν καὶ συντέλειαν τοῦτο τὸ μέρος, ὥστε μὴ μόνον — κοινωνίαν γεγονέναι* cet. Qui omnes loci de eo tempore intelligendi sunt, quo Achaeorum rerum publicarum partem aliquam attigit Polybius.

Reliquus est unus locus (II, 62, 4.), ubi Schweighaeusero Polybius de Achaeorum societate adhuc durante loqui videtur. Verba auctoris haec sunt: ἀλλ' ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς καιροῖς, ἐν οἷς πάντες ἓν καὶ ταὐτὸ λέγοντες, μεγίστην καρποῦσθαι δοκοῦσιν εὐδαιμονίαν, ὅμως ἐκ Πελοποννήσου πάσης κ. τ. λ. sed nostris hisce temporibus, quando in summa omnes concordia viventes maximam consecuti opulentiam videntur, tamen ex Peloponnesi totius cet. Hoc quoque loco Polybium de eo tempore loqui opinatur Schweighaeuserus, quo inde ab A. U. 573 usque sub annum 606 (cf. XXV, 1. sq. et III, 3, 7. et 5, 6.) omnes Peloponnesi populi, et in his Messenii etiam et Lacedaemonii, foederi Achaico fuerint adscripti. Quo tempore ex Romanorum quidem nutu et arbitrio multis modis pependerint, ac deinde post bellum Persicum multi etiam ex nobilissimis Achaeorum, Romam evocati, in vinculis egerint in Italia; sed tamen suis legibus, suis institutis vixerint in Peloponneso Achaei, nec tributum ullum Romanis pependerint, et ceteroquin sic satis laeto et florenti statu fuerint res Achaeorum. Optabilis sane ac laudabilis rerum publicarum apud Achaeos conditio, admirabilis profecto concordia! At quid impedit, quominus haec eadem de Achaeorum illo statu dicta esse existimemus, quum Corinthus iam eversa, foedus Achaicum iam dissolutum esset et communi quasi quodam servitio Achaei tenerentur? nonne id ipsum verba δοκοῦσι καρποῦσθαι evincunt?

Locus autem ille Polybii, quem ad II, 38, 4. innuit Schweighaeuserus, ab eodem in Argumento p. 106. indicatus est hic I, 1, 5. ubi Polybius in laudem historiarum suarum haec affert: Τίς γὰρ οὕτως ὑπάρχει φαῦλος ἢ ῥᾴθυμος ἀνθρώπων, ὃς οὐκ ἂν βούλοιτο γνῶναι, πῶς καὶ τίνι γένει πολιτείας ἐπικρατηθέντα σχεδὸν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην οὐχ ὅλοις πεντήκοντα καὶ τρισὶν ἔτεσιν, ὑπὸ μίαν ἀρχὴν ἔπεσε τὴν Ῥωμαίων; At neque hoc neque alio loco, quem excitat Schweighaeuserus IV, 74, 8., id certe, quod voluit, demonstrari postest. Id nimirum agit priore horum locorum Polybius, ut, demonstrata ratione et rerum administrandarum genere, quo

universus prope orbis terrarum sub imperium populi Romani fuerit redactus, id demum tempus tanquam universalis historiae inchoandae aptissimum accommodatissimumque lectoribus commendet eosque simul consilii sui admoneat, minime vero, ut, quae Schweighaeusero videbantur, horum quinquaginta trium annorum, inde ab Olympiade 140 ad finem usque belli Macedonici, historiam se compositurum esse profiteatur. Tertio demum et sequentibus capitibus de initio historiarum suarum loquitur, neque tamen addita temporum certa terminatione, quam quarto demum capite libri tertii proponit. Duo enim Polybii priores libri quum quasi praeparationem quandam tertii contineant, consilii tantum et historiarum initii expositionem, ut ita dicam, generalem exhibent. Quomodo igitur Schweighauserus concludere potuit: scripta haec ante bellum Achaicum atque adeo omnino ante novam illam rerum conversionem, quam parte posteriore propriae et uberioris suae historiae, *novo scribendi initio sumto*, ut ait III, 4, 13., exponendam susceperit? Verba Polybii illa ὑπὲρ ἧς, διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἐν αὐτῇ πράξεων — προήχθην, οἷον ἀρχὴν ποιησάμενος ἄλλην, γράφειν· Schweighaeuserum induxisse videntur, ut alteram partem inde a libro tertio seriori demum tempore conscripsisse et duplicem historiarum suarum editionem Polybium curasse existimaret. At Polybius disertis verbis declarat, se finito demum bello Macedonico rerum conditionem Graeciamque quomodo oppressa sit descripturum veluti altera historiarum suarum parte, quum priore demonstrasset, qua ratione et quando Romani universum prope orbem terrarum in potestatem suam redegerint. His vero ita adversatur Schweighaeuserus, ut opinetur, hanc explicationem aliosque passim locos primi et secundi libri, ubi Graeciae servitutis foederisque Achaeorum dissolutionis mentionem fecerit auctor, ab eodem tum demum esse insertos, quum novam operis editionem exhibuerit. Quid igitur, licet istam Schweighaeuseri opinionem veram dicamus, consequetur inde? Polybium sane non valuisse iudicio et vituperandum esse, quippe qui, sententiis notulisve serius interpositis, operis sui con-

silium atque rationem, quam inierat, conturbaverit et contrariis contradicentibusque sibi iudiciis de Graecorum conditione lectores suos obturbaverit atque perverterit; praesertim quum omnes istas contradictiones, repugnantias et reclamationes facili negotio tollere ac delere potuisset. Quare Schweighaeusero opinionis suae nullum manet argumentum, quae speciosiora magis quam veriora protulisse deprehenditur.

Locus autem Polybii ille (III, 5.), quem sine ulla praetermisit animadversione: Ceterum indulgentia fortunae opus est, ut ad finem usque operis suscepti vita nobis suppeditet; verum tamen si quid humanitus nobis contigerit, equidem persuasum habeo non neglectum iri hoc argumentum, nec defuturos illi viros idoneos; scriptorem nobis grandaevum fuisse depingit, quum haec scriberet. Corinthus autem deleta est A. U. 609, quo anno Polybius ex Casauboni computandi ratione sexagesimum primum ageret aetatis annum. Sexagenarium denique auctorem animus ad morum praecepta fundenda ingerendaque proclivis, garrulitas ac loquacitas, et molesta scribendi generis neglectio satis luculenter testantur. Quae eadem fuit sententia viri Itali, cuius librum Schweighaeuserus cognitum non habuisse videtur: Nouvelle decouverte dans l'histoire litteraire sur Polybe, par Mr. Gaudio, Docteur en Droit et çi-devant Professeur de la même Faculté dans l'Academie royale de Naples, à Berlin 1758. 8. (Cf. Dionys. Halic. de compos. verbor. c. 4. ap. Schweigh. T. V. p. 20.)

Ac Schweighaeuserus quidem ipse istam opinionem de duplici historiarum Polybii editione, cuius tamen nusquam mentionem factam reperi, paulo videtur immutasse, quum in vitae Polybii (T. V. p. 14.) descriptione dicat: Post haec (merita in patriam post reditum) historiarum spissum opus iam multo ante partim praeparatum, partim etiam fortasse inchoatum, perfecit. Polyb. III, 1—5. Optime vero huius viri sententiam refutaverunt Censor edit. Schweighaeus. in Neue allgem. Deutsch. Bibl. T. V. p. 17—23. et nuperrime Lucas l. c. p. 22. et 23. quamquam posterior ne-

scio quo errore deceptus haec Schweighaeuserum de Polybii libris altero et quarto affirmasse scribit.

Dissentit a nobis Lucas, quem opusculo monographo Polybii Aetolorum historiam narrandi rationem examini critico subiecisse notum est; cuius quidem libri parte priore auctor doctissimus de Polybii vita, historiarum consilio, tempore, quo conscriptae sint, num potuerit et voluerit vera narrare Polybius, diligenter atque ingeniose disputat. Consentimus de consilio historiarum Polybianarum (cf. Lucas l. c. p. 6—11.), quoniam auctor id ipsum dedita opera saepius indicavit; scilicet lib. I, c. 3, 8. Ne quis forte, inquit, haereat et quaerere incipiat, quibus tandem consiliis quibusve viribus atque opibus instructi Romani ad eiusmodi incepta animum adiecerint, per quae et terram et mare nostrum universum potestati suae subiecerunt, sed ut intelligant lectores, sane quam probabiles fuisse Romanis rationes et idonea praesidia, ut et animo conciperent et ad extremum consequerentur imperium hoc et orbis terrarum dominatum. (Cf. I, 1, 5. quem locum supra ipsis verbis transscripsimus; III, 1, 4. VIII, 4, 3. 4. Niebuhr. Roem. Gesch. T. I. p. 10. sqq. et Becker. Vorarbeiten zu einer Geschichte des 2. Punischen Krieges, qui loci a Luca l. c. p. 32. citantur. Comparativam quam dicunt narrationem historiarum instituerunt etiam Dionysius Halicarnassensis Antiqq. Rom. I, 2. 3. et Appianus Histor. Rom. praef. c. 8—11.) Graecis igitur, popularibus suis, Polybius demonstrare voluit, Romanos non forte fortuna, sed constantia ac perseverantia, consilio, institutis rebus gerendis accommodatis, indefessa denique legum institutorumque conservandorum, apte conformandorum fideliterque exsequendorum attentione, orbis tunc noti terrarum consecutos esse imperium atque dominationem.

Sed iam quid de tempore, quo Polybius historiarum opus condiderit, Lucas sentiat videamus.

Primum igitur post annum 167 a. Chr. Polybium scripsisse contendit, eiusque sententiae nos quoque promtos nactus est subscriptores. Deinde internum quasi quoddam discrimen, quod inter priores duos libros (τὴν προ-

κατασκευήν, I, 3, 10. 13, 1. II, 37, 2. cet.) et duodequadraginta posteriores (τὴν ἰδίαν καὶ ἀποδεικτικὴν ἱστορίαν, II, 73.) intercedit, postulare opinatur, ut Polybium priores illos ante Corinthi eversionem composuisse, hos vero posteriores excisa demum Corintho Achaiaque in provinciae formulam redacta et mutato quidem scribendi consilio condidisse statuamus, Positum autem esse illud discrimen in iis laudibus animique calore ac fervore propemodum, quibus Romanos eorumque res gestas atque gloriam prosequatur (I, 4, 4. 5. 20, 11. 12. 83, 5. 11. 88, 8—12. coll. III, 15, 10.), nec minus contineri iis sententiis, certe non ab omni parte tristibus, quas de patriae conditione non illa quidem prorsus nubila ac moesta tulerit (II, 37, 8. 62, 4. coll. 42, 3—6. cet.); quae omnia minus hilarem speciem inde a tertio libro quum induerint ac prae se ferant (Lucas l. c. p. 16—22.) certo demonstrare, auctorem et minus benevolum Romanis et moerore de patriae deteriore conditione offuso tanquam lugentem officio historiarum conscribendarum satisfecisse, animique affectibus non solum indulsisse nimium sed etiam succubuisse, quibus nec veterum Thucydides et Tacitus, nec recentiorum Iohannes Muellerus impares fuissent (Luc. l. c. p. 13.).

Assentior equidem de discrimine, non illo quidem propterea orto, quod Polybius scribendi consilium aut mutaverit, aut alteram operis partem ante annum 146, rebus Achaeorum adhuc laetis ac stantibus, alteram post hunc annum exaraverit; hoc enim Polybius, ni fallor, vel verbo indicaverit; sed ipsae res gestae earumque narratio tale discrimen vel invito scriptore excitavere. Scilicet libris prioribus duobus exponit brevissima quidem nec tamen minus accurata narratione res ante Ol. 140 gestas, ut lectoribus hac introductione imaginem rerum ante actarum proponat eosque admonitos ac praeparatos eo feliciore successu velut in theatrum spectaculumve rerum postea consecutarum inducat. Audiamus ipsum auctorem, ut demonstrasse potius, quam coniectasse haec videamur. „Quorsum, inquit (II, 71, 1. 2.), Cleomenicum istud bellum pluribus est a nobis expositum? Quia nimirum, quum haec

tempora iis connexa essent, quae sumus ex professo uberius enarraturi, utile, imo vero necessarium duximus, si modo vellemus implere, quod initio polliciti sumus; ut, qui tunc temporis esset status Macedonum et Graecorum, ostenderemus.“ Et rursus §. 7. sqq. „Iam nos vero postquam Introitum et Praeparationem totius Historiae nostrae hactenus persecuti sumus; qua exposuimus, quando et quomodo et quibus de caussis Romani, post Italiam universam devictam, primum extra Italiam arma promovere et de maris imperio cum Carthaginiensibus certare sint ausi; ad haec, quis fuerit tunc apud Graecos, apud Macedones, et apud Carthaginienses quoque, rerum status, declaravimus; nunc, ubi ad haec ipsa pervenimus tempora, quorum Historiam ex primo nostro instituto perscribendam suscepimus (cf. I, 3. sq.); quibus temporibus Graeci Bellum Sociale, Romani Punicum secundum, reges Asiae Coelesyriacum bellum meditabantur; librum hunc in superiorum bellorum fine et obitu principum, qui illa administrarunt, commode terminaverimus.“

Quae narrationes nisi praemissae essent ridiculum sane erat scribere Polybium initio libri tertii (c. 1, 1.): „Principium Historiae nostrae ponere nos Sociale Bellum et Hannibalicum, tum illud, quod de Coelesyria est gestum, primo totius operis libro, qui tertius ab hoc est, declaravimus: caussasque etiam ibidem aperuimus, cur repetitam altius superiorum temporum historiam duobus libris, qui hunc praecedunt, simus persecuti. Nunc ad illa ipsa bella commemoranda et caussas simul demonstrandas propter quas et conflata ab initio fuere, et postea tam ingentia evasere, nos accingemus, si pauca prius de instituto opere fuerimus praefati.“ Praefationem vero etiam librorum priorum duorum in fronte posuerat, sibique constans idem repetit, ubi iam in eo est, ut opus ipsum incipiat.

Quam ob rem ut nemo est, qui Thucydidem librum suum primum ante bellum Peloponnesiacum composuisse contendat, sic iam neminem fore puto, quin facile concedat, Polybium quoque utramque operis sui partem uno et perpetuo tenore absolvisse.

Coniecturas vero quod attinet, quibus maiorem disputationis suae partem superstruxit Lucas, quum ne auctorem quidem earum pertinaciter iis insistentem videamus, quippe qui explicationem suam vocabulorum ἐπὶ ποσὸν (l. c. p. 15. de quibus supra egimus) incertam fluctuantemque, et comparationem Polybii cum Thucydide, Tacito, Muellero vanam ac temere potius tentatam esse, ipse viderit, lubenter missas facimus. Quid enim impedit, quominus scriptorem ceterum veritatis amantissimum animi etiam affectibus parem fuisse eosdemque felici successu coercuisse arbitremur. At est sane quaedam argumentandi ratio, quae, si unum alterumve concesseris, sensim procedendo, singulis singula, etiamsi falsa fuerint, subiungendo, vel invitum irretiat incautumque fallat. Quare iam attendas, ne, quae et de consilio et tempore et argumento historiarum Polybianarum circumferuntur, in eum te errorem inducant, ut summis profecto parem historiographum fidem veritatemque laesisse vel nolens affirmes.

2. Argumentum operis Polybiani.

Polybii narrationes historiaeque describendae rationem quod attinet, nemo sane erit, quin eas tanquam primarios illius temporis historiarum fontes iudicet, praesertim quum Polybius ipse ante annum CLXV. summam rerum Achaicarum administraret ac moderaretur, neque solum audiendo vel legendo res tum gestas perciperet, sed propriis, ut ita dixerim, oculis inspiceret praesensque cognosceret; neque erit profecto quisquam, quin, qui cognita considerataque Lucae, doctissimi viri, diligentia, quam huic Polybiani operis parti impendit, meamque insuper dissertatiunculam (Ueber Polybius Darstellung des Achäischen Bundes) inspexerit, infitias ire conetur, eundem Polybium et externis et internis, quae dicuntur, subsidiis satis fuisse instructum ad conscribendam illorum temporum historiam, neque solum in praefatione operis sui (I, 2, 4.), sed etiam in opere ipso (III, 32. cet.) promissam pragmaticam, quae vocatur, historiam eamque *καθολικὴν καὶ κοινὴν ἱστορίαν* (VIII, 4, 11. coll. III, 32, 5. 8—10.) nuncupatam, quae in rerum gestarum ratione atque caussis

sermonis ac paulo festinantius, non tamen sine veritatis studio conscriptos esse dicat, siquidem, quae ab aliis fabulosa tradita essent, ab Arato omissa sint. Perstringit Aratum ob convicia, quibus reges sui temporis, Antigonum inprimis Gonatam, laceraverat. Non assentitur Arato (c. 33.) in iis, quae de tentata Athenarum expugnatione narrat. Neque tantum ei tribuit, ut alios negligeret; plures enim eum consuluisse diversis locis invenimus, Polybium (c. 38.), cuius summum apud eum fuisse nomen inde apparet, quod, ubi Polybius ab Arato discederet, illius auctoritatem praeferret. Et recte quidem; Aratus enim de rebus a se gestis scribens potuit ille quidem multa vel silentio praeterire, vel, ubi reprehensiones vereretur, cordi animoque suo obsecutus, benevolentius atque candidius proponere; quam ob rem nec Phylarchi auctoritatem negligit, cui tamen, nisi accedat Polybius, parum fidei habendum esse monet. Diniae quoque Argolica (c. 29. cf. Manso Spart. III. p. 134. Not. 6. Lucas l. c. p. 73. sqq.) et Polemonis περὶ τῶν ἐν Σικυῶνι πινάκων scripta (c. 13. Athen. XIII. p. 567.) cognita habuit.

Iidem Arati commentarii in Agidis et Cleomenis vita primo loco inter Plutarchi fontes ponendi sunt (cf. Ag. c. 13. Cleom. 5. 26. 30.). Consultavit tamen praeter hos commentarios Batonem quoque Sinopensem (vit. Ag. c. 15.), Sphaeri Borysthenitae, Cleomenis praeceptoris, περὶ τῆς Λακωνικῆς πολιτείας scripta (Athen. IV. p. 141.), Polybium et Phylarchum, quem in historia scribenda id maxime sibi propositum habuisse, ut animi affectus excitaret atque veritatis interdum ratione parum habita ad commiserationem lectores raperet, ex Polybii lib. II. c. 56. sqq. novimus. Nec tamen sine iudicio critico Plutarchus Phylarchi, qui acerrimum quidem, non tamen iniquum iudicem nactus est in Polybio (quam Heerenii sententiam fugisse Lucam l. c. p. 54—57. miror), scriptis usus est. In Arati enim vita reprehendit Phylarchum, quod Cleomenis nimium studiosus, hunc laudibus in coelum tulerit, iniustus contra in Aratum criminationes temere cumulaverit.

Philopoemenis res gestas praeter Plutarchum exposuit quoque libro octavo (c. 49—53.) Pausanias, ita tamen, ut comparatione instituta, non solum ex communi ambo fonte, Polybii scilicet tribus de Philopoemene libris (Polyb. X, 24, 5. sq.), sed Plutarchus etiam pleniori ore hausisse videantur. Verum praeter hunc Polybii librum consuluit Plutarchus Aristocratis, incertae aetatis auctoris, *Λακωνικά* (Athen. II. p. 82.). Quorum utrumque fortuna nobis invidit.

T. Quinctii Flaminini vitam quum perscriberet Plutarchus ad manus ei erant Polybius, Iuba et Livius, qui bellum Macedonicum primum descripserant. Narrationem de proelio ad Cynoscephalas commisso ex Iubae auctoritate composuisse videtur. Praeter hos Valerium Antiatem et Sempronium Tuditanum citavit.

In Aemilii Pauli vita describenda secutus est Plutarchus Polybium, quem ipse corrigit quoque, eiusque in his rebus exponendis asseclam assiduum Livium, testesque duos oculatos Scipionem Nasicam et Posidonium quendam, Persei regis aequalem et comitem in bello Romano.

Quibus omnibus perpensis, inter se comparatis atque sine partium studio diiudicatis iam ad quaestionem, utri horum scriptorum, Polybione an Plutarcho, maior sit fides attribuenda, facillime respondere potueris. Plutarchus enim quum aeque ab Achaeis et Arato atque a Cleomene et Spartanis, Flaminino, Philippo, Aemilio Paulo, Perseo, Macedonibus et Romanis illius temporis tum patria tum aetate remotus summa diligentia in eligendis scriptoribus versatus sit, electorum vero testimonia sincera nobis atque infucata reddiderit, doctrinam suam immensam nobis, vividissimum pulchri rectique sensum, libertatis publicae amorem, ingenium denique iudiciumque historiae simul et philosophiae studio subactum probaverit (cf. Heeren. l. c. p. 190.), propterea, quantum nostra quidem fert opinio, praeferendus etiam est Polybio et genere et aetate quum maxime Achaeo, et Livio, qui priorem illum praeeuntem sedulo subsecutus est. Cui quidem sententiae nostrae quomodo satisfecerimus insequens docebit narratio.

Operae sane pretium est quae Schornius (l. c. p. 81.) de Plutarchi et Polybii ratione chronologica monuit cognoscere, quare lectores ad illum librum ablegatos habebimus.

§. 40.

Livius.

His duumviris de Achaeorum historia optime meritis accedat insuper tertius, Livius, quoniam de reliquis omnibus, qui notulas quasi quasdam passim dispersas velut adspersisse videantur, de Diodoro Siculo, Trogo Pompeio eiusque epitomatore Iustino, Appiano, Eusebio, Zonara, Athenaeo, Dione Cassio (quem alii Cassium Dionem fecerunt), Photio, Suida, Aurelio Victore, Eutropio, Floro, Frontino, Gellio, Orosio, Plinio maiore, Velleio Paterculo, sermones fundere longiores nihil attinet.

Ac de Livio quoque quae in usum nostrum dicenda sunt paucis absolvam, ne post egregiam Friderici Lachmanni curam, quam duabus commentationibus huic navavit scriptori, in rebus prolixius iam definitis et ad liquidum plane perductis frustra operosus videar.

Quae vero huc pertinent ex altera commentatione sunt paragraphi quinta, sexta, vigesima secunda et quae sequuntur, qui accurate exposuit, Livium, etsi in rebus aliarum gentium gestis describendis alios multos auctores secutus sit, in enarranda tamen Graecorum historia unum sibi Polybium elegisse, quo duce et quasi filo quodam sic uteretur, ut per prolixam multorum annalium narrationem, veluti per vastum historiae campum oberrans, non modo unquam non discederet longe ab eo, sed ad verbum saepissime ex Graeco in Latinum transferret sermonem. Quare factum esse dicit, ut nonnulli Livium Polybii plagiarium vocarent, eumque, ne furta sua detegerentur, Romanos laudatione frigida a legendo Polybio deterrere voluisse putarent, alii non nisi eas res, quae apud utrumque scriptorem legerentur, pro veris ac certis haberent. Sed quoniam Livius ipse (XXXIX, 48. extr. XLI, 25. al. loc. Lachm. l. c. p. 61.) affirmat, propositum sibi esse,

non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohaereant rebus, iam sequi, eum res praecipue in Graecia ante pugnam Cannensem gestas ut Romanorum rebus minus arcto vinculo connexas omisisse, itaque Polybii libro quarto et sequentibus usque ad septimum librum non esse usum; sed inde a septimo rursus Polybium inprimis auctorem a Livio esse adhibitum, quamquam ob casum, qui illi operi accidit, miserabilem non omnibus locis demonstrari possit, superstites tamen evincere reliquias et Lachmannus (l. c. p. 46.) docuit et nos postea videbimus. Haec de fonte primario, quo usus fuerit in Graecorum rebus describendis, rerumque delectu, quem ex Polybianarum historiarum ambitu instituerit Livius, diximus.

Iam quid de fide, diligentia et iudicio sive arte critica eiusdem scriptoris statuendum sit paucis repetamus.

Fidem igitur veritatemque historicam licet invitum saepius tamen eum laesisse apertum est; diligentiam vero eius maiore rerum copia saepius ita oppressam esse, ut non semel desideretur, constat; iudicium denique artemque criticam praecipue in annis computandis temporibusve notandis non desiderari solum sed prae festinatione etiam saepissime falso lata exercitaque esse et multi iam ante nos significavere et nostra cura opere procedente accuratius demonstrabitur.

Sed redeam, unde digressus sum.

§. 41.

Sicyonii Achaeorum societati accedunt. Aratus.

Sicyoniorum civitatis, quo sequentia erunt dilucidiora, historiam, quam Plutarchus nobis in Arati vita inde a capite secundo, Pausanias (II, 8. 9.) et Polybius (II, 43, 3.) concisius breviusque perscriptam reliquerunt, paulo altius repetamus.

Haec igitur civitas, ut primum ex sincero et Dorico [1])

---

1) Incolas Sicyonis Dorienses fuisse praeter Plutarchum l. c. 2. et 9. Pausanias quoque II, 8, 3. affirmat. Phalces enim, Temeni

optimatium principatu in seditiones et concionatorum ambitiones impegit, non destitit aegrotare et tumultuari tyrannum ex tyranno mutans, quoad interfecto Cleone principes Timoclidam et Cliniam legere, viros inprimis inter cives claros et auctoritate pollentes. Iam quum videretur aliquatenus composita respublica Timoclidas fato functus est. Abantidas vero, Paseae filius, tyrannidem affectans obtruncavit Cliniam amicosque eius et familiares partim in exilium egit, partim contrucidavit. Quaesivit etiam filium eius septennem [2] relictum de medio tollere *Aratum*, qui tamen in domestico tumultu una cum fugientibus elapsus palansque per urbem trepidus auxilioque destitutus forte in domum clam recepit se mulieris, quae Abantidae soror erat, Prophanto, Cliniae fratri, nupta, nomine Soso. Haec, tum quod animo esset generosa, tum divina quadam sorte puerum existimans ad se confugisse, domi eum abscondit, mox clam noctu dimisit Argos. Ibi in hospitum et amicorum paternorum contubernio ingenue educatus iam a primo, ut hoc utar, vitae limine adversus tyrannos, quorum saevitiam ipse expertus erat, inexpiabile fovit odium.

Quum iam iuvenilem iniisset aetatem et corpus in bonum habitum et proceritatem insurgere videret ad palaestrae meditationem se contulit, quinquertionem certavit Olympiae (Paus. VI, 12, 3.), coronasque obtinuit. Unde forsitan factum, ut, quum huic exercitandi sese

---

filius, regnum ibi post Heraclidarum reditum sortitus erat et videntur ab eo inde tempore Dorienses sub Heraclidarum regimine Sicyonem incoluisse. Cf. Paus. II, 6, 4. 13, 1. et Hagen l. c.

2) *Arati* annus natalis retro computando facile deprehenditur. Viginti enim annos natus erat quum liberaret a tyrannorum dominatu Sicyonem patriam, annus qui est aerae Christianae 251, annus igitur natalis 271 a. Chr. = Ol. 127, $^{2}/_{1}$; annus, quo Argos furtim tyranno ereptus clam aufugit, 264 a. Chr. Moritur veneno dum septima decima praetura fungitur, anno quinquagesimo nono aetatis suae, 212 a. Chr. = Ol. 141, $^{1}/_{4}$ (fortasse mense Februario, Ideler l. c. p. 337. et 393. sqq.).

generi plus operae tribueret, minus etiam valeret eloquentia, quam in viro circa rempublicam versaturo requirebatur. Quod tamen posterius aegre tantum concesserim, quoniam tota foederis Achaici historia nos docet, Aratum inprimis fere omnia, quae proposuerit, non tam armorum vi, quam callido consilio et eloquentia ad exitum perduxisse. Idemque potissimum e consuetudine cum Antigono Dosone et Philippo, Macedonum regibus, inita atque ex orationibus defensoriis, quas saepius coram Achaeorum concilio habuit, denique e Polybii (IV, 8.) sententia: *Ἄρατος ἦν τὰ μὲν ἄλλα τέλειος ἀνὴρ εἰς τὸν πραγματικὸν τρόπον· καὶ γὰρ εἰπεῖν καὶ διανοηθῆναι καὶ στέξαι τὸ κριθὲν δυνατός*, satis liquet, atque Plutarchus ipse his verbis confirmare videtur: *καίτοι γεγονέναι κομψότερον εἰπεῖν, ἢ δοκεῖ τισὶν, ἐκ τῶν ὑπομνημάτων κρίνουσιν, ἃ παρέργως καὶ ὑπὸ χεῖρα διὰ τῶν ἐπιτυχόντων ὀνομάτων ἁμιλλησάμενος κατέλιπεν.* (Cf. supra §. 30. Helvingius l. c. p. 77. falsa commemoravit.)

Sicyone vero paulo post Dinias et Aristoteles dialecticus cum amicis Abantidam, quum disputationibus vacarent in foro, semper esse praesto solitum eorumque se immiscere concertationibus, structis insidiis interfecerunt. Tum Pasea, Abantidae patre eodemque tyrannidem affectante, dolo peremto, invasit tyrannidem Nicocles, qui mensibus quattuor post afflictam ab se graviter urbem paene amisit per Aetolorum insidias.

Iam adoleverat Aratus, [3] qui prae ceteris et ingenio et generis nobilitate excelluit, ut, qui una cum adolescente patria relicta aufugerant, sperarent fore, ut duce illo patriam aliquando a tyrannorum dominatu liberatam recuperarent. Neque Nicocles, quae ageret Aratus, negligebat, verum speculabatur et observabat secreto conatus eius; non ille quidem, quod ullum facinus vereretur tale actumve

---

3) Hinc fortasse colligi possit quot annis trium illorum tyrannorum quisque Sicyonis dominatum obtinuerit. Abantidae equidem decem assigno annos, 264 — 254 a. Chr., Paseae unum, 254 — 253 a. Chr., Nicocli duos vel tres, 253 — 251 a. Chr.

aut coeptum tam audax, sed quod eius cum regibus amicis atque hospitibus paternis colloquia haberet suspecta. Etenim Aratus re vera illam instituerat viam. Verum Antigoni Gonatae promissa quum negligerent tempus ac corrumperent, spes autem ab Aegypto et Ptolemaeo longinqua esset, statuit tyrannum per se opprimere.

Consilium igitur cum Aristomacho et Ecdelo primis consociavit, quorum prior exul Sicyonius erat, Ecdelus Arcas, Megalopolitanus, philosophus et impiger, Arcesilai Academici quondam Athenis auditor. Quibus rem alacriter approbantibus cum ceteris exulibus collocutus est, quorum pauci deserere eam spem erubescentes socios se praebuerunt coeptorum, magna vero pars Aratum etiam ut rerum imperitia ferocientem retrahere annisi sunt. Prae ceteris vero promtos sese rei gerendae socios praebuerunt Arato Xenocles eiusque frater, Seuthas et Technon, Arati servi, Euphranor, mechanicus idemque exul Sicyonius, Xenophilus, grassatorum princeps; arma enim usitatum erat parare et gestare, quod omnes fere tum furtivis in se mutuo excursionibus uterentur; et Masitheus. Noctis silentio muris Sicyonis superatis, custodibus interemtis, confestim ad amicos misit diversos, qui ex aedibus quemque excirent. Qui ut undique concurrerunt iam lux appetebat et theatrum coetu erat completum ad incertum rumorem etiamnum suspenso, neque quidquam certi quid ageretur cognoscente, quousque tandem progressus praeco pronunciavit, Aratum, Cliniae filium, cives ad libertatem vocare.

Tunc fidentes adesse id, quod iam diu exspectaverant, agmine contenderunt ad tyranni fores, faces aedibus subiicientes, unde flamma ingens edita atque conspicua Corinthum usque, [4]) flagrante illius domo, ut obstu-

4) Tabula Peuting. a Corintho Sicyonem removet XXIII mil. eamque computationem recte habere affirmat Mannertus (l. c. III. p. 379.), quia maius intervallum LXXXV mil. inter Corinthum et Patras cum reliquis mensuris omnibus accurate congruat (cf. Plin. IV, 4.). Agathemer. (I, 4.) spatium a Corintho Patras

pescentes Corinthii paene ad ferendas suppetias effuderint se. Nicocles tamen occulte per cuniculos quosdam elapsus ex urbe evolavit, Kal. Iuniis [5]) anni 251 a. Chr. praetore apud Achaeos Marco Cerynensi iterum. Bona eius

---

DCCXX stad. i. e. XVIII mil. geogr. aequari dicit. Et addit Mannertus: Die neuern Reisenden (Spon, Dodwell, Wheler, Pouqueville) hingegen brauchten nur drei Stunden, um von Korinth Basilika zu erreichen; auch schätzen sie den Abstand der Stadt von der Küste auf 3 bis 4 (Italienische) Meilen, folglich zu gross. Basilika ist wahrscheinlich ein erst im Mittelalter angelegter Ort, und Sikyon lag 2 geogr. M. weiter westlich, bei dem Dörfchen Kamari oder Kamares, welches seinen Namen von der Wasserleitung hat, deren Ueberbleibsel noch sichtbar sind. Es liegt 4 St. westlich von Basilika. Plutarchi ista de igne Corinthum usque conspicuo narratio nullius prorsus momenti et supervacanea omnino esset, nisi Sicyon a Corintho longius II mil. geogr. fuisset remota; alia vero res est, si a Corintho Sicyonem V mil. geogr. dissitam fuisse cum Mannerto statuas.

5) Addit Plutarchus ipsum diem V. Daesii, qui quum in Ol. 132 primum annum incidit, ipsas Kal. Iunias demonstrat iuxta tabulas Dodvellianas. Monet nos quidem Plutarchus, mensem eum Anthesteriona ab Atheniensibus vocitatum. Anthesterion non excessit medium Martium in cyclo Harpali, nedum ut attingeret Maium, quum Daesius intra Maium et Iunium iis temporibus coerceretur. Proprie quidem Daesius Macedonum ex Ephesiorum computandi ratione a 24. April. ad 24. Mai.; Anthesterion vero Atheniensium a 16. Febr. ad 16. Mart. Iulianae aerae patebat. Cf. Ideler in Technische Chronologie I. p. 419. et 437. Igitur quomodo haec explanari possint, non assequor. Mensis enim Atheniensium, qui accurate respondeat Daesio Macedonum, duplex est, alter Hecatombaeon ex Philippi literis, alter Thargelion ex vit. Plut. Alex. c 16. Anthesterion vero ille, quem comparavit Plutarchus cum Daesio in Arati vita c. 53. quemque innuit Bayerus, non Macedonum, sed Sicyoniorum erat Daesius. Cf. Ideler l. c. p. 402. sq. At Bayerus ipse et post eum multi, ne excepto quidem Idelerio, desperaverunt de accurata horum mensium comparandorum ratione, praesertim quum Alexander M. pro lubitu menses transposuisse ac nomina eorum mutasse idem Plutarchus in vit. Alex. c. 16. et 25. Camilli c. 19. tradat. Cf. Ideler l. c. p. 405. et 407.

militibus diripienda concessit Aratus. Neque quisquam occubuit vel omnino vulneratus est, sed sincerum et purum a civili sanguine fortuna hoc facinus conservavit. Reduxit Aratus exules, qui eiecti ab Nicocle fuerant, octoginta; qui tyrannorum dominatu superiorum non minus quingentos, qui diu et ferme quinquaginta annos palati fuerant. Horum plerique reversi inopes pristinas possessiones suas vindicaverunt ingredientesque praedia et domicilia sua in magnas difficultates coniecerunt Aratum, qui foris peti insidiis et invidiosam esse Antigono libertatis caussa cernebat civitatem, concitari vero intus et seditione agitari. Quare in praesentia visum optimum factu est, ut Sicyonem associaret Achaeis, et quamquam Dores erant, in nomen tamen haud gravatim et rempublicam Achaeorum transierunt, qui ea tempestate nec dignitatem eximiam nec magnas vires obtinebant. Verum hi inexpugnabile esse Graecorum robur clarissime ostenderunt, quoties ordine et concordia administratum, ducem insuper sit prudentem nactum. Qui quum veterum Graeciae florentium virium essent in nulla prope censendi parte atque id temporis unius non aequarent potentiam medioeris civitatis, recto consilio et consensione et quod virtuti praestanti non inviderent, sed auscultarent obtemperarentque, non solum medii inter civitates sese et copias tantas tyrannidum in libertate retinuere, sed assidue etiam plerosque alios Graecos in libertatem asseruerunt et conservaverunt (Plut. vit. Arat. c. 2 — 9.).

Polybius Sicyonem ab Arato Sicyonio captam (IV, 5, 4.) et sublato Nicocle tyranno (X, 25. 3.) foederi Achaico adiectam esse (II, 43, 3.) narrat adiutoribus in ea re Ecdemo et Demophane, Megalopolitanis, Philopoemenis praeceptoribus (X, 25, 3.)

Strabo (VIII, 7. p. 222.) *Ἄρατος*, inquit, *στρατηγήσας ἀφείλετο Ἀντίγονον τὸν Ἀκροκόρινθον καὶ τὴν πόλιν τοῖς Ἀχαιοῖς προςέθηκε, καθάπερ καὶ τὴν πατρίδα*; unde Antigoni, Macedonum regis, superiori auctoritati Sicyonios tyrannos subiectos fuisse verissime coniicias. Mira vero verba eiusdem scriptoris sunt VIII, 6. extr.

p. 218, ubi narrat Sicyonem plurimum temporis sub tyrannis fuisse, moderatis tamen hominibus, quorum illustrissimus Aratus urbem libertate donaverit. (Cf. Lucas l. c. p. 82. not. 2.) Quo Strabonis loco Schornius, ni fallor, fretus, Aratum tyrannidem affectasse autumat.

Pausanias (II, 8.) ante Cleonem Sicyone Clisthenem, Aristonymi filium, Pyrrhonis nepotem, quum inferiorem urbem Sicyonii incolerent, tyrannum, Cleonis vero in ea, quae postea mansit et Pausaniae aetate etiamnum superstes fuit, urbe dominatum fuisse tradit. Post Cleonis deinde mortem tam effrenatam civitatis principes incessisse dominandi cupiditatem, ut eorum duo eodem tempore tyrannidem invaserint, Euthydemus et Timoclidas, quibus eiectis populus summae rerum Cliniam, Arati patrem praefecerit. Cetera ita congruunt cum Plutarchi narratione, ut difficile non sit animadvertere utrumque ex eodem fonte hausisse. Attributam autem urbem Achaeis propterea dicit ab Arato, quia Antigoni potentiam reformidaverit.

Aratus vero erat cuique civitatum libertatis amanti amicus, politicus, celsi animi, attentior ad bona reipublicae quam ad privata, tyrannorum hostis acerrimus atque inimicus, ut ne statuis quidem eorum parceret (πικρὸς μισοτύραννος, Plut. Arat. c. 10. 13. 20 — 25. Polyb. II, 43, 7.), qui inimicitias amicitiasque semper ex bono publico metiebatur. Quare nec tam certus amicus, quam clemens et facilis inimicus fuisse videatur, reipublicae caussa sua quoque privata commoda et vota pro tempore varians. Ut ad bella palam gerenda minus aptus (Plut. Arat. c. 10. 26. 34: οὔτ' ἄλλως πρὸς τὰς κατὰ στόμα μάχας εὖ πεφυκώς cf. Paus. II, 8, 4. 5. Polyb. IV, 8. Plut. Philop. c. 8.) et timidus, licet Polybius (II, 45, 5.) ἄνδρα δυνάμενον πάσης εὐστοχεῖν περιστάσεως eum vocet, ita potissimum ad consilia secretim capienda, ad urbes inopinato expugnandas et tyrannos clam opprimendos callidus maximeque idoneus atque instructus. Hinc Polybius (IV, 8, 5. et c. 19, 11.) πολιτικώτερον ἢ στρατηγικώτερον eum fuisse scribit. Quae praeter exspectationem gerenda essent felici saepe successu peragebat, ubi vero audendum

esset aliquid propter timidam animi indolem saepius deposuit. (Cf. Dissert. mea Aratus als Feldherr und Staatsmann in Programm. Gymnas. Gumbinnens. Michael. 1830.)

Quam ob rem mirabile sane creditu est, viro, in quem ne nomen quidem ducis sive imperatoris convenire videatur, tot urbium expugnationes tam propere cessisse atque contigisse. Sicyonem enim primam (Polyb. II, 43, 3. Plut. Arat. c. 9. Paus. II, 8, 3.), mox Corinthum (Polyb. II, 43, 4. Plut. Arat. c. 23. Paus. II, 1, 2. 8, 4.), deinde Megara (Polyb. II, 43, 5. XX, 6, 8. Plut. Arat. c. 24.), Troezenem et Epidaurum (Plut. Arat. c. 24. Paus. II, 8, 4.), Cleonas (Plut. Arat. c. 28.), Megalopolim (Polyb. II, 44, 5. Plut. Arat. c. 30. Paus. VIII, 27, 9.), porro Argos, Hermionen, Phliuntem (Polyb. II, 44, 6. Plut. Arat. c. 35. et 44. vel ut scribit c. 34: *πλείστην τῆς Ἀρκαδίας* cum Aegina et Hermione post Demetrii mortem *συνεδρίου τῶν Ἀχαιῶν μετέσχον οἱ Ἀρκάδες προθυμότατα Ἑλλήνων* Paus. VIII, 6, 1.), Mantineam (Polyb. II, 57. Plut. Arat. c. 36. Paus. VIII, 6, 1. 2.), Messeniam (Polyb. XXV, 1, 1. 2. Paus. IV, 29, 2 — 5.), denique Spartam (Polyb. XXV, 1, 6. 2, 1. Liv. XXXV, 37. Paus. VIII, 51, 1.) eius opera Achaeorum reipublicae adtributas esse scimus.

Quas quidem urbes etiamsi non omnes vi aut dolo captas existimemus, sed nonnullas societatem cum Achaeis ultro potius iniisse ea persuasione ac consilio, ut coniunctae plus valerent hostiumque eo fortius possent repellere impetus, tamen ad Aratum, quippe qui perpetuum fere Achaeorum obtineret magistratum atque imperium multaque harum urbium caussa opprobria sibi conflaret, res tum gestae maximam partem sunt referendae. Quod ipsum tempus Polybius (II, 40, 2.) innuens, Aratum Achaeorum reipublicae conditorem securitatisque universae Peloponnesi instauratorem non immerito dicere videatur; idemque Pausanias (VII, 30, 2.) et Iustinus (XXXIV, 1.) de Diaei aetate praedicant. Strabo etiam, qui tamen velut in praetereundo *παρέργως* tantum historicas narrationes adspersit, honorificam sane Arati rerum gestarum facit

mentionem (VIII, 2. p. 212. quibuscum verba alia VIII, 6. p. 218. quae supra notavimus coniungi prorsus non possunt, praesertim quum tyranni titulus ad Aratum plane non quadret).

Aratus quamquam summa enitebatur opera, ut omnes, quotquot singularum in Peloponneso urbium erant, tyrannos aut vi expelleret aut aequis conditionibus ad deponenda imperia adactos cum Achaeis conciliaret, Macedonumque auctoritatem ac potentiam, quae satis tum in Graeciae parte meridionali ampla videtur fuisse, infringeret; tamen expeditiones adversus Athenas, Macedonum praesidio duce Diogene firmatas, saepius frustra susceptae (Paus. II, 8, 5. Plut. Arat. c. 34.) multaque illa propter Argivorum civitatem, tyrannorum dominatu oppressam (Paus. II, 8, 4. Plut. Arat. c. 26.), Achaeorum foederi attribuendam pericula, quae iterum iterumque frustra subiit, satis nos docent, quam necessarius illo potissimum tempore Achaeis bello aperte gerendo dux fuerit idoneus. Quibus quidem urbibus liberandis expugnandisve etiamsi lubenter concedamus vel inferioris notae imperatorem satisfacere potuisse, dummodo cives earum Achaeorum reipublicae caussa et ipsi pericula subeunda operamque suam praestandam suscepissent; clandestina tamen consilia, quibus in urbibus his aggrediendis saepissime usus est, et clades ad Charetem fluvium, qua affecit eum Aristippus, Argivorum tyrannus (Plut. Arat. c. 27—29.), satis demonstrant luculenter, non fuisse tanti momenti nec sane magnae audaciae rem, si quis cum Arato acie instructa pugnam conserere constituisset. Ut revera imperator alius non facile reperitur, qui tot expugnaverit urbes, vel expugnandarum saltem occasionem habuerit atque opportunitatem, ita tamen vix quemquam me nosse profiteor, qui fortunae inconstantiam aperto bello tam saepe perpessus, tot cladibus affectus (Polyb. IV, 8. Plut. Philop. c. 8.), tam vehementer Achaeorum opprobriis lacessitus sit, quam Aratum, qui tamen tantum abest, ut sibi persuaserit rem apertissimam omnibusque cognitam, scilicet se belli ducis indole prorsus carere, atque deposuerit imperium vel alii

cesserit necessitate insuper postulante, ut gloriae illam cupiditatem perniciosissimam comprimere et frangere nec potuerit, nec, si huic certamini par fuerit, voluerit unquam. Hoc vero Arati gloriae perditissimum studium, quo tantopere agitabatur, ut quemcunque iisdem votis sciret indulgere toleraret neminem, nec aliorum sententiis sive consiliis obtemperaret unquam; Arati porro animi timiditas, qua factum est, ut cauta illa eius prudentia in desidiam, otiosa ista rerum gerendarum ratio in ignaviam abiret et commutaretur; Arati impura voluntas turpisque cupido, cuius documentum cognoscimus luculentissimum apud Polybium (II, 51, 3.) et Plutarchum (vit. Arat. c. 35. 37. Cleom. c. 6.); Arati denique in bellis gerendis ignavia, quam belli Cleomenici historia docet; haec igitur omnia insequenti narratione exemplis satis idoneis copiosissime demonstrabuntur.

Erat igitur Aratus vir cetera numeris omnibus absolutus ad res gerendas; nam ét eloquendi facultate et mente ingenioque et arte consilia sua tegendi praestabat; in dissensionibus civilibus leniter ferendis, iungendis amicitiis, sociis alliciendis nemini secundus; in molitionibus vero occultis, dolis et insidiis hosti struendis iisque laboris improbi tolerantia audacter ad effectum perducendis sollertissimus. Quoties autem in aperto ductare exercitum instituit, tardus in consiliis excogitandis, in rebus aggrediendis parum audax fuit, neque eorum, quae terribilia censentur, conspectum ferre valuit. Itaque etiam tropaeis ad se spectantibus Peloponnesum implevit semperque ab hac parte non magno conatu ab adversariis fuit superatus. Quam ingeniorum inconstantiam varietatemque Polybius et Plutarchus explicare conati sunt.

Recentiorum vero de Arati indole accurate iudicavere Dramannus (l. c. p. 452.) et Schornius (l. c. p. 65—68.), benevole ideoque spreta veritate Censor libri Schorniani (in Ephemeridib. Gotting. l. c.) et Helvingius (l. c. p. 84. 102. sq. 131. 138. 220.), qui regendae civitatis Arati peritiam, ducem tantum hominemque respiciens neglexit; cu-

ius tamen sententiam in censura eius libri a nobis conscripta uberius refutavimus.

Quanta vero Arati, si hominem per se eiusque humanam, ut ita dixerim, indolem spectes, fuerit laus atque existimatio, historia consuetudinis eius cum Philippo III. sive V., Macedonum rege, luculenter docet; de quibus tamen infra pluribus exponam.

§. 12.

Arati prima et altera praetura.

Urbem patriam Aratus, unde divertit narratio, Achaeorum reipublicae quum adiunxisset equo meruit apud Achaeos per sex annos, ab aetatis vigesimo ad vigesimum sextum, 251—245 a. Chr., et propter obedientiam, quam praestitit, legumque observantiam a magistratibus, quorum tamen nomina ignorantur praeter Marci Cerynensis, qui alteram suam gessit praeturam anno Sicyonis liberatae, admodum est dilectus. Praetoribus, sive Dymaeus, seu Tritaeensis, seu ex aliquo alio oppido esset, dicto audiens enixe fuit, sibique hac re et liberalitate sua gloriam famamque summam conciliavit effecitque, ut ab anno vigesimo sexto aetatis suae ad extremum vitae tempus, etsi non esset, videretur tamen esse praetor ac praeses Achaeorum et Antigoni Gonatae, tum Macedonum regis, admirationem atque amicitiam adeo sibi compararet.

Quae vero per hos sex annos ab Achaeis gesta sint ignorantur, nec videntur memoratu dignum gessisse quidquam, quoniam omnes, quotquot novi, scriptores tacent, praeter unum Aratum, quem per illa tempora operam dedisse refert Plutarchus (in Arat. vit. c. 12—16.), ut urbis patriae instituta corroboraret pacemque ac tranquillitatem civibus suis restitueret.

Exules enim quum placari non possent et praediorum suorum possessores flagitarent, civitas Sicyonia in extremum periculum venit. Quare unicam, quae reliqua erat, spem in Ptolemaei liberalitate posuit eoque navigare et regem rogare constituit, ut argento sibi ad conciliandam civitatem suam subveniret. Solvit ex Methone supra Ma-

leam, ut brevissimo cursu fretum traiiceret. Ablatus autem acri vento in Andrum insulam decurrit hostilem. Siquidem tenebatur ab Antigono et praesidium habebat, quod devitans navi relicta procul a mari recessit cum uno comite Timanthe, ibique in loco nemoroso duriter noctem transegere. Paucis autem post diebus navi Romana, quae cursum habebat in Syriam, conscensa variis iactatus periculis ad Cariam deportatus est, unde longo spatio in Aegyptum transvectus regem tandem convenit, iam pridem sibi benevolum, quod picturis et tabulis Sicyoniae artis diu iam celebratae eum honorarat. Dono igitur accepit centum quinquaginta talenta civitati suae, ex quibus quadraginta statim secum auferens in Peloponnesum revertit; reliqua deinceps misit ei rex per portiones minutatim divisa, scilicet ut vim in Peloponneso his opibus et auctoritatem consequeretur, quam sedulo quaesivisse iam eius in regno antecessorem notum est.

Hanc vero Arati liberalitatem, qua pauperibus reconciliatio concordiaque cum divitibus, populo autem universo salus et securitas comparata est, licet Plutarchus summis laudibus prosequatur et Cicero adeo admiretur (de Offic. II, 23.), ut exclamet: „O virum magnum, dignumque, qui in nostra republica natus esset!“ licet Plutarchus suspiciendam Arati tanta in potentia moderationem esse censeat, quum creatus ad exulum querelas componendas disceptator cum libera prorsus potestate et arbitrio, tamen cives quindecim sibi allegisset negotii tanti participes; tamen multa esse arbitror, quae impediant, quominus idem statuam sive ad eorum sententiam accedam.

Aratus enim neque civium nec patriae amore pecunias illas inter exules et pauperes cives divisisse mihi videtur, eiusmodi nempe amor, ut Plutarchus ipse affirmat, alienus erat ab Arati mente, sed potius, ut his opibus ad Ptolemaei exemplum asseclas sibi compararet, quorum auxilio abuteretur, ut, quae animo tanquam summa concepisset, tandem posset consequi. (Immerito Drumannus l. c. p. 448. id factum excusat.) Moderatio vero ista et quindecim iudicum cooptatio tantum abest, ut

humanitatem Arati atque integritatem demonstret, ut eum nimis occultae et callidae omniaque metiri emolumentis et commodis solitae prudentiae, πολιτικῆς Graecis dictae, coarguat atque accuset. Ausus enim non est solus civium dirimere atque componere dissidia, ne aliis male contentis ipsiusque iudicium improbantibus in multorum incurreret odium. Quare quindecim nobilissimorum civium praesidio demum fretus ac munitus iudicio suo vim maiorem, personae vero refugium quasi quoddam constituisse videtur, scilicet soli ei et honor rerum peractarum et statua posteris quoque eius gloriam annunciatura mansit. Contigit etiam ei, ut hac re et invidiam civilem vinceret et amicos sibi compararet.

Praetor ab Achaeis primum creatus (245 a. Chr.) expeditionem fecit Aratus in Locridem e regione sitam (Plut. Arat. c. 16.) contra Locros Amphissenses (Paus. II, 8, 4.) cum Aetolis coniunctos (Niebuhr kl. histor. Schriften p. 214.) et Calydoniam terrasque eas depopulatus est idque fecit in itinere, quum in Boeotiam tenderet, Boeotis opitulaturus cum decem militum millibus. Sed quum diutius esset cunctatus atque in expeditione retardatus non in tempore Boeotis aderat, sed post pugnam demum ad Chaeroneam commissam, qua caesis Aboeocrito sive Amaeocrito, Boeotorum praeside, cum militum millibus, Aetoli Lattabo et Nicostrato ducibus superiores evaserant. (Cf. Polyb. IV, 3. 25. IX, 34. XX, 4—6. Frontin. I, 4, 4. et infra. Helvingius l. c. p. 84. duplex commisit, ut solet, vitium in his.)

Haec Arati prima praetura quo anno in eum delata ab eoque gesta sit retro computando deprehenditur. *Τετάρτῳ*, inquit Polybius (II, 43, 4.), δ' ὕστερον ἔτει τοῦ προειρημένου (Marci Cerynensis) στρατηγοῦντος (scl. δεύτερον), Ἄρατος ὁ Σικυώνιος ἔτη μὲν ἔχων εἴκοσι — ἐλευθερώσας τὴν πατρίδα — προςένειμε πρὸς τὴν τῶν Ἀχαιῶν πολιτείαν· ὀγδόῳ δὲ πάλιν ἔτει (octavo post liberatam Sicyonem anno) στρατηγὸς αἱρεθεὶς τὸ δεύτερον καὶ πραξικοπήσας τὸν Ἀκροκόρινθον κ. τ. λ. Aratus igitur iterum στρατηγός electus est anno aetatis vi-

gesimo octavo, 243 a. Chr. (non 244, ut falso Helvingius l. c. p. 84.) Haec autem praetura Arati altera primam secuta est, ut tradit Plutarchus (Arat. c. 16.), ἐνιαυτῷ δ' ὕστερον, uno igitur interiecto anno. Quam ob rem habemus primam Arati praeturam anno aetatis ipsius vigesimo sexto, 245 a. Chr. Hinc etiam patet Pausaniae (II, 8, 3.) particulam αὐτίκα de sex annorum spatio intelligendam esse. (Cf. Bayer. Fast. Ach. p. 299—302. Schweigh. ad Polyb. II, 43, 2. qui Gronovii, Reiskii Larcherique opinionem, quae Arati praeturam primam ad annum 251 removet, falsam esse docet; Polybius enim primam Arati praeturam non notavit.)

Mirum sane videri possit Aratum annos viginti sex natum praetorem esse creatum; at si recordatus fueris, quanta bona et singulis civibus et cunctae Achaeorum reipublicae attulerit idem, concidet profecto omnis illa de praetura iuvenis anno XXVI. aetatis suae fama gloriaque omnes fere aequales superantis dubitatio. Ac licet certae quaedam leges de creandis praetoribus fuerint constitutae, tamen easdem nonnunquam migrari non videtur inusitatum fuisse neque inauditum, praesertim necessitate urgente quum adesset vir, qui omnium sibi haberet animos conciliatos ac devinctos, quales fuere Aratus et Philopoemen. (Cf. Bayer. l. c. p. 314.) Lydiadas quoque Megalopolitanus, quum tyrannide posita urbem suam Achaeorum foederi tradidisset, statim creatus est praetor ab Achaeis ob bene praeclareque facta gratiam referentibus (Plut. Arat. c. 30.). Idem Aristomacho, Argivorum antea tyranno contigit (Plut. Arat. c. 35.). Quidni igitur eandem Arati fuisse rationem statuamus, quippe quem omnes societatis Achaicae conditorem praedicarent? (Cf. Polyb. π. ἀρ. κ. κακ. c. 10.)

§. 43.

Aetoli.

Iam quo priora, quae de Arati adversus Aetolos expeditione narravimus, et quae deinceps consecutura sunt, accuratius intelligantur, hic de Aetolorum rebus gestis,

priusquam in iis, quae proposuimus, exsequendis progrediamur, memoratu dignissima brevi exponemus.

Sine dubio ante Achaeorum societatem denuo initam Aetoli quoque (Diod. Sic. XVII, 3. XVIII, 9. XIX, 68. Iustin. XIII, 5. XXVIII, 1. 2.), qui a sinu Corinthiaco inter Locros et Acarnanas ad Thessaliam usque plures neque institutis nec legibus ullis inter se coniunctas urbes habitaverunt, foedere pacto eam constituere reipublicae gerendae formam, quae ab Achaeis fortasse adscita horum societati velut imago quaedam obversata fuisse videatur.

Etsi locis, quos supra laudavimus, scriptores non diserte affirment, Aetolos post Alexandri M. mortem statim iunxisse societatem illam notissimam, tamen et copiarum magnitudo et in rebus gerendis vis atque auctoritas, quam in alias civitates exercuisse eos notum est, Mansonem (in Sparta III, 1. p. 292.) quoque, ut idem statueret induxerunt. Antiquiorem vero eam fuisse quominus existimemus Arriani (I, 10, 3.) verba, eos ad Alexandrum σφῶν κατὰ ἔθνη legatos misisse scribentis impediunt. Drumannus (l. c. p. 503.) Aetolos prioribus quoque temporibus arctius quam solo nomine nonnunquam coniunctos fuisse putat, quippe qui rapiendi praedandique caussa finitimarum gentium ac civitatum agros pervagarentur, constantem vero firmamque societatem tum demum iniisse, quum Alexandri successores eos acriter vexarent ac persequerentur. Lucas porro (l. c. p. 63. sqq.) non dicit ille quidem, qua maxime aetate Aetoli foedus pepigerint; sed quum nec Philippus (Demosth. adv. Philipp. III. p. 129. ed. Tauchn. Strab. X. p. 290.), neque eius filius Alexander (Plut. vit. Alex. c. 49.) uni huic ex omnibus Graeciae civitatibus genti subiiciendae pares essent, iam inde sequi videtur, Aetolos, etsi non firma quadam societate, coniunctos tamen fuisse atque ad hostium impetus reprimendos defendendosque paratos. Homerus (Il. II, 638. XIII, 217.) de Aetolis, gente simplici unaque loquitur, regio imperio subiuncta. Nec seriori tempore societas illa, quam novimus, tam arcte connexa erat, ut unam diceres civitatem, sed singulae potius civitates

uno societatis vinculo circumclusae iisdemque legibus videntur administratae esse.

Conventus habebantur communes, in quibus de rebus summis belli et pacis foederumque cum exteris ineundorum, magistratuum porro creandorum decernebatur (Polyb. IV, 15, 8. 26, 4. 6. V, 103. XVIII, 31, 5. XXVIII, 4. Diod. Sic. XIX, 66. Liv. XXVI, 24. XXXI, 28. 40. XXXV, 12. 32. 43. XXXVI, 26. 28. 29. XXXVIII, 9. 10.). Habebantur quotannis circa brumale aequinoctium ordinarii conventus, Panaetolicum illud concilium, in quibus et praetores et reliqui magistratus creari solebant (Polyb. IV, 37, 2. V, 8. Liv. XXVIII, 5.), vel Thermi (Liv. XXXI, 29. Polyb. V, 8, 5. XVIII, 31. 50. XXVIII, 4, 1. Strab. X, 3, 2.), vel Lamiae (Liv. XXXV, 43. 49.), vel Heracleae in Thessalia (Liv. XXVIII, 5.); extraordinarios autem nonnunquam Naupactum quoque convocatos esse discimus e Livii lib. XXXI, 2. XXXV, 12. et Polybii lib. V, 103. Antiochus iam Ol. 116 (c. 315 a. Chr.) in conventu coram Aetolis, ἐν τῷ κοινῷ, orationem habuit de rerum illa aetate summarum conditione (Diod. Sic. XIX, 66.) et Polybius (II, 2, 8. IV, 15, 8.), quem Livius sequitur (XXXI, 28.), de conventibus his, ut de rebus iam pridem institutis usuque traditis, loquitur. (Cf. Tittm. l. c. p. 721. sqq.)

Praetoris s. στρατηγοῦ, qui unus annuus creabatur, erat in conventibus praesidere et decreta exsequi, ceterum iisdem iuribus et privilegiis gaudebat, quae Achaeorum praetori concessa fuisse novimus (Liv. XXXI, 32. XXXV, 25. XXXVIII, 4.). De bello disceptantibus non tulit sententiam.

Apocletae, quos dicunt, communis concilii tanquam delectus quidam, Livio auctore (XXXV, 45. 46. XXXVI, 28.) a concilio creabantur ad res extraordinarias, quae praeter opinionem evenerint, curandas, Polybio autem (IV, 5, 9. XX, 10, 11. XXI, 3, 2.) perpetuus magistratus cum Achaeorum βουλῇ comparandus, cuius pars quaedam erant triginta Apocletae, γερουσίᾳ vel Damiurgis Achaeorum consimiles (Polyb. XX, 1.). Assentior equidem

Polybio, quum Livius Graeca transferens in Latinum sermonem aut non accurate intellexisse, aut perlectis Polybii verbis memoriter narrans memoria lapsus esse videatur. (Cf. Lachm. l. c. p. 55.)

Praeter hos magistratibus adnumerantur magister quoque equitum s. ἵππαρχος et δημόσιος γραμματεύς (Polyb. XXII, 15, 10.).

Aetolos non Polybius solum, cuius hac in parte historiarum fides non immerito aliquantulum suspectior esse videtur Lucae (l. c.), sed alii quoque rerum gestarum enarratores eorumque summus summaque fide atque auctoritate dignus, Thucydides, iam a natura ipsa ad illud vitae genus, cui addictos fuisse comperimus, quasi invitatos, ad rapinas nimirum furtaque exercenda, et vel invitos nolentesve coactos fuisse tradunt. Aetolia enim altis undique montibus circumclusa ac concisa, quorum summus Corax dicebatur (Strab. X. p. 137. Polyb. IV, 7. sq. Paus. V, 1. Liv. XXXV, 18.), quum incolas suos adversus hostium externorum impetus tutos quidem praestaret (Thuc. III, 94. quare libertatem Aetoli conservarunt suam ad Romanorum usque tempora), verum eas res minime proferret, quae ad vitam sustentandam maxime sunt necessariae (μεσογαία tantum et quidem circa Calydonem regio erat εὔκαρπος et πεδιάς, Strab. X, 2. p. 329.), factum videtur, ut Aetoli artium liberalium, quibus vita excolitur, literarumque humaniorum, quae mores emolliunt neque feros esse sinunt, expertes arma nunquam deponerent, carne cruda bello etiamnum Peloponnesiaco vescerentur (Thuc. III, 94.), ferociores quam pro ingeniis Graecorum gentis, [1]) itaque comparati essent, ut nec praeda iis unquam satis ampla contingere, nec quies diu placere pos-

---

1) Non omnes Aetoli Graeci erant, ut Livius est auctor XXXII, 34. cf. Lucas l. c. p. 94. N. 1. Livius tamen XXXI, 30. sibi contradicere videtur, Aetolos, Acarnanas, Macedonas eiusdem linguae homines vocans; quod tamen in Romano mirum non est, quum Graeci vice versa Romanos barbaros appellare consueverint. Cf. Lucas p. 117. N. 1.

set (Liv. XXVII, 30. XXXIV, 22. Mannert. l. c. VIII, 38. sqq.). Quam ob rem Aetolos non tam bello aperto iustoque praedam quaesivisse notum est, sed saepius clandestina ex insidiis [2]) impressione facta latronum exemplo necessaria quaeque sibi comparasse. Quae rapiendi praedandique ratio eo perniciosior finitimis civitatibus erat, quo difficilior aditus in Aetoliam iis, qui res vellent repetere raptas, et quo maiora in dies Aetolorum vires caperent incrementa. Amicitiae iura foederumque sanctitatem cum iis civitatibus, quae vel impares copiarum magnitudine essent, vel quibus rapi aliquid posse existimarent, nullam esse reputantes, cum iis tantum gentibus societatem iniere, quarum opes aut reformidarent, ut Macedonum et postea Romanorum, aut quarum auxilio freti latrocinia sua se impune perpetraturos opinarentur, atque adeo ne his quidem parcerent abque eorum rebus manus rapaces abstinerent (Polyb. IV, 79.). Quare haec gens et ipsa Graeciae ambitu Graecoque nomine comprehensa, si cum Graecis potius societate inita exterorum hostium invasionibus et conatibus resistere parata fuisset, neque ipsa tot dissidiorum caussas finitimis civitatibus, ut Boeotis et praecipue Achaeis, praebuisset, de Graeciae libertate profecto non tam celeriter actum erat.

Scilicet magnum fuisse Aetolorum nomen iam Philippi et Alexandri, Macedoniae regum, temporibus supra diximus. Defuncto autem Alexandro initaque foederis communione omnium Aetoliae affiniumque urbium Aetoli, quid valerent, sibi conscii, belli Lamiaci participes erant (Diod. Sic. XVIII, 9. 11. Iust. XIII, 5.) duceque Leosthene mox pugnae ad Lamiam commissae interfuere (Diod. Sic. XVIII, 8. Paus. I, 25.), neque, Graecis reliquis omnibus ad paciscendi conditiones post cladem ad Cranonem acceptam adactis, quin Antipatro et Cratero resisterent, dubitaverunt (Diod. Sic. XVIII, 24. 25. Polyb. IX, 29, 2—4. 30,

2) Polybius (V, 81.) caedem ex insidiis patratam in Aetolorum propria refert facinora.

3.). Nec multo post Aetolos cum Perdicca coniunctos reperimus contra Antipatrum reliquosque Graeciae vexatores (Diod. Sic. XVIII, 38.). Profugis, quos Antipater crudelissime persequebatur, Aetolis refugium dedisse idque factum summa laude per Graeciam celebratum esse narrat Polybius (IX, 23.).

Quae quidem omnia aliaque Aetolorum praeclare fortiterque gesta, quae accuratissime Lucas (l. c. inde a pagina 61.) singulari diligentia exposuit, reputanti vel invito commiserationem rerum Graeciae tum miserrime dispositarum extorquent simulque docent, quam ii fallantur egregie, qui Graecis natura ipsa velut innatum fuisse rerum communi consilio gerendarum animum opinati sint. Haec enim gens, cuius copias, opes, res bello gestas admiramur, quam eodem tempore, quo Aratus Sicyonem Achaeis attribuit, Cephaleniam insulam, multas in Thessalia, Phocide, in Locrorum Ozolarum et Acarnanum finibus urbes, atque adeo in Peloponneso cum Eleis inde ab Aristotimi Eliorum (non Epirotarum, ut falso refert Iustin. XXVI, 1.) tyranni tempore societatem iunctam habuisse et Tegeam, Orchomenum, Mantineamque ditione tenuisse scimus (Lucas p. 73.), statim cum renovato Achaeorum foedere et propter insitam improbitatem avaritiamque et consilio isto Graecis quidem perniciosissimo, fore, ut Achaeorum societatem disturbent singulasque urbes sibi infestas reddant, mirum quantum quocunque modo poterant Achaeis adversati sunt. (Cf. Plut. vit. Arat. c. 4. Aetolorum adv. Sicyonem expeditio.)

Quod ipsum Polybius respiciens iusto quodam dolore perfusus conceptoque ex dolore odio in Spartanos et Aetolos, quos quum libros suos conscriberet maxime in culpa fuisse arbitrabatur, quod Romani tandem cuncta Graecia potiti erant, acriter ubicunque potest invehitur, Aetolos vero inprimis Graeciae proditores vocat, neque tamen id agit, ut eorum historiam hac acerbitate depravet aut corrumpat. Hinc sane operae pretium est duorum urbis nostrae virorum, Drumanni (l. c. p. 494. sqq.) et Lucae (l. c. p. 75. sqq.) de Polybio rerum Aetolicarum enarratore

iudicium cognoscere, qui propterea tantum in diversas partes mihi abiisse videntur, quod prior ille animi affectus, quibus et summi ingenii viri succumbant, alter vero historiographi tantum in narrando integritatem respexerit. Lucas enim Polybianae potius quam Aetolicae indolis respectu habito scriptorem et quod Aetolorum historiam antiquiorem a Philippi, Macedonum regis, aetate ad Antigoni Gonatae tempora brevius percurrit vel prorsus omittit mali consilii ac livoris accusat, Arati commentarios, quibus Polybius usum se affirmat, ut celeriter concinnatos nec a suspicione malevolentiae liberos vituperat, et vituperium denique Polybii in Aetolos promtum paratumque (II, 43, 10. et c. 45.) invidiam nimiamque redolere dicit acerbitatem. Hinc igitur quum intelligere mihi videor, neutram sententiarum illarum ita esse veram, ut impugnari non possit, intermediam aliquam quaerendam esse viam explicandique has res rationem statuo, eamque nos secutos esse iudices aequi bonique intelligent. Scilicet illud firmum manet nec refelli unquam poterit alia argumentando, Aetolorum totum, ut ita dixerim, habitum, indolem vitaeque rationem omnino repugnasse Achaeis, nec fieri propterea potuisse, quin utriusque gentis vota, quae conceperant proposuerantque, in concordiam coalescerent et vis roburque Graeciae sensim defatigatae denuo enasceretur utraque foedere icto republica ad unum eundemque finem conversa ac tendente.

Quam ob rem Aetolos post cladem a Demetrio ipsis illatam (Plut. Demetr. c. 40. Pyrrh. c. 7. coll. Paus. X, 33, 2.) quum Demetrius et ipse a Pyrrho devictus regiaque dignitate exutus esset, paulo ante Gallorum impressionem, quam in Graeciam fecerunt (Paus. X, 21, 1.), cum Antigono Gonata, Demetrii filio, societate, quae reliquis quidem Graecis admodum periculosa videretur, coniunctos comperimus. Antigonus enim Corinthi, Demetriadis aliarumque Graeciae urbium dominus (Plut. Demetr. c. 53. Polyb. II, 41.) iam contra Lysimachum (Paus. I, 9, 2.) et Ptolemaeum Ceraunum de Macedonico regno armis decertaturus hostiliter surrexerat (Iustin. XXIV, 1.).

De tempore huius societatis Macedonas inter Aetolosque initae cf. Manso in Sparta T. III. P. 2. p. 131. et 132. et Lucas l. c. p. 68. sqq.

Verum Aetolis non solum antequam Sicyon cum Achaeorum republica esset coniuncta sed eo etiam tempore, quo Aratus iam summum capessivisset magistratum, cum Antigono intercessisse societatem docet praeter Plutarchum (vit. Arat. c. 4. et 16.) Polybius multis locis: II, 43; 9. 10. 45, 1. 2. coll. Iustin. XXVIII, 1. Polyb. IX, 34, 6. XXXVIII, 9.

Iam ex his apparebit, satis idoneam Arato fuisse caussam, cur, antequam Boeotis auxilio veniret, Calydonis, praestantioris Aetoliae urbis, agrum et Locridem cum Aetolis consociatam devastaret omnesque Aetolorum expeditiones summa diligentia observaret, ne tempus opportunum praetermittens socordiae opprobrium ipse sibi contraheret. Idque maxime bellum Aetolorum cum Boeotis spectare videtur Polybius IV, 3, 5. IX, 34, 11. XX, 4, 1—6. Postea Boeoti cum Aetolis et Macedonibus societate coniuncti erant. (Cf. Polyb. XX, 5.)

Huius vero Achaeorum contra Aetolos expeditionis caussam, quae mea quidem sententia negari non potest, idoneam Lucas animadvertit nullam (l. c. p. 82.), neque obtrectationem utriusque gentis agnoscit (l. c. p. 46.); scilicet ut capiat inde Polybii vituperandi occasionem.

§. 44.

Corinthii, Macedonum praesidio pulso, Achaeorum reipublicae attribuuntur.

De anno 244 a. Chr. nihil a scriptoribus proditum est, sine dubio quia nihil hoc anno gestum est, quod ad incrementum foederis maxime pertinuerit.

Aratus Corinthi arcem, sive Acrocorinthum (cf. Strab. VIII, 6. p. 221. Paus. II, 4, 7. Liv. XLV, 28. Plut. Arat. c. 16. Stat. Thebaid. VII, 106. Mannert. l. c. VIII, p. 368.), excelsum montem, quem qui obsederit totam regionem intra Isthmum, quae sita est, commerciis et transitu terra marique intercludere possit indeque a Phi-

lippo, Demetrii filio, non tam ioco sed serio potius Graeciae compedem appellatum (Plut. Flamin. c. 10. Liv. XXXII, 37.), nec nisi dolo capiendum anteaque captum (cf. Plut. Arat. c. 16—24. Polyb. II, 43. Paus. II, 8, 4. VII, 7, 3.) Alexandro adhuc superstite ut caperet dabat operam, verum societate inter Achaeos et Alexandrum inita destitit (Plut. Arat. c. 17. 18. Polyaen. Strateg. IV, 6, 1.). Eodemque tempore Antigonus Gonatas totus iis cogitationibus quum esset intentus, quemadmodum dolo hanc arcem obtinentibus adimeret, quoniam aperte tentare vanum erat, Alexandrum primo sustulit, uti fama tenebat, venenis, deinde Nicaeam, uxorem eius, quae res administrabat et stationem in Acrocorintho habebat, ita cepit, ut Demetrium filium ad eam submitteret ac laetam spem regiarum nuptiarum ostentando et connubii cum adolescente, cuius non insuavis erat congressus cum muliere provectioris aetatis, huius sibi gratiam conciliaret. Quo facto dum omnes regiis nuptiis adornandis celebrandisque occupati ac spectaculis intenti sunt rex simul cum arce urbe quoque Corinthiorum potitur. Tantaque eius fuisse dicitur laetitia de rebus tam propere gestis, ut inter tibicinas in viis et foro exsultans prae gaudio potaret coronasque in capite gestans senes et tantis rerum versatus mutationibus commessaretur complecteretur que et salutaret obvios (Plut. vit. Arat. c. 17. cf. Manso Sparta III, 2. p. 250. sq.).

Hanc igitur arcem Aratus altero inde anno (243 a. Chr.), quum iterum ab Achaeis praetor esset creatus, ab Antigoni Gonatae praesidio liberavit, usus in ea re exsequenda maxime opera Technonis, servi sui, Aegiae, argentarii Sicyonii, Ergini, Dioclis et Dionysii, Syrorum, qui mercenaria in Acrocorinthi praesidio fecerunt stipendia. Qui quum pecunia essent corrumpendi, ipse vero nec propriae pecuniae tantum haberet, quantum opus erat, neque a civitate vellet exposcere, res suas pretiosas pro sexaginta talentis, quae mutuo sumsit, pignus exposuit. Quam animi generositatem liberalitatemque Plutarchus (Arat. c. 19.) admirans Aratum cum Phocione et Epaminonda comparat neque minorem huic laudem quam utri-

que illi tribuit. Nonne hoc altero iam exemplo Arati demonstratur ambitio atque existimationis augendae nimium studium? cuius insequenti narratione plura sese nobis offerent documenta.

Ab Ergino et Diocle noctu ad urbem cum militibus suis deductus muros clam adscendit eoque dolo non solum arce, sed totà etiam urbe potitus est Aratus nocte pridie Idus Sextiles secundum Dodwellium. Ex Antigoni ducibus Archelaum, qui in potestatem suam venerat, missum fecit; Theophrastum excedere urbe recusantem interfecit; Persaeus, philosophus, quem arci praeposuerat Antigonus (Aelian. IX, 26. Athen. IV, p. 162. Plut. Apophthegm.), dum oppugnabatur arx, evasit Cenchreas Plutarcho, verum Pausania auctore (II, 8, 4.) hic quoque occisus est. Deinde Iunonis etiam templum et Lechaeum portum in potestatem suam redegit, naves Macedonum viginti quinque et quingentos equites cepit, Syros quadringentos sub hasta vendidit. Acrocorintho autem Achaei praesidium imposuerunt quadringentorum armatorum, quinquaginta venatorum totidemque canum.

Tum suasit Corinthiis, quibus simul portarum claves, quae tum primum a Philippi temporibus in eorum potestatem venerunt, reddidit, ut Achaeorum corpori sese applicarent, neque hac re eos vel Achaeos solum magno instruxit beneficio, sed totam paene Graeciam a Macedonum dominatu liberavit. Expugnatio enim huius urbis tanti fuit momenti, ut Plutarchus eam non solum germanam victoriae Pelopidae vel Thrasybuli, sed etiam extremum Graecorum praeclare factum iudicet et Aratum quasi ultimum inter Graecos nuncupet, quam tamen Romani Philopoemeni, admiratione eius ducti, tribuerint laudem (Arat. c. 16. 24. Paus. VIII, 51, 2. Liv. XXXV, 28. XXXVII, 20.).

§. 45.

Achaeorum societatis incrementa. Agidis, Spartanorum regis, expeditiones. Arati Athenarum capiendarum conamina.

Statim post Acrocorinthum interceptam Megarenses ab Antigono desciverunt et cum Troezeniis et Epidauriis in-

ter Achaeos adscripti sunt. Ptolemaeum quoque, Aegypti regem, qui tunc summum terra marique tenuit imperium, Aratus Achaeis conciliatum eorum iussu summae rerum praefecit (Paus. II, 8, 4.). Neque haec Achaeorum ad Aegyptios applicatio cuiquam vituperabitur, qui Antigoni Gonatae et capta iam Acrocorintho in Peloponneso admodum magnam fuisse auctoritatem eumque foedere cum omnibus fere singularum urbium tyrannis coniunctum fuisse, inprimis vero cum Aristippo et Aristomacho Argivis (Plut. Arat. c. 25—27.), Graeciae porro inter Macedoniam et Aegyptum sitae et modo huc modo illuc fluctuantis conditionem inde a Philippi, Amyntae filii, temporibus procul dubio miserrimam reputaverit atque Arati denique bello aperte gerendo minime idoneam respexerit indolem ac facultatem (Plut. Vit. Philop. c. 8.).

Deinde in Atticam primum irrupit et Salaminem transmissis copiis insulam depopulatus est. Omnes autem Athenienses, quos bello ceperat, sine redemtionis pretio liberos dimisit, eaque re effecit, ut tum primum a Macedonum rege desciscere cogitarent (Plut. Arat. c. 24.). Athenas vero cur aggressus sit Aratus, Pausanias (II, 8, 4. 5.) optime exposuit. Magni enim omnino facienda erat urbs, quae antiquitus iam maximam inter Graecos obtinuerat auctoritatem, qua consociata et Achaeorum opes magnum sane incrementum et Macedones contra non minus detrimentum cepissent. Sed Athenienses nunquam sibi constantes inter utramque factionem fluctuabant, donec ad Macedonas rursus sese applicuerunt.

Eodem fere tempore Agis quartus, Lacedaemoniorum rex, quum soli Graecorum Lacedaemonii offensioribus semper animis in Achaeos essent (Paus. VII, 7, 2.), Pellenen urbem subita invasione aggressus expugnavit, sed ab Arato superveniente proelio victus, foedere icto, domum se recepit (Paus. II, 8, 4. coll. VIII, 27, 9.). Propter quam societatem cum Arato initam Lacedaemonii eodem Agide duce Achaeis auxilio venerunt, quum Aetoli Peloponnesum invasissent (Plut. Arat. c. 31.).

Comparatis vero inter se his locis Paus. II, 8, 4. 5

Plut. Arat. c. 24. 31. 33. 34. Polyb. II, 57, 1. coll. Paus. VII, 7, 2. VIII, 8, 6. 27, 9., temporum rationem non habuisse tres illos, quorum narrationes sequimur, scriptores intelligitur; quare difficile omnino dictu est, quo anno singulae istae expeditiones, Agidis adversus Pellenen, Arati quattuor contra Athenienses, susceptae sint. Quater enim Aratum in Atticam copias duxisse coniicio ex Plutarchi narratione: 1) Arat. c. 24. 2) Arat. c. 33. 3) Arat. c. 34. 4) Arat. c. 34. extr. coll. Paus. II, 8, 5. Congruit Polybii (II, 43.) computatio accuratissime cum reliquis, quamquam Helvingius (p. 91. N. 2.) contrarium dicit. (Cf. Clinton. l. c. p. 217.) Prima autem Arati in Atticam expeditio num alteri an tertiae, quae secundam continuo, nullo intermisso anno, secuta est, Arati praeturae sit attribuenda, certis indiciis deficientibus, ad liquidum perduci ita non potest, ut nullus dubitandi remaneat locus. Mox quum quintum, sextum, septimum praetor esset (240—236 a. Chr.) duas in Atticam (secundam et tertiam) fecit expeditiones; quartam vero post Demetrii demum mortem, quum Lydiadas apud Achaeos tertia sua praetura fungeretur et Aratus initurus esset undecimam suam, 229 a. Chr. Mansonis vero (Spart. III, 2. p. 123 — 127.) temporis definitionem, scilicet Corinthum reliquasque urbes expugnatas et Agidis expeditionem Ol. 134 susceptam, non esse accuratam, quisque sibi facili negotio persuadebit, qui Polybii verba (II, 43.) attentius inspexerit; fallitur etiam Drumannus, qui Antigonum Gonatam 243 a. Chr. mortuum esse dicit; fato enim 239 a. Chr. demum functus est. Idemque Manso Pellenen ab Agide tentatam esse negat. At quae tum Spartae gerebantur res cogitanti mihi ac Plutarchi de Agidis vita narrationem animo reputanti, iam clarum fit, Agidem, antequam civitatis conditionem Lycurgi legibus revocatis renovandam atque emendandam susceperit, belli gloria parta suorum sibi benevolentiam amicitiamque comparare voluisse eamque ob caussam impressionem in Achaeorum fines fecisse; verum re minus succedente cum Arato lubenter foedere icto iniisse societatem, praesertim quum hic, si regis hosti-

bus vel inimicis accessisset, pervertere atque irrita reddere omnia regis consilia et conamina potuisset. Ex huius autem societatis conditionibus Agidem Achaeis opitulatum esse disertissime affirmat Plutarchus (Arat. c. 13. 14. 15. 31.). Mansonis igitur explicatio simul est medicina asperrima, quam Pausaniae obtulit. Iam Lucas (l. c. p. 82.) et Koenigius Mansonem recte impugnaverunt, quamquam prior vir doctissimus (ibid. Not. 2.), [1]) se octo annorum rationem habuisse nullam, non senserit. Pausaniae vero

1) Lydiadas enim urbem suam Achaeis tradidit 236 a. Chr. et praetor creatus est 234 a. Chr. Secundae item Arati praeturae anno Agis, quem Clinton (l. c. p. 216.) quartum facit, Eudamidae secundi filius, ad Pellenen ab Arato victus ad Achaeorum partes transiit; Mantinea vero, quam Breitenbauchius (l. c. p. 187.) eodem anno ab Achaeis expugnatam addita tamen dubitatione scribit, corpori Achaeorum capta iam Megalopoli mortuoque Demetrio accessisse existimanda est (Polyb. II, 57. IV, 8. Paus. II, 8, 5. VIII, 6, 1. Plut. Arat. c. 36.). Ac Polybius quidem temporum rationem in his habuit nullam; altero enim loco Mantineam post Sicyonem statim, altero antequam in Peloponnesum venisset Antigonus Doson ab Achaeis occupatam esse narrat. Verum haec ita inter se coniungi debent: Foederata cum Achaeis Mantinea post Demetrii obitum, nam hoc, quoad vixit, regnante singularum in Peloponneso urbium tyranni adiutore non destituebantur (Paus. II, 8, 5. qui temporum recte observavit decursum et Mantineam devicto demum Aristomacho II. captam ab Arato tradit). Sponte deseruerat foedus, et Aetolis primum, deinde Cleomeni se tradidit, sed quarto ante adventum Antigoni Dosonis in Peloponnesum anno per vim capta ab Arato (Polyb. IV, 8, 4.) et benigne habita ab Achaeis lubens volens Achaeis se iungere visa est (Polyb. II, 57.), et praesidium ab Achaeis petentes Mantinenses obtinuerunt adversus Cleomenis Aetolorumque conatus (II, 58.); mox vero rursus praerepta urbs est a Cleomene (II, 46, 2.) non invitis civibus, sed invitantibus regem et praesidium Achaeorum obtruncantibus (II, 58, 4.). Inde recepta urbe ab Antigono, advocato ab Achaeis (II, 54, 11.), bona civium direpta sunt et libera capita sub hasta vendita (II, 58, 12.), poena inflicta minore quam pro meritis (II, 58, 8.), quam immerito et mendaciter exaggeravit Phylarchus (II, 56.) historicus. Haec hoc modo inter se cohaerent neque sunt commiscenda.

errores quos dicimus chronologicos in locis VIII, 27, 9. et VIII, 10, 4. coll. c. 8, 6. et VI, 2, 2. non solum Manso (l. c.), sed etiam Siebelisius (ad Paus. T. III. p. 283.), Clinton (l. c. p. 214. et 216.), Koenigius (l. c. p. 23.) et Bayerus (l. c. 317. cf. Dissert. mea Ein Wort über Pausanias) notaverunt atque emendaverunt. Posteriorum vero Pausaniae locorum emendatio Mansonis quo est audacior eo minus placet. Etiamsi enim concedam Agidis tertii cum secundo facilem fuisse commutationem, tamen admodum dubito, quin pro Antipatro Aratum scripserit. Quidni potius Megalopolin illo tempore ab Achaeorum republica alienatam hostili exercitu Agidem adortum esse statuamus, praesertim quum hac expeditione aliquid commodi rex non solum Achaeis sed sibi quoque comparaturus videretur.

Denique Mansonem miror, quod de pugna ad Megalopolin commissa dubitat, quam tamen Pausanias (III, 10, 6.) disertis commemorat verbis.

Pellene igitur, cui Promachum Alexander M. praefecerat (Paus. VII, 27, 3.), quaeque sola, quum Achaeorum societas constitueretur, tyrannum non habuit (VII, 7, 1.) et mox in rempublicam transiit (VII, 7, 2.), tentata est, ut supra dixi, ab Agide Arato iterum praetore. Postea a Cleomene occupata est (Polyb. II, 52, 2.), eamque bis ab Aetolis tentatam (Polyb. IV, 8, 4. Plut. Arat. c. 31. 32.) defendit Aratus.

Quibus rebus non solum Achaeorum vires atque auctoritatem auxit Aratus, verum et ipse brevi tempore tantum apud eos pollebat, ut, quaecunque institueret ageretve, unius eius arbitrio libenter committerentur. Cernebant enim non opes eum, non gloriam, non amicitiam regiam, non patriae commodum suae, non rem ullam aliam, Achaeorum anteferre incremento. Siquidem existimabat, imbecillas per se civitates mutuis viribus conservari, quasi bono illigatas communi. Et quamquam quotannis eundem praetorem creari non liceret idque Plutarchus (in Arat. vit. c. 24.) diserte affirmet, tamen exceptionem

quasi quandam in Arato ab Achaeis admissam esse certo scimus. (Cf. infra §. 48.)

§. 46.

Argivorum tyranni ab Arato petuntur.

Quibus quidem peractis doluit tamen Aratus urbem, in qua educatus erat, a tyranno adhuc oppressam teneri. Constituit igitur Argivos quoque libertate condonare eorumque tyrannum, Aristomachum, opprimere. Ac reperti sunt, qui rem susciperent, quorum principes Aeschylus et Charimenes, vates, fuere. Dissidio autem inter utrumque orto Charimenes tyranno coniurationem patefecit. Brevi tamen post necato per servos Aristomacho quum rerum potitus esset Aristippus, qui crudeliore dominatu Argivos oppressit, nec clandestinis irruptionibus quicquam Aratus profecisset, Achaeis, quotquot ad manum erant et arma ferre poterant, coactis eo advolavit spem fovens fore, ut Argivi et ipsi a cervicibus violens usurpatoris imperium promti deiicerent. Sed quum multitudo ex assuetudine libenter serviret ac nemo ad ipsum transiret, recepit se, Achaeos vero in crimen coniecit arma in pace movisse. Quam ob rem a Mantinensibus, quorum urbem Arato non occurrente Aristippus Achaeorum exercitum persequens ceperat, lis triginta minis est aestimata. Schornius (l. c. p. 94.) caussam damnationis non videtur accurate intellexisse, quippe qui insuper de summo Macedonum iudicio, quod Mantineae fuerit, fabuletur. Aristippus vero ab Antigono cohortatus per sicarios Arato insidiatus est, sed quod nec centum nec plures effecissent satellites, id effecit amor suorum, quo ab omnibus non solum Achaeis, sed quicunque melioris erant indolis prosecutus absque hostium inimicorumque malitia tutus reddebatur. [1])

1) De tyrannis Graecorum accurate quidem disputavit in Dissertat. sua et in libro supra saepius citato (p. 545. sqq.) Drumannus, vir cel., alia tamen tyrannorum, qui Arati temporibus summum in Peloponnesi urbibus obtinebant imperium, videtur fuisse ratio. Licet non omnium mores a scriptoribus nobis sint depicti

Neque tamen desiit Aratus omni modo tentare, ut Argos reciperet. Aliquando scalis admotis muros parva cum militum manu superaverat vigilesque occiderat, quum dilucente die Argivis secure quietem agentibus, quasi non pro ipsorum pugnaretur libertate, a tyranno urbe rursus excedere cogeretur. Arati enim, dum fortiter dimicat, hasta comminus femur est traiectum. Locum tamen, quem ceperat, retinuit neque ante noctem ab instantibus hostibus est deiectus. Quod si noctem quoque acriter toleravisset non decidisset coepto, quippe respiciebat iam fugam tyrannus et magnam partem facultatum suarum ad mare praemittebat. Quod quum nemo ad Aratum perferret et deficeretur aqua essetque vulneris caussa sui impotens reduxit milites.

Missis igitur insidiis Aratus cum exercitu adortus Aristippum ad Chareta fluvium proelio pugnavit. Ubi hostilem exercitum auctum subsidiis sensit Cleonas sese contulit eaque in urbe Nemeorum ludicrum instauravit. Quam ob caussam accidit, ut tunc primum securitas et fides publica, quae certaminibus istis antiquitus habebatur, violaretur; nam Argivi quoque ludicrum illud eodem tempore instituerunt Achaeosque omnes, qui Argis decertaverant, fines Sicyoniae civitatis peragrantes captos hostium modo sub hasta vendiderunt.

Haec Nemea aestiva acta sunt Ol. 134, 3 anno ineunte, mensis aestivi secundi die XII. In hunc solum annum illa Nemea quadrant. Nam in eiusdem Olympiadis primo anno exeunte quae acta sunt Nemea hiberna, ea nondum ita laeta fuere Achaeis, ut Aratus Argos spectare posset. Imo post illa Nemea Aratus iterum praetor

---

atque ante oculos positi, omnes tamen urbium suarum cives saevissime tractasse videntur, quoniam plerique ex alienis urbibus oriundi nullo civitatis amore tenebantur iisque tantum rebus operam dabant, quae ex ipsorum utilitate essent, et Macedonum maxime regi favebant, quippe quem potestatis suae auctorem defensoremque colendum haberent. Atqui haec optime illustrari posse videntur Argivorum tyrannorum exemplo, quale exhibet Plutarchus in Arati vita c. 26.

res ad Corinthum gessit. Etiam Nemea hiberna Ol. 135, 1 huc trahi non possunt. Nam eo maxime anno Aratus cum Aetolis bellum gessit. Plutarchus, ut semel narrationem instituerat de rebus Argivis, ita eam persecutus est, resque Megalopolitanas et Lydiadis subiunxit, denique, quod omiserat eo in sermone, Aetolicum bellum attingit. Sane et Aristippi caedes et Lydiadis res omnes post isthuc bellum collocandae sunt, non item illa Nemea. Neque in tertium annum Ol. 135 incidere poterant haec Nemea, post Aetolicum bellum, quoniam duobus annis ante et amplius Antigonus Gonatas rex iam obierat, quem tum maxime, quum eas res ad Chareta gessit Aratus, superstitem fuisse Plutarchus declarat. Dodwellius rationes perturbavit (in Cyclis p. 323. cf. Bayer l. c. p. 310. sq.). Erat autem eodem anno (Ol. 134, 3) Aratus tertium praetor.

Paulo post quum Aratus comperisset, Aristippum Cleonas esse oppugnaturum sed sedentem se Corinthi formidare, Cenchreas exercitum duxit. Aristippus igitur Cleonas statim se contulit, sed Aratus noctu cum exercitu Cenchreis clam profectus improviso supervenit tyranno, quem fusum fugatumque capi iussit. Quo facto ad Mycenas a Tragisco, Cretensi quodam, eum interfectum esse testatur Dinias.

Sed ne post hanc quidem victoriam caedemque Argos recipere potuit Aratus; Agias enim et Aristomachus, alter eius nominis, qui exercitum e pugna reduxerunt, rerum Argivarum potiti sunt. Illud tamen impetravit, ut quam rebus ad Chareta fluvium iniquo Marte gestis sibi conflaverat invidiam conviciaque, quibus lacessebatur, ea funditus quasi exstirparet atque suorum denuo amorem sibi conciliaret, praesertim quum, si fides est Plutarcho (l. c. 27—29.) habenda, ne unum quidem hoc proelio amisisset militem, hostium vero MD cecidissent.

§. 47.

Bellum Aetolicum.

Achaeorum res quum maiora in dies caperent incrementa, Aetoli, gens ea tempestate admodum valida, iam

diu Achaeorum reipublicae fortunam aegre ferens inita cum Macedonibus societate incursiones facere per fines Megaricos in Peloponnesum urbesque consociatas diripere constituerunt. Quod ut prohiberet Aratus, quartum Achaeorum praetor, delectum habuit et Ephoris, ut mitterent auxilia, scripsit. Lacedaemone igitur confestim subvenit Agis IV. rex alacritate et promtitudine commilitonum erectus. Iuvenes enim erant plerique et egeni, iamque foenore liberati et soluti agrique exspectantes, si a bello revertissent, partitionem, impigros praebebant se Agidi, qui ad Corinthum quum convenisset Aratum et censeret pugnandum esse cum Aetolis, antequam Peloponnesum invaderent, Aratus obstitit, *ὅτι βέλτιον ἡγεῖτο τοὺς καρποὺς σχεδὸν συγκεκομισμένων ἤδη τῶν γεωργῶν παρελθεῖν τοὺς πολεμίους*, revera autem ob nativam illam animi timiditatem, quam Plutarchus (vit. Arat. c. 29.) et Polybius (II, 43.) optime depinxerunt. Agis ostendit se facturum, quod visum esset Arato, *καὶ γὰρ πρεσβύτερόν τε εἶναι καὶ στρατηγεῖν Ἀχαιῶν*, quibus non imperator, non dux, sed auxilio venisset, ut belli socius. Batonem igitur Sinopensem, qui detrectasse Agim tradidit proelium, quum id voluerit Aratus, huius scripta non legisse ideoque errore lapsum esse testatur Plutarchus. Mox Aratus dimissis sociis ab Corintho ipse recessit; Agis vero rex nonnihil moratus, ut magnum ostentaret et Spartano dignum animum, tandem et ipse se recepit. Per hanc opportunitatem Aetoli superato Gerania monte Peloponnesum ingressi Pellenen ceperunt. At Aratus repente ea in urbe adortus Aetolos lascivientes acie ante moenia urbis vicit et cum hostium agmine irrupit in urbem. Eodemque proelio septingentos Aetolorum cecidisse narrat Aratus in commentariis suis. Adiecit Plutarchus fabulam de Epigetho illustris viri filia, quae in Dianae fano forte sedens et galeam capite gestans perturbatis hostibus maiorem iniecerit horrorem; idque factum a Timanthe pictore expressum in maximis celebratum fuisse auctor est (Plut. vit. Agid. c. 13 — 15. Arat. c. 31. 32. Polyaen. strat. VIII, 59.). Polybius quoque (IV, 8, 4.) huius pugnae meminit,

ut Arati sollertiam in molitionibus occultis, dolis, et insidiis hosti struendis atque tolerantiam demonstret. (Cf. Lucas l. c. p. 84.)

Gestum est hoc bellum non, ut Dodwellius (in Cyclis p. 323.) voluit, adulto paulum Demetrii Macedonis regno, sed, quia contra illius potentiam Achaei Aetolique, ut mox narrabo, foedus inierunt, auctumno, messe iam convecta ab agricolis, Ol. 135, 1. Assentitur Schornius (l. c. p. 82.).

§. 48.

Antigonus Gonatas moritur. Demetrius II. fit Macedonum rex. Societas Achaeorum cum Aetolis. Arati altera et tertia in Atticam expeditio.

Antigono Gonatae octogenario, postquam quattuor et quadraginta annos, qui a patris Demetrii morte, 283, computantur, regnasset, mortuo 239, quum in regnum successisset Demetrius II. filius (Clinton l. c. p. 256. Porphyr. in Armen. Euseb. interpret. c. 38.), a Dardanis pressus vexatusque (Prolog. Trog. Pomp. 28. Liv. XXXI, 28.), Aratus primum quidem ὅλως κατεφρόνει τῶν Μακεδόνων (Plut. vit. Arat. c. 34.), verum quum multae ac validae gentes conspirarent in Achaeos, statim cum Aetolis et pacem et foedus confirmavit, Pantaleonte, cuius auctoritas inter Aetolos tunc erat maxima, hac in re usus adiutore, Archidami patre, qui bello Cleomenico Aetolorum copiis praeerat (Polyb. IV, 57, 7. Plut. Arat. c. 33.).

Has gentes puto primum Macedonas (Polyb. II, 44, 1.), quos aeque metuebant Aetoli Achaeique, qui novo sub rege videbantur in ordinem redigi posse, qui Aristippum, Argivorum tyrannum, aluerant adversus Aratum; praeterea Argivos ipsos et Megalopolitanos, qui sub tyrannis adhuc erant; denique Spartanos, qui Agide illa hieme sublato acta illius improbare videbantur (Plut. Ag. c. 20. Manso l. c. III, 2. p. 247. Clinton l. c. p. 232.); quamquam hi quidem nullam tunc extra terram suam susceperunt expeditionem, propterea quod vires eorum seditionibus Spartae exortis ita erant distractae, ut ne tempus

quidem suppeteret, quo externorum populorum recordarentur, donec Cleomenes motibus intestinis compositis ad Achaeorum res omnium suorum oculos animosque adverteret (Plut. Cleom. c. 3.).

Quare nihil vero similius, quam Aratum his etiam tribus annis (239. 238. 237. a. Chr.) fuisse praetorem (quintum, sextum, septimum), quum tot terrores Achaicum nomen circumsisterent. Noli autem mirari continuatas Arati praeturas summo in discrimine rerum. Plutarchus de Arato sic habet: Tantum polluisse auctoritate, *ὥστε μὴ κατ' ἐνιαυτὸν ἐξὸν, παρ' ἐνιαυτὸν αἱρεῖσθαι στρατηγὸν αὐτόν* (vit. Arat. c. 24.), et *αὐτὸς μὲν γάρ, ὡς εἴρηται, παρ' ἐνιαυτὸν ἦρχεν* (ibid. c. 30.), et *εἰωθὼς παρ' ἐνιαυτὸν ἀεὶ στρατηγεῖν* (vit. Cleom. c. 15.). Tum is ipse quoque, ubi narravit, quantis terroribus agitatus Aristippus tyrannus quantum sibi caverit, ad Aratum flectens sermonem, *ὁ δ' οὐχ ὅπλοις κατὰ βίαν*, inquit, *νόμῳ δ' ὑπ' ἀρετῆς, ἀκατάπαυστον ἀρχὴν περιπεποιημένος* (vit. Arat. c. 26.), quae sententia saepius repetita legitur etiam (ibid. c. 24.) his verbis: *ἔργῳ καὶ γνώμῃ διὰ παντὸς ἄρχειν*, et (Cleom. c. 14.) ubi Hyperbatam quidem praetorem fuisse dicit, *τοῦ δ' Ἀράτου τὸ πᾶν εἶναι κράτος ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς*. Quid *ἀκατάπαυστος ἀρχή*, nisi continuatae praeturae? Et hoc commemorat Plutarchus ita, ut facile intelligas, eum extrema Aristippi spectare. Aristippum autem Arato septimum praetore (237 a. Chr.) oppressum esse ex eo colligo etiam, quod mox Lydiadas, id ipsum metuens, se suaque tradidit Achaeis 236 a. Chr. (V. infra §. 49.)

Aetolorum auxilio fretus Aratus, quintum praetor (239 a. Chr.), quum asserere in libertatem affectaret Athenienses iterum, infamis fuit et male audivit apud Achaeos, quod intercedente ipsis foedere cum Macedonibus capere per inducias Piraeeum esset aggressus. Huius tamen foederis nullam apud Polybium mentionem reperi. Ipse vero Aratus in commentariis suis Erginum, eundem illum, cuius opera in Acrocorintho expugnanda usus erat, culpat. Quam tamen rem iam Plutarchus sibi persuadere

non est passus. Aratus enim non bis aut ter, sed saepius, perdite amantium more, Piraeeum tentavit. Semel etiam crus fregit per Thriasium fugiens diuque lectica delatus est per expeditiones.

Quae vero de pace Macedonas inter Achaeosque reconciliata vivo adhuc Antigono Gonata statim post hanc adversus Athenas expeditionem Arati, qua crus fregit, Schornius (l. c. p. 88.) narrat ex Plutarchi auctoritate (vit. Arat. c. 33. et 34.), falsa expeditionum illarum adversus Athenienses susceptarum computatione nituntur, nec cum reliquo rerum gestarum decursu concordant.

Deinde Piraeeum portum tertio, praeturam gerens sextam (238 a. Chr.), aggressus Aratus, a Bethye, Demetrii duce, ad Phylaciam (fortasse idem castellum, quod Strabo IX, 5. Phylacem in confiniis Phthioticarum Thebarum vocat) acie quum devictus esset, rumor eum aut captum aut interfectum esse ingravescebat. Quo facto Athenienses eo erga Macedonum regem adulationis processisse dicuntur, ut coronis ornati incederent et de Arati morte laetarentur. Qua re commotum tanta exarsisse ira Aratum narrant, ut exercitum statim adversus Athenas duceret, ab Academia tamen sedata ira rursus revertisse (Plut. Arat. c. 34.). Diogenes vero, qui post Bethyen Athenis praefectus fuisse videtur, Corinthios per literas adhortatus est, ut ab Achaeis, mortuo scilicet Arato, desciscerent, sed Aratus ipse eo tempore Corinthi commorabatur resque omnis in ludibrium versa est. Atque adeo Macedonum rex navem misit, qua vinctus ad ipsum deportaretur Aratus, qui fausto quodam omine monitus conservatusque inimicorum hostiumque insidias effugit.

§. 49.

Lydiadas Megalopolitanos Achaeis associat.

Occiso oppressoque Aristippo quum septima fungeretur praetura sua (237 a. Chr.) Aratus Lydiadam (sic enim scribendum esse hoc nomen demonstravit Schweighaeuserus ad Polyb. II, 44.), qui Megalopolin imperio tenebat, insidiis petiit.

Non longo tempore post bellum Lamium Megalopolitanis Aristodemus tyrannus exortus erat. [1]) Post hunc duabus ferme aetatibus ad tyrannidem aggressus est Lydiadas, obscuro genere, sed apprime generosae indolis vir et publicae libertatis amator. Quum enim admodum adolescens imperare coepisset, ubi ad aetatem prudentia accessit et per Aratum tyrannis imperium sponte deponentibus magna praemia sunt atque honores promissi, remanentibus vero maxima quaeque ab Achaeis timenda pericula ipsumque Aratum magna apud Achaeos gloria atque inter Graecos fama celebrari praestantissima vidit, eo ipso tempore, quo imperii opes iam in tuto collocarat, ultro se tyrannide abdicavit, quumque accito Arato, licet eo anno (236 a. Chr.) Dioetas praetor esset Achaeorum, se ad Achaicum concilium Megalopolitani aggregassent et suis est civibus et Achaeis universis tantopere probatus, ut unus cum Arato vitae dignitate comparari posse videretur (Plut. vit. Arat. c. 30. Paus. VIII, 27, 8. 9.).

Lydiadam vivente adhuc Demetrio secundo urbem suam Achaeis tradidisse auctor est Polybius (II, 44, 5.). Sed videamus de tempore accuratius. Quod quum accidit eo anno non erat praetor Aratus. Accitus enim Megalopolin ad Lydiadam venit, quod eum facturum non fuisse praetorem puto. Consentit denique ipsa fere ratio, ut Lydiadam se suosque 236 a. Chr. tradidisse, anno autem

1) Ponamus Lydiadam tyrannum factum anno aetatis vigesimo (240 a. Chr.), et per quattuor tantum annos tyrannidem obtinuisse (ad a. 236 a. Chr.); Aristodemum autem duabus ferme aetatibus (60 annis) ante occisum esse ab Eodemo (300 a. Chr.) eodem, qui Arato fuit adiutor in liberanda Sicyoniorum civitate (251 a. Chr.) et Philopoemeni anno, quo pugna ad Sellasiam commissa est, tricennario magister (222 a. Chr.), hunc vero Eodemum viginti annos natum fuisse, quum facinus illud patraret, sequetur, non solum Eodemum septuagenarium Arato operam dedisse et octogenarium Philopoemeni erudiendo, sed etiam non prorsus falsam esse Pausaniae computandi rationem, quod Schornius contendit (l. c. p. 90. Not. cf. Plut. Arat. c. 5. Philop. c. 1. et 5. Polyb. X, 25.).

234 a. Chr. praetorem fuisse ponamus, quod non videntur paucis interiectis diebus aut mensibus Lydiadae praetori rempublicam traditari fuisse Achaei, quem paulo antea oderant tyrannum; annus unus interiectus eluere poterat invidiam. Praetorem tum fuisse Dioetam puto. [2]) Illum inquam, de quo Polyaenus (Strateg. II, 36.): *Διοίτας στρατηγὸς Ἀχαιῶν τὴν Ἡραιέων πόλιν φανερῶς ἑλεῖν οὐ δυνάμενος, ἀφανῶς εἷλε, φθείρας μεγάλοις χρήμασι τῶν Ἡραιέων τινάς.* Nulli sane anno magis convenit urbs captá et attributa Achaeis, quam huic anno. Reliqui enim anni nullum intervallum relinquunt Dioetae praetori. At quum Aratus duodecimum praetor esset (226 a. Chr.), Heraeenses ad Lacedaemonios defecerunt (Polyb. XVIII, 25, 7.). Mox Antigonus Doson (223 a. Chr.) Heraeam expugnavit (Polyb. II, 54, 12.). Mansit urbs sub praesidiis Macedonicis, donec (209 a. Chr.) Philippus rex eam reddidit Achaeis (Liv. XXXII, 5. Cf. Polyb. XVIII, 30, 10.). Fuit igitur antea Achaeorum Heraea, quam ad Lacedaemonios, inde ad Macedonas traducta est (Bayer l. c.).

Inde ab anno 234 a. Chr. Lydiadas *παρ' ἐνιαυτὸν ἦρχε ἐναλλὰξ τῷ Ἀράτῳ στρατηγῶν*, ut ait Plutarchus (vit. Arat. c. 30.). Aratus enim post Dioetam anni 236 a. Chr. praetorem, octavum electus est praetor 235 a. Chr.; eum secutus est Lydiadas primum praetor 234 a. Chr. Arati nona praetura ad a. 233 a. Chr. referenda est, Lydiadae secunda ad 232 a. Chr. Arati decima attribuenda 231 a. Chr. Marci Cerynensis, cui Lydiadam cedere oportuit, quum tertiam peteret praeturam, praetura tertia 230 a. Chr. Obstitit enim Aratus privatim infensus Lydiadae. Hanc vero secuta est Lydiadae tertia praetura 229 a. Chr. quo anno Demetrius, Macedonum rex, diem obiit supremum (Polyb. II, 44, 2. Plut. Arat. c. 34.).

2) Adversatur quidem Schornius (l. c. p. 94. Not.); at profecto non solum Bayeri Fastos Achaicos ignoravit, sed etiam annum, quo Megalopolis Achaeorum societati accessit. Quapropter vitia multa chronologica, quae dicuntur, in Lydiadae praeturas commisit.

Lydiadas his annis operam dedit, ut superaret gloria Aratum, quum alia multa, quae non videbantur necessaria, tum expeditionem indixit in Lacedaemonios, [3]) cui quia reluctabatur Aratus visus est cum eo aemulari. Verum etiam declaratus iterum Lydiadas praetor contra pugnante ex professo Arato atque praeturam ambiente. Mox quum secundo cursu tertiam quoque praeturam adeptus esset atque in apertam cum Arato erupisset inimicitiam criminatus illum est apud Achaeos, sed repulsam tamen tulit (Plut. Arat. c. 30.). Eiusmodi vero clandestina conamina invidiosaeque insidiae quum ne ab Arati quidem animo aliena fuerint, alter alteri pari par retulisse videtur.

§. 50.

Marci Cerynensis mors. Aristomachus II. Argivorum aliique tyranni imperiis positis urbes Achaeis adiungunt.

Demetrius, rex Macedoniae, quo anno Philippum filium orbum, Antigonum autem tutorem reliquerit, Polybius (II, 44, 2.) declarat, sub ipsum inquam tempus expeditionis Romanorum in Illyrios, 229 a. Chr. (Cf. Clinton. l. c.) Demetrius Illyriorum regem Agronem concitavit, qui suscepto bello haud dubie superior, nimis laetus ea felicitate, mortem commessationibus acceleravit, relicta in regno uxore Teuta. Hac proxima aestate novas copias in Graeciam et Corcyram insulam inprimis immisit; quo tempore quum Achaei submisissent Aetolis et Corcyrensibus auxilia navalia (decem constratas naves), pulsi ab Illyriis ad Paxos insulam acri proelio, Marcum Cerynensem, virum erga commune Achaeorum omni officii genere semper, quoad vixit, egregie functum, qui tertium tunc praetor exercitum ductabat, amiserunt, 230 a. Chr. Navi

3) Suscepta igitur est haec expeditio Ol. 136, 3, non Ol. 137, 1, ut Schornius (l. c. p. 91.) voluit, duobus annis postquam Cleomenes regnum adeptus est, quae postea accuratius tractabimus. Schornii coniecturae circa hanc rem etsi non prorsus displicent, tamen etiam non satisfaciunt.

enim mersa periit. Eadem aestate C. et L. Coruncanii, legati Romani, de iniuriis expostulatum venere ad Teutam. Quibus in reditu caesis Cn. Fulvius Centumalus, L. Postumius Albinus (iterum) Coss. sequentis anni cum exercitu in Illyricum profecti uno anno bellum confecerunt.

Quum fato functus esset Demetrius, in quo omnem spem atque fiduciam positam habebant (Polyb. II, 44. χορηγὸς καὶ μισθοδότης tyrannorum), ex altera vero parte Arato acriter instante, universae tyrannidis hoste, tyranni, quotquot eorum Peloponnesi urbes imperio premebant, imperiis depositis, urbes suas Achaeorum reipublicae adiunxerunt: Xenon Hermionensium, Cleonymus Phliasiorum, Aristomachus II. Argivorum (Plut. Arat. c. 34. 35. Polyb. II, 44.).

Aratus enim L talentorum praemium Aristomacho quum pollicitus esset, quo absolveret milites suos et dimitteret, statim se praebuit propensum. Sed Lydiadas, tunc praetor tertium (229 a. Chr.), qui hoc sua opera factum esse voluit, Aratum criminatus est tanquam infestum tyrannis atque implacabilem semper, ipseque mox Aristomachum ad Achaeorum societatem adduxit. Hi vero egregiam, quam Arato debebant, admirationem optime declararunt, Aristomachum enim, auctore Arato, indignum indicavere, qui ad societatem admitteretur, donec Aratus ipse mutata sententia Achaeis persuasit, ut reciperent Aristomachum. Istam vero Arati in obtrectandis aliorum virtutibus malitiam omnino esse vituperandam praeter Helvingium haec ad annum 227 a. Chr. falso referentem (p. 102.) profecto quisque nobis concedet.

Athenienses quoque accepto nuncio, Demetrium decessisse, acciverunt Aratum, ὁ δὲ καίπερ ἑτέρου μὲν ἄρχοντος τότε τῶν Ἀχαιῶν, tamen accurrit. Bene igitur in hunc annum Lydiadae praetura tertia convenit, qui superiori anno Arati factione a tertia praetura depulsus, tamen eam nunc aequo iure petere et consequi est visus. Haec est quarta in Atticam Arati expeditio, qua CL talentis Diogeni, praefecto Macedonici praesidii, datis Athenas, Piraeeum, Munichiam, Salaminem, Sunium recepit

(Plut. vit. Arat. c. 34.). Nec multo post Aeginetae et Arcadiae maxima pars ad Achaeos transierunt. Schornius (l. c. p. 93.) has res Lydiada iterum praetore (Ol. 137, 2—137, 3) gestas esse falso scribit.

Quo facto tota fere Peloponnesus, exceptis Sparta, Elide, Mantinea, Tegea, Orchomeno, cum Achaeis consociata erat quo anno Aratus undecimam praeturam capessivit, 228 a. Chr. (Cf. Plut. Cleom. c. 3. Arat. c. 34. Polyb. II, 45.) Quantum in temporibus constituendis Schweighaeuserus lapsus sit bene demonstravit Censor editionis eius Polybianae in Neue Allgem. Deutsche Bibl. T. V. p. 25. sqq.

Caput sextum.

Bellum Cleomenicum.

§. 51.

Achaeorum reipublicae flos. Prima belli Cleomenici semina.

Tota Achaeorum valescente republica, *καὶ Μακεδόνων μὲν ἀσχόλων ὄντων διά τινας περιοίκους καὶ ὁμόρους πολέμους* (bella eorum cum Thessalis et Dardanis commemorat Iustinus XXVIII, 3.), *Αἰτωλῶν δὲ συμμαχούντων* (Plut. vit. Arat. c. 34. Polyb. II, 45.), Aetoli propter insitam improbitatem et avaritiam vires urbium consociatarum debilitare atque infestas sibi invicem reddere conabantur (Polyb. II, 43, 9. 10.). Spe igitur invidiaque stimulati cum Antigono Dosone, sic a Graecis cognominato, quia multa quidem pollicebatur, in nulla tamen re fidem servabat (Plut. Aemil. c. 8.), Euergetes et Soter nuncupato (Suid. s. v. *Ἀντίγονος*), filio Demetrii II. Pulchri (Porphyr. ap. Scalig. p. 63.) et Olympiadis, filiae Polycleti Larissaei, Gonatae nepote, qui tunc Macedoniae praeerat (229—221 a. Chr. cf. Clinton l. c. p. 257.) et Philippo, admodum puero (septenni, nato 238 a. Chr.; nam septemdecim annos natus rex fuit, Polyb. IV, 5. 6, 7. 9, 17. Iustinus XXVIII, 4. eum annos XIV natum regem factum narrat. Clinton l. c.), item Demetrii II.

Pulchri filio, tutor erat constitutus et paulo post vitricus factus, atque cum Cleomene III., Lacedaemoniorum rege (inde ab anno 23⁶/₄ a. Chr. cf. Clinton l. c. p. 217. sq. Manso Sparta l. c. p. 265. sq.), foedus pepigerunt. Idque sine dubio Achaeis exitio fuisset, Antigonus enim propter Acrocorinthum Arati opera interceptam quavis ratione Achaeorum audaciam punire studebat, Lacedaemonii quoque ea tempestate viribus admodum valebant, nisi Aratus, omnibus, sicut Polybius (II, 45, 5. IV, 8.) eum depingit, difficultatibus mederi gnarus, omnia hostium in contrarium vertisset consilia. Quum enim persuasum sibi haberet, Aetolos ob recens in bello contra Demetrium accepta ab Achaeis beneficia (Polyb. II, 44. Plut. Arat. c. 33. et 34.) palam quidem Achaeorum urbes adoriri non esse ausuros, Cleomenem vero, qui tres urbes, Tegeam, Mantineam, Orchomenum, ab Aetolis, quibus paulo antea iunctae erant, acceperat (Polyb. II, 46. Plut. Cleom. c. 3. Manso Sparta III, 2. p. 260.), ultro earum possessionem firmare, ut, quantum fieri posset, validissimas et ipse sibi compararet copias, constituit Aratus contra reliquos omnes quietem agendo bellumque apertum evitando, unius Cleomenis conatibus adversari. Verum quum Achaei Cleomenem condito Athenaeo in Megalopolitanorum agro palam se gerere hostem societatis viderent adeoque maiora esse ausurum suspicarentur, ni praeverterent, concilio convocato decreverunt, Lacedaemonios pro hostibus palam esse habendos, quae ipsa belli, quod Cleomenicum est appellatum, caussa fuit.

Haec gesta sunt post quartum Ol. 137 = 228 a. Chr. annum. (Cf. Plut. vit. Arat. c. 35. extr. sqq. vit. Cleom. c. 4. sqq. Polyb. II, 46. sqq. Lucas l. c. p. 77—80. et 85—93. Helving. l. c. p. 103. sqq.)

Simultates igitur cum Cleomene susceptae sunt iam 228 a. Chr. et duraverunt ad annum usque 223 a. Chr., ab undecima ad tertiam decimam Arati praeturam. Bellum vero ipsum, in quo Achaeis adiutor erat Antigonus Doson, paulo ante Arati praeturam tertiam decimam hieme coeptum, per duos et dimidium annos gestum et Timoxe-

no iterum praetore, victo ad Sellasiam fugatoque Cleomene Spartaque capta, finitum est, 222 a. Chr. (Cf. Schweigh. ad Polyb. II, 46, 7. et II, 54, 13. et Censor l. c.)

§. 52.

Spartani.

Spartanorum, quo sequentia accuratius intelligantur, historiae haec interponam. (Cf. Manso Sparta III, 1. p. 294. sqq.)

Ante Agidis III. s. IV. (Clinton l. c. p. 216.) e gente Proclidarum tempora, qui patrem Eudamidam II. c. Ol. 134, 1 = 24$^4/_3$ a. Chr. (Manso Sparta III, 1. p. 276. et III, 2. p. 246. 259. Bayer. l. c. c. 2. §. 7. 8. Clinton l. c.) secutus est, Ephororum unus, Epitadeus (intra annos, ut videtur, 360 et 350 ponendus, Manso l. c. III, 1. p. 263. Mueller. Dorier II, p. 194.) filio iratus legem tulerat: ἐξεῖναι τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ τὸν κλῆρον ᾧ τις ἐθέλοι καὶ ζῶντα δοῦναι καὶ καταλιπεῖν διατιθέμενον (Plut. Ag. c. 5.). Quo facto ditiores potentioresque Spartanorum omnes fere agros aut pecuniis aut vi, expulsis pristinis possessoribus legitimisque, sibi comparabant, penuriam simul et egestatem quasi effundentes per totam civitatem; e septingentis enim postea vix centum Spartani agros possidebant. Itaque pauperes non solum ab omni honorum magistratuumque communione exclusi, verum etiam cibo ad vitam sustentandam necessario destituti bella adversus hostes exteros ignave gesserunt atque tempus adeo exspectabant, quo possent seditione excitata pristina sua iura recuperare. (Cf. Plut. Ag. c. 5. Manso l. c. I, 2. p. 152. III, 1. p. 263 — 276. Tittmann. l. c. p. 660. N. 94. Mueller. Dor. II. p. 194. Wachsmuth. Hellen. Alterthumsk. I, 2. p. 258.)

Agis igitur civium suorum egestate graviter commotus dolens et ipse miseram Spartanorum sortem consilium cepit restituendi apud Spartanos pristinam Lycurgi disciplinam. In quo incepto quum ipse occumberet (Plut. Ag. c. 21. Paus. III, 6, 4. 5.), mox successorem habuit, qui rem perfecit, Cleomenem, Leonidae II. e gente Agidarum

regis filium (Plut. Cleom. c. 1.). Quod num omnino sapienter institutum fuerit ab hisce viris dubitare licet, parum certe conveniebant Lycurgi instituta Agidis et Cleomenis aetati; nitebatur Lycurgi respublica moribus magis quam legibus, solis autem legibus mores non restitui abunde docuit experientia. Tantum enim abfuit, ut ferre illa aetate possent Spartani libertatem, ut mox post Cleomenis fugam tyrannis crudelissimis succumberent (Heeren de fontib. Plutarch. p. 80.).

Cleomenes [1]) igitur ille nec facie dissimilis Agidi, neque animi indole, gloriae cupidus, ingenii dotibus excellens, temperantia pariter ac ceteris virtutibus praeditus, paululum tamen subiracundus (Paus. II, 9. III, 6, 4. 5.), civitatis suae felicitatem, adhortante insuper Agiatide uxore, revocandam confirmandamque suscepit (Plut. Cleom. c. 1. Paus. l. c.). Socio autem Xenare alienato, bello potius quam pace Spartanorum vires experiri atque exercere constituit, quum solus imperium obtineret, [2]) ut,

---

1) Natus c. Ol. 131, 2 = $25^5/_4$ a. Chr. in matrimonium duxit uxorem Agidis, Agiatin, Ol. 135, 2 = $24^0/_{39}$ a. Chr. quum annum ageret sextum decimum (Plut. vit. Cleom. c. 1. *οὐ πάνυ γάμων ὥραν ἔχων*), quae quidem multum videtur contulisse ad Cleomenis animum mitigandum vitamque excolendam; Spartae enim illa tempestate mulieres magnam rerum externarum exercebant auctoritatem (Plut. Ag. c. 3. et 7.). Regnum adeptus est Ol. 136, 1 = $23^6/_5$ a. Chr. non, ut falso Larcherus (l. c. p. 510.), Ol. 137, 3. Mortuus est Ol. 139, 4 = $22^1/_0$ a. Chr. sexto decimo regiae dignitatis anno (Plut. Cleom. c. 18. Polyb. V, 35. coll. II, 71. IV, 3, 2. 3. c. 35, 8. Schweigh. ad Polyb. II, 46, 7. et II, 54, 13. et Censor l. c. Clinton. l. c. p. 217. sq. Manso l. c. p. 265. sq. Minus accurate Corsini in Fast. Attic. §. 6.).

2) Dicis caussa Cleomenes fratrem Euclidam, Pausaniae (II, 9.) Epiclidam socium regni assumsit, *καὶ τότε μόνον Σπαρτιαταῖς ἐκ μιᾶς οἰκίας συνέβη δύο σχεῖν βασιλέας* (Plut. Cleom. c. 11.). Caedis Eurydamidae gravissimam culpae partem ephoris esse imputandam putat Plutarchus, eiusque sententiam contra Pausaniam (II, 9.), Phylarchum (ap. Plut. Cleom. c. 11.), Polybium (V, 38. et VIII, 1.) defendit Manso (Sparta III, 2. p. 135 —

si quando tempus animadversum fuerit opportunum, consilia sua eo facilius rata facere posset (Plut. vit. Cleom. c. 2. et 3.).

Hic quidem paululum differt Plutarchus (Cleom. c. 3.) in caussis belli Cleomenici explicandis a Polybio, cuius in his certe rebus enarrandis fides recentioribus historiographis suspectior merito visa est. Sequimur Plutarchum, quem inter Polybium et Pausaniam (II, 9.) velut conciliatorem deprehendimus.

Cleomenes enim Spartanorum vires prope sopitas concitandas ac bellis quodammodo exacuendas esse arbitrabatur, ut ditiori civium factioni eidemque omnia fere Spartae pro arbitrio constituenti haberet satis exercitatos milites, quos opponeret sibique auctoritate bello parta imperium firmaret remque publicam ex maiorum legibus constitueret. Excitavit praeterea Cleomenem, ut iuvenem, animi insitus vigor ac fortitudo atque ipsa illa virtus effecit, ut Achaeorum societatis in dies magis magisque crescens robur atque firmitas ipsi impedimento esse videretur, quominus quae conceperat consilia ad exitum perduceret. Erat insuper Aratus, quem omnium tyrannorum inimicum novit (Plut. Arat. c. 10.), timendus, invitavit Antigoni ab Achaeis alienatio Aetolorumque, quibuscum occulto videtur Cleomenes consilia sua communicasse, belli amor atque discordiarum.

Quae omnia si existimamus, uti et res ipsa postulat, Cleomenem reputasse, profecto nihil antiquius ei esse debebat, quam ut Achaeis, quos ne ducem quidem bellis gerendis idoneum habere vidit (Plut. Arat. c. 10.), celerrime bellum inferret. Aratus contra cognitis et Cleomenis et Antigoni Aetolorumque consiliis et ipse perniciem

139.). Schornius vero caussis quibusdam internis commotus (l. c. p. 109. N.) necem Archidami imputat Cleomeni, removet autem ab eodem crimen necis Eurydamidae parvi, Agidis filii. Cleomenis certe indoles ab utroque crimine eum remotum liberumque esse testatur. Politica vero ratio, quae dicitur, ad utrumque, vel invitum, facinus patrandum impellere potuit.

hanc quasi dormientem, mox tamen irrupturam avertendam esse intellexit. Hinc igitur belli illius initium, de quo scriptores tantum in diversas abiisse sententias videntur, quod Polybius et Pausanias, ni fallor recte uterque, Cleomenem, Plutarchus vero Aratum incepisse bellum scribunt. (Cf. Manso l. c. III, 1. p. 316. sqq.)

Verum Lucae dubium non est, quin in caussis belli Cleomenici exponendis Polybius Aetolorum contra Achaeos invidiam et belli excitandi consilium ac cupiditatem praedandi rapiendique quasi innatam, pro re aliqua vere gesta, pro facto igitur quodam acceperit ac narrationi suae tanquam fundamentum substruxerit (l. c. p. 90.).

Quam viri doctissimi sententiam etiamsi impugnare vix audeam, illud tamen cur animadvertere noluerit miror. Primum enim Polybius, quod ipsum iam supra demonstrabamus, de rebus consecuturis demum saepius ita loqui solet, quasi iam re vera actae gestaeque sint. Commemorat igitur Aetolorum cum Lacedaemoniis foedus paucis demum annis post ictum tanquam eo iam tempore initum, quo coeperint primae inter Cleomenem atque Achaeos simultates agitari (Polyb. II, 46.). Porro incursiones Lacedaemoniorum hostiles in Achaiam, Achaeorum expeditiones in alias regiones accurate distinguendae sunt ab iis, quae exorto demum communi in Peloponneso bello susceptae sunt. Invidia autem Spartanorum et Achaeorum ut nunquam sopita, ita erupit in apertas simultates iam anno 228 a. Chr., bellum autem Cleomenicum hieme coepit geri 224 a. Chr. (Cf. Schweigh. ad Polyb. II, 54, 13. et Reiskium ibid.) Neque omnino est caussa satis idonea, cur Polybii verba, „Aetolos“, quippe quos ad extrema Graeciae liberae tempora Achaeorum hostes non solum fuisse sed adeo esse debuisse noverimus, nisi propriam perdere voluerint potestatem, „invidia stimulatos cum Antigono Dosone et Cleomene ausos esse consilia de opprimendis Achaeis communicasse amicitiamque cum utroque contrahere“, in dubium vocemus. Etsi Polybius neque tempus indicat nec rem aliquam affert, qua certissime demonstrari possit Aetolorum consilium illud de per-

denda Achaeorum republica, tamen Aratus, qui et Macedonas, et Aetolos cum Spartanis Achaeorum perniciei quasi inhiare iam dudum novit, qua sollertia pollebat praevertendum societatemque, quae etiamsi inita non erat iungi tamen potuit, perniciosissimam illam in tempore dissolvendam curavit. Quod vero Plutarchus (in vit. Arat. c. 41.) scribit, Aetolos suppetias petenti Arato abnuisse, nostram confirmare videtur sententiam. Locorum denique, quos citat Lucas, neuter ad belli Cleomenici tempus quadrat. Polybii autem narratio (II, 45.) Lycisci oratione (Polyb. IX, 32—40. inprimis c. 36, 7.) optime confirmatur, neque contradicunt Chlaeneae Aetoli verba (Polyb. IX, 31, 3.), quibus Lucas in rem suam utitur (p. 98.), quippe quae ab Aetolo prolata suspicione non careant.

§. 53.

Aristomachi, Arati duodecima, Hyperbatis, Timoxeni prima, Arati tertia decima praetura.

Quod quum bellum propter varias caussas, maximam vero partem Aetolorum invidia, conflatum esset, Achaei primum propriis viribus foederis integritatem defendere constituerunt. Quam ob rem Aratus, munito per Cleomenem Athenaeo (ad Belminam, quod templum Minervae erat in Megalopolitanorum agro situm, Polyb. II, 46., quod aditum in Laconiam aut intercludere aut aperire hostibus potuit. Plut. Cleom. c. 4. ubi vocatur Belbina, quae insula erat parvula prope Aeginam, Strab. VIII, 6. IX, 1. Bembina vicus haud procul a Nemea, Strab. VIII, 6. templum vero illud dictum et Belmina Polyb. II, 46. 54. et Belemina, Paus. VIII, 35, 3. et Blemina Strab. VIII, 3. Helving. l. c. p. 124. N. 7. qui locus magni videtur fuisse momenti; nam quum Cleomenes tres illas Arcadiae urbes in potestatem suam redigeret, Achaeos pacem servasse scimus et capto demum Athenaeo bellum esse exortum.), eduxit quidem noctu copias suas Tegeam et Orchomenum proditorum opera expugnaturus, sed re infecta abire coactus est (Polyb. II, 46. 57. Plut. Cleom. c. 4.).

Quod vero expugnationem trium illarum urbium, Mantineae, Tegeae, Orchomeni, attinet, ne in hoc quidem, cur Lucae, licet summa diligentia expositae, sententiae (l. c. p. 91.) accedam partesque Polybii derelinquam adducor. Mantinea enim (cf. supra §. 45. Not.) Achaeorum iam erat, foedus vero sponte deseruit et Aetolis primum, deinde Cleomeni se tradidit, Aetolis quidem non renitentibus, unde intelligitur hos iamiam Achaeorum incrementis invidentes pacem agendo Achaeis, qui urbem amiserant, commodi aliquid afferre omnino noluisse, Cleomeni vero, quum ultro ei viderentur huius urbis possessionem permittere, propterea favisse, quod comparata satis ampla copiarum vi is maxime idoneus erat ad Achaeorum res perdendas. Quapropter tantum abest, ut ex quiete, quae in populo tam atroci omnino suspiciosa esse debet, Aetolorum amicitiam erga Achaeos coniicias, ut benevolentia ista unum Cleomenem sustentasse videantur. Interceptas vero urbes istas a Cleomene esse auctor est Polybius (II, 46, 2. coll. Plut. Cleom. 4.), cuius in his fidem Lucas immerito suspectam habet. Verbis autem, βεβαιοῦντας αὐτῷ τὴν παράληψιν, foederis adeo mentionem fieri quisque sibi persuadere patietur; nec tamen miror, cur arma non ceperint pro Cleomene Aetoli, quippe qui tum demum bellum Achaeis illaturi essent, quum Spartanorum quoque vires fractae viderentur, ut utriusque simul populi ex calamitate lucrum facerent improbum (Manso l. c. III, 2. p. 260.). Quam quidem calliditatem atque vafritiam ab Aetolorum certe systemate politico, ut hoc utar, non abhorrere nemo est, quin concedat. (Cf. Polyb. II, 45.) Arati vero ad Aetolos de societate ineunda legatio, cuius meminit Plutarchus, non videtur illa propterea eo missa esse, ut inde auxilia excirentur, sed ut Aetoli specie saltem amicitiae decepti tempus sese cum Achaeorum hostibus coniungendi opportunum praetermitterent. Ex eo autem, quod Aetoli abnuerunt suppetias petenti praetori, magis adeo clarum fit, noluisse eos in pristina societate cum Achaeis perstare; satis inquam caussae, cur accessionem eorum ad hostium partes reformidaret

Aratus idemque Polybius traderet. Quod vero Aetolorum cum Macedonum rege attinet societatem, Polybius quidem non dicit, eam re vera esse initam, sed communionem potius aliquam votorum utriusque populi testatur, scilicet ut distraherentur debellarenturque Achaeorum urbes. Inde autem, quod Aetoli gentium insequenti demum tempore cum Macedonibus coniunctarum urbes expugnaverunt, concludere velle, idem consilium minime exsecutum esse utrumque populum, plus est, quam pro re confirmanda demonstrandaque dici debuit. Scilicet non valent, quae ante acta, quaeque consecuta sunt, de tempore intermedio; in politia enim pro opportunitate atque utilitate res varias induunt species, mutantur et miscentur, idque Aetolos maxime edoctos fuisse animadvertimus, qui primum quidem eádem cum Antigono spe Achaeorum opprimendorum ducti, mox quum regem Achaeis auxiliaturum comperissent, ei denunciavere, ne cum exercitu Pylas intraret, sin minus, armis se illum transitu prohibituros (Polyb. II, 52, 8.); satis, opinor, luculentum inimicitiae adversus Achaeos documentum, quo Arati suspicio et Polybii narratio excusari potest. Sed haec hactenus.

Cleomenes vero, quamquam optima rerum gerendarum non videtur defuisse occasio, nihil eo tempore agere potuit, quoniam ab Ephoris, ne nimis magnam sibi compararet potestatem metuentibus, revocatus ex Arcadia, ubi cum trecentis peditibus nonnullisque equitibus castra posuerat, domum concessit. Vix autem Spartam profectus erat quum, Caphyis per Aratum expugnatis, rursus ad bellum gerendum Ephororum iussu copias educeret. Qua in expeditione Methydrium expugnavit, Argolidem vastavit. Tum Aristomachus, Achaeorum praetor (227 a. Chr.), cum decem peditum millibus millibusque equitum adversus eum profectus est. Qui quum proprio Marte cum hoste multa iam fama celebrato pugnam committere non auderet, Aratum ad se arcessivisse dicitur, hunc autem, ne cum Cleomene audace magnisque copiarum viribus pollente proelium iniret monuisse, neque ad Palantium, licet Lacedaemoniorum vix quinque millia adessent, pugna-

re passum esse tradunt. Quare eum et ab Achaeis vituperatum et a Spartanis derisum Lydiadas sequentis anni praeturam affectans apud Achaeorum concilium criminatus est, neque tamen quidquam effecit, Aratus enim suffragiis omnibus praetor duodecimum creatus est, 226 a. Chr. Cleomenes autem *ἐθρασύνετο πρὸς τοὺς πολίτας, καὶ τῶν παλαιῶν τινὸς αὐτοὺς ἐνεμίμνησκε βασιλέων, εἰπόντος, ὅτι μάτην Λακεδαιμόνιοι πυνθάνονται περὶ τῶν πολεμίων, οὐ πόσοι εἰσὶν, ἀλλὰ ποῦ εἰσίν.* (Plut. Cleom. c. 4. Arat. c. 35.)

Schornii in praeturis Arati constituendis rationem (l. c. p. 107. Not.) non probo. Bayeri vero (l. c. p. 305 — 309.) et Corsinii (l. c. §. 7.) computationem vitiis nonnullis laborare iam Manso (l. c. III, 2. p. 262. sqq.) accurate demonstravit. Sed videamus, qui praetores Achaeorum belli Cleomenici tempore fuerint, accuratius, ne incauti in errores similes delabamur.

Aristomachus Argivos Achaeorum reipublicae associavit quum Lydiadas tertiam gereret praeturam suam, *ὁ Λυδιάδης ἔτι στρατηγῶν* (Plut. Arat. c. 35.); eodemque anno Athenienses accesserunt ad Achaeos, *ὁ δὲ (Ἄρατος), καίπερ ἑτέρου* (Lydiadae) *ἄρχοντος τότε τῶν Ἀχαιῶν* (Plut. l. c. 34.), anno 229 a. Chr. Achaei vero *ἐνιαυτῷ ὕστερον τὸν Ἀριστόμαχον εἵλοντο στρατηγόν* (Plut. l. c. 35.) et *Ἀριστομάχου στρατηγοῦντος* (Plut. Cleom. c. 4.) occurrerunt Achaei Cleomeni ut Methydrium cepit et ad Palantium castra posuit, 227 a. Chr. Anno igitur, qui intermedius est, Aratus ad vices notissimas illas explendas undecimum erat praetor creatus, 228 a. Chr., idemque post Aristomachi praeturam *ἐκράτησε τῇ χειροτονίᾳ καὶ τὸ δωδέκατον ᾑρέθη στρατηγός* (Plut. Arat. c. 35.) 226 a. Chr. Mantinea ab Arato occupatur. Clades Achaeorum ad Lycaeum montem et ad Megalopolin. Lydiadas pugnans occumbit. Res ab Arato ad Orchomenum bene gesta. Mantineenses rursus ad Lacedaemonios desciscunt. Quibus rebus gestis Aratus praetura non modo decessit, sed eam etiam in perpetuum abiuravit. *Ἐστρατήγει ὁ Ὑπερβατᾶς τότε, τοῦ δ' Ἀράτου τὸ*

πᾶν ἦν κράτος ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς, quum ad Hecatombaeum Achaei vincerentur, 225 a. Chr. (Plut. Cleom. c. 14.) Ita contusis Achaeis, Aratus, qui altero quoque anno praetura erat fungi solitus, ἀπείπατο τὴν ἀρχὴν καὶ παρῃτήσατο, καλούντων καὶ δεομένων (Plut. Cleom. c. 15.) et ὡς ἡ τάξις αὐτῷ περιῆλθε καλούμενος ἐξωμόσατο (Plut. Arat. c. 38.) et creatus est praetor primum Timoxenus, 224 a. Chr. (Polyb. II, 53, 2. Plut. Cleom. c. 20.) Eodem praetore Nemea hiberna celebrantur Argis Ol. 139, 1. mense Februario. Nemea enim tertio cuiusvis Olympiadis anno ineunte aestiva (Quinctili mense), primo exeunte hiberna erant. (Cf. Dodwell. de Graecor. et Romanor. cyclis Dissert. VII. §. 5. p. 305. sq.) Aliter statuit Corsinius (Dissert. agonist. III. §. 4.), sed impugnatur a Mansone (Sparta III, 2. p. 279—291. inprimis p. 288. sqq.).

Verum quum in dies Achaeorum res magis affligerentur, Timoxenus autem fide prorsus destitueretur, quippe qui rebus gerendis aptus non esset, Achaei Aratum Sicyone praetorem libera cum potestate, quod alii nemini honori datum, et cum praesidio delectorum adolescentium creaverunt, ita tamen ut ad legitimum usque concilii novi tempus praetor prioris anni in officio permaneret, Aratus autem dictaturam quasi quandam obtineret (Plut. Arat. c. 41. στρατηγὸς αὐτοκράτωρ. Bene ibi Schorn. l. c. p. 117. Not.). Haec fuit Arati tertia decima praetura, 223 a. Chr. Plutarchus de hac praetura: Τριάκοντα μὲν ἔτη καὶ τρία πεπολιτευμένος ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς, πεπρωτευκὼς δὲ καὶ δυνάμει καὶ δόξῃ τῶν Ἑλλήνων. Iam quae sententia sit Plutarchi vide. In reipublicae gerendae praeceptis, οὕτω, inquit, παρῆλθεν εἰς δόξαν Ἄρατος ἀρχὴν ποιησάμενος πολιτείας τὴν Νικοκλέους τοῦ τυράννου κατάλυσιν. Quum versatum in republica dicit ab eo tempore, quo Nicoclem tyrannum Sicyonium oppressit, isthuc quidem non plane significat, inde iam usque in magistratibus esse coepisse; at Plutarchi tamen animo eam opinionem sedisse non absurdus est, qui suspicetur. Illi autem triginta tres anni non possunt ab alio principio duci,

quam ab eo tempore, quum praetura annua fuit constituta ab Achaeis. Nam in decima tertia praetura, ut vides, Aratus tertius et tricesimus praetor annuus fuit. Sic, puto, tempus ipse in commentariis insigniverat Aratus, non, quod tot annos magistratus gesserit, sed quod hoc illius formae reipublicae spatium exstiterit. (Paululum ad veritatem accessit Clinton. l. c. ad annum 222. prorsus aberravit Schorn. l. c. p. 411.)

Illo autem anno, quo victus fugatusque est Cleomenes, Timoxenum Achaeorum praetorem iterum fuisse invenio (Plut. Arat. 47. Polyb. II, 6, 4. 7, 6. Manso l. c. III, 2. p. 265.), ut paulo post dicam amplius.

§. 54.

Achaeorum clades ad Lycaeum, Leuctra; victoria ad Orchomenum.

Eodem anno (226 a. Chr.) quum Eleos cum Spartanis coniunctos Achaei aggressi essent, his vero auxilio venisset Cleomenes, iam in reditu a Spartanis ad Lycaeum montem devicti sunt iterumque Aratus ipse per noctem aufugiens mortuus credebatur (Plut. Arat. c. 36. coll. c. 34. Cleom. c. 5. Polyb. II, 51.). Sed mox receptis copiis Mantineam, quae urbs ab Achaeorum societate desciverat, primumque cum Aetolis, deinde cum Cleomene coniuncta erat, in fidem recepit eamque benigne tractavit (Plut. Arat. c. 36. Cleom. c. 5. Polyb. II, 57. Schorn. l. c. p. 108. Not.). Non tamen multo post rursus transiit ad Cleomenis partes (Polyb. II, 58.).

Cleomenes autem morae impatiens in bellis gerendis paulo ferocior partisque victoriis auctoritatem sibi apud suos conciliaturus in Megalopolitanorum fines incursiones fecit, quoniam Aratus *οὔτ' ἄλλως πρὸς τὰς κατὰ στόμα μάχας εὖ πεφυκὼς, καὶ τότε λειπόμενός τε πλήθει, καὶ πρὸς ἄνδρα τολμητὴν καὶ νέον ἤδη παρακμάζοντι τῷ θυμῷ καὶ κεκολασμένῃ τῇ φιλοτιμίᾳ συνεστηκὼς· καὶ νομίζων, ἣν διὰ τοῦ τολμᾶν ἐκεῖνος ἐξ οὐχ ὑπαρχόντων ἐκτᾶτο δόξαν, αὐτῷ κεκτημένῳ φυλακτέον εἶναι διὰ τῆς εὐλαβείας*, pugnam palam committere aversabatur,

et Megalopolitanos pugnandi cupidos detinebat, nec, quum levis armaturae milites in hostem irrupissent, de ope persequentibus ferenda cogitabat. Tum vero Lydiadas ira exacerbatus equitatum ut sequeretur se neve pro patria pugnantem desereret cohortatus in dextrum hostium cornu se coniecit. Sed quum persequendi ardore abreptus ad loca saltuosa et paludibus impedita pervenisset neque Aratus opem ferret a Cretensibus et Tarentinis, quos in eum Cleomenes misit,[1] circumclusus acriter pro patria pugnans occubuit. (Notetur Breitenbauchii l. c. p. 17. egregius error de exilio Lydiadae ex Plutarchi vocabulo *ἀπεῤῥίφη* in vit. Arat. c. 30. ortus.) Reliqui autem milites celeri fuga ad peditatum se receperunt totumque ita turbarunt exercitum, ut in fugam conversus a Lacedaemoniis caederetur. Cleomenes deinde cum hostibus inducias pactus est ad sepeliendos mortuos et Lydiadae corpus purpurea veste coronaque ornatum ad Megalopoleos portas deduci civibusque tradi iussit (Plut. Cleom. c. 6. Arat. c. 37. Polyb. II, 51, 3. Pausanias quoque VIII, 27, 4. huius proelii meminit, sed commutavit cum seriori urbis expugnatione per Cleomenem, cf. VIII, 44.).

Pugna haec commissa est ad Leuctra, *τῆς Μεγαλοπολίτιδος χωρίον* (Plut. Cleom. c. 6.), isque locus defenditur contra Schweighaeuserum (ad Polyb. l. c.) Plutarchi verbis, quae leguntur in vit. Pelop. c. 20. extr. *ἐπεὶ καὶ τῆς Λακωνικῆς πολίχνιον πρὸς τῇ θαλάσσῃ Λεῦκτρον ὀνομάζεται, καὶ πρὸς Μεγάλῃ πόλει τῆς Ἀρκαδίας τόπος ἐστὶν ὁμώνυμος.*(Cf.Censor. ed. Polyb. Schweigh.) Polybius vero (II, 51, 3.) hanc pugnam commissam esse scribit *ἐν τοῖς Λαδοκείοις καλουμένοις τῆς Μεγαλοπολίτιδος*, cuius situm in via Megalopoli Palantium et Tegeam tendentibus accuratius descripsit Pausanias (VIII, 44.), eumque locum receperunt Schweigh. (l. c.), Manso (l. c. III, 1. p. 311. Not. d.), Lucas (l. c. p. 83. et 86.

1) Mercenariorum militum opera iam Agis contra Antipatrum usus erat, Diod. XVII, 48. 62. et Leonidas, Plut. Ag. c. 19. eosdemque ante Cleomenem in bello contra Achaeos pugnasse intelligimus ex Plutarchi vita Cleom. c. 6.

Not. 1. ubi duplex numerorum error), Helvingius (l. c. p. 131. N. 4. quia Straboni et Pausaniae nulla in Arcadia Leuctra nota sint, sed in Boeotia tantum et Messenia) et Schornius (l. c. p. 111.).

Aratus ob hanc in obtrectandis aliorum meritis atque virtutibus malitiam, quam contra Lydiadam saepius eum exseruisse animadvertimus, in concilio Aegii acriter ab Achaeis vituperatus est (Plut. Arat. c. 37.), ut praetura statim se abdicare et sigillum tradere vellet (ibid. c. 38.); neque deerunt, qui recte fecisse Achaeos contendant, licet Helvingius (l. c. p. 132. Not. 6.), quamquam contra historiae luculentissima documenta, adversari videatur. Mecum facit Pausanias (VIII, 27, 10.).

Cleomenes igitur fortuna favente elatus Heraeam et Alsaeam s. Aleam (ut Manso l. c. III, 1. p. 312. Not. ex Xylandri emendatione praetulit), s. Aseam (Plut. Cleom. c. 7.), Achaeorum urbes expugnavit et Orchomeniis per Megistonum, avunculum simul et vitricum suum (Plut. Arat. c. 38. 41. Cleom. c. 7. 11.), commeatu sustentatis, ad Mantineam castra posuit. Interea Aratus cum Megistono ad Orchomenum congressus est trecentisque Spartanorum eo proelio caesis Megistonum vivum cepit, redemtum tamen a Cleomene in libertatem restituit (Plut. Cleom. c. 11.).

Dimissis deinde per Arcadiam Lacedaemoniis Cleomenes cum militibus mercenariis Spartam profectus Ephoros trucidari iussit rerumque solus potitus est (Plut. Cleom. c. 8—11. Manso l. c.). Iniuria a nonnullis scriptoribus, Polybio (II, 47, 3. IV, 35, 6. 7. IX, 23, 3. 4.) et Livio (XXXIV, 26.), qui tamen, quum priorem transcripserit, fide indignus est, Cleomeni tyranni macula inusta est, quoniam et e regia stirpe erat nec quidquam violenter admisit, nisi quod patriam ab Ephororum dominatu liberatam regere voluit; quod ipsum agnoscere videntur Pausanias (III, 6, 5.), quamquam is falsa narrans (III, 9, 1. coll. Polyb. IV, 35.), et Plutarchus (Cleom. c. 5.). Polybii autem, qui hanc fere omnem historiam ex Arati commentariis desumtam in usum suum transtulit, etsi non hostili

contra Cleomenem animo scripsisse existimandus sit, in his certe narrationibus, praesertim quum saepius secum pugnet (V, 3, 7. c. 10. c. 11. c. 45; 3—5. c. 46. c. 47—50.), magna esse auctoritas non videtur, quoniam in scriptis hostis atque inimici adeo inimicum raro ita depictum eiusque facta reperies ita proposita, qua decuerit fide atque veritatis amore. (Cf. Manso l. c. III, 2. p. 133—140. Lucas l. c. p. 53—59. 73—76. Mea dissert. Ueber Polybius Darstellung des Achäischen Bundes l. c.) Ea quoque, quae contra Phylarchum tam vehementer disputavit Polybius (II, 56.), suspicionem in ipsum Polybium movent, quum obtrectationem, malevolentiam, livorem atque invidiam in Cleomenem, Arati vero defendendi redoleant studium. (Cf. Manso et Lucas ll. cc.)

Quibus rebus confectis cum exercitu in Megalopolitanorum fines irrupit Cleomenes et agros depopulatus est (Plut. Cleom. c. 12.). Quo facto Mantineenses quoque, coorta seditione, accitis Lacedaemoniis, eiectis aut trucidatis (differunt ibi Plutarchus Cleom. 14. et Polybius II, 58, 4. 5.) Achaeorum praesidiis, Cleomeni urbem tradiderunt (Polyb. II, 58. Plut. Cleom. 14. Arat. 39.). Quibus in fidem receptis pristinaque reipublicae forma restituta Tegeam concessit Cleomenes ac deinde per Arcadiam itinere facto Pheras Achaicas aggressus est, ut vel depugnaret cum Arato, vel ignaviae opprobrium ipsi conflaret.

§. 55.

Clades Achaeorum ad Hecatombaeum. Actiones de pace Cleomenem inter et Achaeos.

Sequentis anni (225 a. Chr.) praetura apud Achaeos fungebatur Hyperbatas (Plut. Arat. c. 38. Cleom. c. 14. 15.), quem in Dymaeensi agro ad Hecatombaeum tanta clade affecit Cleomenes, ut Aratus vicissim praeturam propter insitam animi in rebus bellicis ignaviam subire vereretur (Plut. Cleom. c. 15. Arat. c. 38. cf. Polyb. II, 51.). Apparet simul ex his, quantum Plutarchus in his saltem historiis praestet Polybio, qui multa quidem et

ipse narrat de Arato, omnia tamen eiusmodi, quae possint homini illi in laudem verti, nihil vero, unde personam ab utraque parte cognoscas.

Aggressus deinde est Cleomenes Langonem s. Lasionem (Manso l. c. III, 1. p. 318. N. Plut. Cleom. c. 14.) Hyperbata etiamnum praetore (Plut. Cleom. c. 14. coll. Arat. c. 38.), quod oppidum expulsis Achaeorum exulibus Eleis restituit.

Hinc igitur Ptolemaeus, Aegypti rex, quum tot tantisque cladibus affectos videret Achaeos, Cleomeni ad belli usum necessaria quaeque suppeditare coepit, quoniam nec semper in amicitia retinere se posse Achaeorum gentem sperabat, et maiorem in Cleomene quam Arato exspectationem ad impedienda Macedoniae regum consilia ponebat (Polyb. II, 51, 1. 2.).

Achaei vero ita sunt his cladibus turbati, ut legatos ad Cleomenem mitterent, regem ut Argos veniret ad Cyllarabin gymnasium (Plut. Arat. c. 39. Cleom. c. 17. Liv. XXXIV, 26. non *εἰς Λέρναν*, ut Plut. Cleom. c. 15. ibi enim illis temporibus nunquam habitus est Achaeorum conventus) ibique summum Achaeorum capesseret imperium, Hyperbatas enim praetura abiturus erat, invitaturos. Sed Cleomenem ad Lernam castra iam posuisse quum audivisset Aratus iterum legatis ad eum missis postulavit, eius enim *τὸ πᾶν ἦν κράτος ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς* (Plut. Cleom. 15. Arat. 38.), ut cum trecentis tantum militibus fideque per obsides firmata tanquam ad amicos sociosque veniret. Cleomenes autem vel indignatus postulata, vel, quae quidem verior videtur narratio, illo ipso tempore sanguinis reiiciendi morbo subito impeditus Lacedaemonem concessit. Sic interpretor diversas illas Plutarchi narrationes in vit. Cleom. c. 15. et 17. et in vit. Arat. c. 39. Neque deerat caussa, cur illo potissimum tempore Arato succenseret Cleomenes, cuius in vita omnino animadversum non est, quasi maledictis delectari potuisset, quamquam ab Arati animo talia non abhorrere antiquorum scriptorum narrationes demonstrant; Aratus enim, qui palam cum rege congredi non erat ausus, quip-

pe quum praeturam renunciasset ne apud Achaeos quidem magnam tunc obtinere videbatur auctoritatem, gratiam vero artificiis, fortasse etiam non ex omni parte laudabilibus, Achaeorum rursus sibi comparavit, quo Cleomenis resisteret conatibus. Hinc igitur et odium illud, quo Cleomenes, bellicosus ille atque fortis omnino vir, contra timidos omnes acerrime stimulabatur, quod propter easdem caussas inprimis etiam contra Aratum concepisse videtur, impedimento fuit, ne societas inter Lacedaemonios et Achaeos tempore illo iungeretur, quo et maxime necessaria fuit et saluberrima. Reiecta enim societate Cleomenis actum prorsus de Achaeis erat, nisi hi auctore rursus Arato alienam opem quaesivissent, quae quaeri quidem non debuit amplius; nam Aratus (vit. Cleom. c. 17.) propterea potissimum restitit Cleomeni, quod cum Antigono de conditionibus separatim iam egerat pactusque erat: *ἤδη διωμολογημένων αὐτῷ πρὸς τὸν Ἀντίγονον τῶν μεγίστων κ. τ. λ.* et (in vit. Arat. c. 38.) *ὁ Πολύβιος αὐτὸν ἐκ πολλοῦ φησὶ καὶ πρὸ τῆς ἀνάγκης ὑφορώμενον τὸ θράσος τὸ τοῦ Κλεομένους κρύφα τῷ Ἀντιγόνῳ διαλέγεσθαι κ. τ. λ.* (Cf. Polyb. II, 47—50.)

Et iam universa Peloponnesus, quum Cleomenes paulo post, praecone Aegium non Argos (Plut. Cleom. c. 17.) misso, denuo bellum Achaeis indixisset, fluctuari coepta est, et Aratus *ὡς ἡ τάξις αὐτῷ περιῆλθε καλούμενος ἐξωμόσατο* (Plut. Arat. c. 38.) sive *ἀπείπατο τὴν ἀρχὴν καὶ παρῃτήσατο καλούντων καὶ δεομένων οὐ καλῶς, οἷον ἐν χειμῶνι πραγμάτων μείζονι μεθεὶς ἑτέρῳ* (Timoxeno, Polyb. II, 53, 2.) *τὸν οἴακα καὶ προέμενος τὴν ἐξουσίαν· ἐδόκει δ' ἡ μὲν πρὸς τοὺς ὄχλους ὀργὴ πρόφασις εἶναι λεγομένη τῆς ἐξωμοσίας ἀπίθανος, αἰτία δ' ἀληθὴς τὰ περιεστῶτα τοὺς Ἀχαιούς· διὸ καὶ μέμφονται αὐτὸν ἐν σάλῳ μεγάλῳ καὶ χειμῶνι τῶν πραγμάτων φερομένων ὥςπερ κυβερνήτην ἀφέντα καὶ προέμενον ἑτέρῳ τοὺς οἴακας, ὅτε καλῶς εἶχε καὶ ἀκόντων ἐπιστάντα σώζειν τὸ κοινόν* (Plut. Arat. c. 38.). Timoxenus igitur praetor electus est 224 a. Chr.

Cleomenes hac nova expeditione (224 a. Chr.) pri-

mum Sicyonem tentavit, deinde, hanc quum expugnare non posset, Pellenen expulso Achaeorum praesidio, Pheneum et Pentelium recepit. Quo facto Phliasii ad Lacedaemonios defecerunt. Ne vero Corinthus etiam ab hoste surriperetur equitatum et mercenarios illuc miserunt Achaei, ipsi autem Argos ludicrum Nemeum celebraturi se contulerunt Ol. 139, 1. mense Februario. (Schornii l. c. p. 118. N. de his Nemeis coniectura etsi non prorsus est spernenda, tamen tempore potius appetente nullo Cleomenis respectu habito celebrata sunt.) Contigit igitur Cleomeni hanc quoque urbem expugnare. Quo facto ultro se tradidere Cleonaei, Troezenii, Epidaurii, Hermionenses, spe novorum agrorum tabularumque novarum (Plut. Cleom. c. 17—19. Arat. c. 39.). Polybius (II, 52.) has urbes a Cleomene expugnatas esse commemorat: Caphyas, Pellenen, Pheneum, Argos, Phliuntem, Cleonas, Epidaurum, Hermionen, Troezenem, Corinthum.

Quae dum geruntur Aratus Sicyone in concilio a magistratibus habito praetor bellique dux cum libera potestate creatus (Plut. Arat. c. 41.) quos suspectos habuit Sicyonios morte puniri iussit. Sed quum Corinthios eadem severitate coercendos suscepisset, hi urbem Cleomeni tradiderunt. Qui ubi Corinthum venit non solum domibus familiaque Arati pepercit, sed Tripylum, Megistonum, et Tritymallum (nisi idem cum Tripylo, Arat. c. 40. et 41. Cleom. c. 19.), Messenium quendam, ad Aratum misit, qui, promissa duodecim talentorum mercede annua, peterent, ut Lacedaemoniorum Achaeorumque communi Acrocorinthum praesidio teneri pateretur. Aratus autem legatos ad Achaeorum concilium delegavit, *ὡς οὐκ ἔχοι τὰ πράγματα, ἀλλὰ μᾶλλον δ' ὑπ' αὐτῶν ἔχοιτο.* Quam simulationem ratus Cleomenes Sicyonem, quo Aratus cum trecentis militibus se contulerat, oppugnare aggressus est; tribus tamen mensibus elapsis abstitit, atque obsidione cinxit Acrocorinthum, ubi Achaeorum praesidio Cleopater praefectus erat.

§. 56.

Antigonus Doson Achaeis opem fert.

Interea Achaei ad concilium habendum Aegium convenerant atque Aratum Sicyone adsciverunt (Plut. Cleom. c.19. Arat. c. 40. Polyb. II, 52.), quo potissimum auctore decretum est, ut Antigono obsides mitterentur, Acrocorinthus a Cleomene obsessa traderetur et rex ipse sociorum dux adversus Cleomenem crearetur, quum hac tantum conditione opem se laturum pollicitus esset (Polyb. II, 54, 3. sq. Plut. Arat. c. 54.). Qua in re perficienda tantus Arati, quippe quem auctorem huius foederis et multo antequam necesse fuerit cum Antigono per Nicophanem et Cercidam, Megalopolitanos, quorum cives pessimo Lacedaemoniis Achaeorum foedus infestantibus loco erant, de foederis conditionibus egisse noverimus, conspicuus fuisse dicitur pro patriae salute amor, ut tanquam communem eum patrem ea quoque tempestate venerarentur et filium adeo suum cum aliis obsidibus regi mitteret. Quo facto, conditionibus utrinque iureiurando sancitis, foedus post Pegis ictum est. Athenienses opem Achaeis ferre non potuerunt propter seditiones Euclidam inter et Micionem ibi exortas (Plut. Arat. c. 41.). Aetoli autem et petenti Arato suppetias abnuere (Plut. ibid.) et Antigonum, quominus Pylas intraret, se prohibituros comminabantur (Polyb. II, 52. coll. IV, 64. 65. τὰ στενά, per quae Philippus ex Acarnania Oeniadas usque progressus est.). Attamen Plutarchus (in vit. Arat. c. 38. Cleom. c. 16.) praestantius fuisse censet cum Cleomene inire societatem, quoniam Graecus erat; nisi, quominus palmam concederet Spartanorum regi ac propemodum iuveni, ipsa illa Arati gloriae cupiditas et in obtrectandis aliorum virtutibus malitia fuisset impedimento. Falsa igitur sunt, quae proferunt Helvingius (l. c. p. 188. N. 3.) et Drumannus (l. c. p. 488.), fortasse uterque Polybii (IV, 12, 7.) et Pausaniae falsa sententia fretus (II, 9, 2. VII, 7, 2.). Bene Manso (l. c. p. 187.) et Lucas (l. c. p. 58. sqq. coll. p. 52.), nam ne ob pericula quidem, quae ab Aetolis immi-

nerent, Aratum cum Macedonibus iniisse societatem, demonstrari facile potest. (Plut. Arat. c. 42. 44. Polyb. II, 51. Dissert. mea: Aratus als Feldherr und Staatsmann, et quae contra Helvingium disputavi in censura eius opusculi; cf. Lucas l. c. p. 93.)

Antigonus igitur Achaeis auxilio venit cum viginti millibus peditum et millibus quadringentis equitibus (Plut. Arat. c. 43. Cleom. c. 20. μετὰ πολλῆς δυνάμεως. Polyb. II, 52.), misso, dum adhuc in Thessalia esset, ad Aratum nuncio de iis, quae inter ipsos convenerant; (sequimur Casauboni interpretationem, eandemque accuratiorem melioremque quam Schweighaeuseri) eadem via, qua seriori tempore Philippus in Peloponnesum profectus est (Polyb. IV, 67, 6.). Tres enim in Peloponnesum per mare fuisse vias testatur Xenophon (Hellen. IV, 7, 14. cf. Polyb. IV, 64. 65, 9.). Boeoti et Megarenses, qui Achaeorum societati adscripti erant (Polyb. II, 43. Plut. Arat. c. 16.), eandem permissu Achaeorum deseruerunt, quum Cleomenes Isthmum teneret obsessum (Polyb. XX, 6, 8.). Hinc igitur patet Boeotos non solum non fuisse Antigoni hostes (locus enim Polyb. II, 65, 4. quem citavit Gronovius de seriori coniunctione valet, a. 222 a. Chr.), licet Thebani vituperarent Neonis sive negligentiam sive benevolentiam, sed etiam Antigonum iter per Boeotiam facere potuisse cum exercitu. Cleomenes vero eum locum, qui inter Acrocorinthum et montes Onia (Plut. Cleom. c. 20. τὰ Ὤνια, Polyb. II, 52. τὰ Ὄνεια, Strab. VIII, p. 380.) situs est, vallis murisque munivit, ut situ atque locorum iniquitate potius quam aperta pugna Macedonum armorum usu exercitatas copias debilitaret atque in Peloponnesum transitu prohiberet. Hinc intelliguntur etiam Polybii (II, 52.) verba ἀντεστρατοπέδευον ἀλλήλοις et Plutarchi narratio (vit. Cleom. c. 20.). Antigonus autem magnis admodum angustiis circumdatus est, quippe qui neque remanendo tranquillitatem agere propter commeatus inopiam, neque per Cleomenis castra armorum vi transitum sibi facere, ad Lechaeum levi proelio victus, neque inde ab Heraeo Sicyonem navibus copias transmit-

tere posset, quia non solum longa sed magnis etiam difficultatibus impedita erat via (Plut. Cleom. c. 20. Arat. c. 44.).

§. 57.

Res ante pugnam ad Sellasiam commissam gestae.

Interim Argivorum urbs ab Aristotele ad Achaeorum rursus partes traducta ab Arato et Timoxeno in ditionem recipitur (Plut. Cleom. c. 20. Polyb. II, 53.), quum Megistonum a Cleomene Argivis auxilio missum proelio vicissent ipsumque occidissent. Deinde Cleomenes ipse signis ab Acrocorintho sublatis, quam Antigonus statim recepit receptamque praesidio firmavit, Argos profectus est. Ibi quum de morte Agiatidis uxoris certior esset factus et Antigonum cum exercitu celeriter appropinquantem conspiceret quasi rebus desperatis omnibus Argivorum arce relicta primum Mantineam, inde Spartam abiit, unde ad Ptolemaeum Euergetem, Aegyptiorum regem, Cratesicleam matrem et filium suum obsides misit, quippe qui hac tantum conditione Cleomeni opem se laturum pollicitus esset (Plut. Cleom. c. 20—22. Arat. c. 44.). Argivi Aristomachum crudelissima poena afficiunt (Plut. Arat. c. 44. Polyb. II, 59. 60. Lucas l. c. p. 56. Non assentior iis, quae Schornius l. c. p. 118. N. coniectat.).

Antigonus Argis omnes tyrannorum statuas, quae ab Arato reiectae erant, reponi et Corinthi praeter unam Arati everti iubet (Plut. Arat. c. 43.). Cognoscas in his Arati amicum, qui non solum auxilia laturus Achaeis, sed iniurias etiam, quibus Macedones affecti erant ab Achaeis, ulturus venerit. Polybius quoque (IV, 76. V, 16, 6.), ceterum Arato amicissimus, breviter commemorat, quantum sibi arrogaverit quantumque derogaverit Achaeis Macedonum rex.

Mox Tegeam expugnavit Antigonus praesidioque firmavit, Cleomenem in ipsa Laconia levibus proeliis lacessivit, Orchomenum et Mantineam cepit. Acerrimas tunc quidem poenas luebant Mantineenses propter perfidiam, cuius supra meminimus; non recte a Polybio contra Phy-

larchum defensum Achaeorum facinus (Polyb. II, 56. cf. Lucas l. c. p. 57.). Insequenti autem tempore, quum Argivis [1]) urbis huius rursus exstruendae data esset potestas, Aratus, tunc Achaeorum praetor, atram sane Antigonum adulando sibi inussit maculam, quam nunquam postero tempore abstergere ei contigit; prorsus enim deleto Mantineae nomine urbem recens conditam Antigoniam nuncupavit (Plut. Arat. c. 45. Cleom. c. 16. Helvingius l. c. p. 148. sq. huius adulationis patrocinium pluribus immerito suscepit.). Hadrianus autem quum ad imperium accessisset adventitium cognomen urbis illud Macedonicum sustulit eamque suo pristino nomine iussit vocari (Paus. VIII, 8, 6.).

Deinde Heraea et Telphusa ab Antigono expugnantur. Cleomenes igitur quae universa paene Peloponneso debellata sibi conciliaverat commoda celeriter amisit; multae enim urbes relictis eius partibus ad Achaeos desciverunt (Plut. Cleom. c. 21. Polyb. IV, 54, 4 — 8.). Quibus rebus vehementer in angustias compulsus Spartanorum rex totoque rerum successu desperans omnibus Helotis, qui quinque minas Atticas solvere possent, libertatem restituit, indeque quingentis talentis comparatis bis mille mercenarios conduxit, quos ad Macedonum morem armis instructos (Plut. Cleom. c. 11. coll. Flamin. c. 8. Polyb. XVIII, 12. 13.) contra Megalopolin duxit eamque urbem repentino impetu captam diripuit ac diruit, dum Antigonus Aegii, ubi Achaeorum conventus circa Pleiadum ortum agebatur (Polyb. IX, 18.), commorans Macedonas domum, non in hiberna, dimissos habuit (Polyb. II, 55.). Sic emendanda est Schornii (l. c. p. 126. Not.) sententia, cuius coniecturam κατὰ τὸν φωλεὸν iam Casau-

1) Quum postea Argivi ex omnium Achaeorum numero soli in Philippi potestate ac societate mansissent, Mantineenses vero cum Achaeis adversus Cleomenem statim arma tulissent et Lacedaemoniorum opes infregissent, videtur iis proprium ius nummorum excudendorum datum esse privilegium (Liv. XXXII, 25. Paus. VIII, 8, 6. Eckhel doctr. num. veter. II. p. 232.).

bonus et Schweighaeuserus noverunt. Pausanias, qui (IV, 29, 3. VIII, 27, 10.) Lydiadam in ea pugna cecidisse scribit, corrigendus est. Caussam irae Cleomenis male interpretatur Polybius (II, 55. cf. Lucas l. c. p. 80.). Plutarchus (Cleom. c. 26.) Cleomenem defendit: ὡς καὶ τῶν περὶ Μεγάλην πόλιν ὑπ' ὀργῆς μᾶλλον ἢ καλῶς αὐτῷ πεπραγμένων (cf. vit. Philop. c. 5.) et Pausanias (VIII, 49.), qui regem saevitiae poenituisse narrat. Philopoemenis, iam triginta annos nati, tum virtus enituit (Plut. Philop. c. 5. Cleom. c. 23—25. Arat. c. 45. Polyb. II, 54, 4—14. 55, 1. 2. 61, 5—11. Paus. VII, 7, 2. VIII, 49. sqq.). Polybius (IX, 12—22.) ubi de partibus artis imperatoriae disputat, Arati imperitiam ad Cynaetham, Philippi peccata ad Melitaeam, Niciae errores in Sicilia et Cleomenis ad Megalopolin vituperat.

Aratus in concilio lacrimis adeo offusis Megalopolin a Cleomene dirutam esse exposuisse dicitur et mox, quum Cleomenes Argivorum agros depopularetur, Argivi a Macedonum rege, Argis commorante, frustra auxilia petisse perhibentur (Plut. Cleom. c. 25. Polyb. II, 64.), scilicet speciei caussa revocavit milites e Macedonia Antigonus, qui serius convenere, atque id egit, ut Achaei et debilitati et conterriti ipsius vim ac praestantiam sentirent.

Aestate ineunte (Ol. 139, 1.) postquam et Macedones et Achaei convenerunt Antigonus Tegeam proficiscitur inde in Laconiam invasurus. Cleomenes vero alia via Argos copias suas ducit, Argivorumque agros ferro ignique iterum depopulatur, Phliuntem, Onogyrtum capit et Orchomenum aggreditur. Quibus rebus feliciter gestis tantam sibi boni ducis gloriam comparavit, ut non solum suis spem laetam excitaret, sed Antigonus etiam per integrum anni spatium non nisi levibus proeliis cum ipso congredi viresque copiarum suarum experiri auderet. Quod tamen ipsum eo maiori exitio Cleomeni erat, quia omni populatione prohibitus nec militibus nec mercenariis stipendia persolvere potuit (Plut. Cleom. c. 26. 27. Polyb. II, 65.).

§. 58.

Pugna ad Sellasiam. Mors Antigoni et Cleomenis.

Timoxenus ab Achaeis iterum praetor eligitur (Plut. Arat. c. 47. Polyb. IV, 6, 7. 7, 6. 10.) in annum 222 a. Chr. sive accuratius Ol. 139, 2—139, 3, ut infra in Fastis non solum testabor, sed oculis etiam lectorum clarius proponam.

Convenerunt tandem utrique exercitus ad Sellasiam, ubi Cleomenes cum viginti militum millibus contra triginta hostium millia pugnam conserere coactus est, quoniam omni commeatu destitutus erat et ne Ptolemaeus quidem pecuniam suppeditabat promissam. Quod si per duorum saltem dierum spatium sese retinuisset, Antigonus revocatus erat, quum Illyrii aliaeque gentes barbarae Macedoniam invasissent (Plut. Cleom. c. 27. Polyb. II, 65 — 70. V, 24, 8. sq. Paus. II, 9, 2. VII, 7, 2.). Quem Plutarchi locum, sine dubio e Polybii historia translatum, accuratius si inspexisset Schweighaeuserus, non haesisset ille quidem in vocabulo λόγον, sed emendandum vidisset in μικρόν, neque Helvingius celeritate sua abreptus Benickenii (Des Polybius Kriegsgeschichte in fünf Büchern, übers. und mit Anmerkungen und Planen versehen, Weimar 1820. p. 222.) sententiam duorum auctorum auctoritate stabilitam immerito impugnasset (l. c. p. 165. N. 4. cf. Plut. Cleom. c. 31. sqq. Arat. c. 46. Polyb. II, 69, 10. 11. Iustin. XXVIII, 4. Paus. IV, 29. Liv. XXXIV, 28.).

Universus Antigoni exercitus constabat e peditum ferme viginti octo millibus, equitibus vero millibus et ducentis, quorum erant stipendiarii in universum peditum tria millia, equites trecenti, sociorum e Graecia et Illyria sex millia nongenti. Cleomenes vero cum viginti circiter millibus armatorum castra ad Sellasiam posuerat, ibi enim, quod ipsum accidit, hostem speraverat irrupturum. Duo ibi colles in utraque angustiarum parte eminent, alter Euas, Olympus alter, per quos Oeneus fluit, prope quem via ducit Spartam. His igitur fossis valloque mu-

nitis fratri Euclidae cum sociis Euam defendendum tradidit, ipse vero cum Lacedaemoniis et mercenariis Olympum obsederat, equitatu praeterea et parte stipendiariorum ad fluvii ripas collocatis. Quare Antigonus quum appropinquasset atque Cleomenem et arte imperatoria et locorum natura adiutum probeque omnino munitum conspexisset, primo quidem hostem aggredi non est ausus, sed sub Gorgyli fluvii ripas, ne de improviso Cleomenes impetum faceret, castris positis, ut per exploratores tum de locorum natura, tum de militum ingenio certior fieret, quietem agendo per triduum remansit levibus hostem proeliis interdum lacessens. Sed quum ab omni parte ita munitas cognovisset Antigonus, quas ceperat Cleomenes stationes, ut vix aut ne vix quidem eius exercitui detrimenti aliquid afferri posset, uterque tandem dux, haud spernendum sibi adversarium nactus (πάνυ εὐφυεῖς καὶ παραπλησίους ἡγεμόνας ἡ τύχη συνέβαλε τούτους τοὺς ἄνδρας), quemcunque proelii exitum cuique fortuna praeberet, experiri constituit.

Antigonus igitur loricatos et Macedonas et Megalopolitanos (Polyb. IV, 69, 5. Schornii igitur coniectura l. c. p. 182. N. λευκάσπιδας pro χαλκασπ. displicet) opposuit Euclidae montique Euae iisque Alexandrum, Acmeti filium, et Demetrium Pharium praefecit, pone hos Acarnanibus et Cretensibus duobusque Achaeorum millibus collocatis, qui, ne irruerent a tergo hostes, omni caverent diligentia. Equitatui Cleomenis equites, duce Alexandro, altero eius nominis, opposuit additis insuper Achaeorum millibus totidemque Megalopolitanorum peditum. Mercenarios autem et Macedonas adversus Cleomenis aciem collocavit suis auspiciis praefecitque, ut Illyrii sublato e proximis Olympi locis linteo, Megalopolitani autem et equites puniceo paludamento hostem adorirentur.

Itaque Illyrii quum regis iussu impetum in hostem fecissent, Achaei vero pugnantium ordines negligentius a tergo tuerentur, milites levis armaturae Cleomenis ultimum eorum agmen invaserunt atque in magnum admo-

dum discrimen eos, qui collem superare enitebantur, adduxerunt, quoniam non solum ab his a tergo, sed etiam a fronte, Euclida fortiter instante, premebantur. Quod ubi vidit Philopoemen, [1]) quantoque Illyriis victis detrimento tota Achaeorum acies affici possit, cognovit, primum quidem Macedonum praefectos hortatus est, ut in hostem impetum facerent, his autem consilium eius, quippe qui munere nunquam functus esset, renuentibus, ipse deinde Megalopolitanos fortitudinis admonitos (equitatum Polybius, mercenarios Plutarchus in Philop. c. 6. narrant) adversus hostem duxit. Quo facto mercenarii, qui a tergo quidem Illyrios premebant, ipsi quoque nunc pressi magno clamore audito in aciem refugerunt. Secuti sunt et Macedones Megalopolitanos atque ita cum Illyriis coniuncti Euclidam imperitum et negligentem (Polyb. II, 68, 3. sqq.) Philopoemenis prudenti consilio moniti in fugam cum copiis converterunt. Paulo ante Cleomenes, qui Antigoni aciem totam observaverat, quum Illyrios et Acarnanas non conspexisset, insidias veritus, Damotelem, qui copiis terga pugnantium tutantibus praeerat, curare iussit, ne Euclidam hostes a tergo adorirentur. Damoteles autem ab Antigono, ut ferunt, pecunia corruptus, bono animo regem esse iussit, nec quidquam ab hoste Euclidae copiis pe-

1) Polyb. II, 67, 4 — c. 68, 3. Plut. Philop. c. 6. coll. Paus. VIII, 49. Philopoemen equitatum rexit, ubi vero rei summam in peditatu positam vidit, pedes et ipse cum gravi armatura, dum periclitatur audacius, utrumque femur tragula traiectus est, ac licet hoc pacto impeditus esset, tamen inflexis genubus tanta vi progredi conabatur, ut hastile valido pedum motu frangeretur. Victis certe hostibus in castra reportato ex altero femore spiculum, ex altero missilis fragmentum extractum est. Viri ingentem virtutem admiratus Antigonus omni studio, ut se in Macedoniam sequeretur, operam dedit. Idem refert Plutarchus, uterque Polybii commentarios de Philopoemene secutus. Nec mirum in locis asperis, irriguis et voraginosis, utpote inter montes, fruticeta et fluvium pro equestri certamine pedestre Philopoemenem maluisse. Haec simul contra Schornium (l. c. p. 133. N.) dicta sunto. Vocatur quidem Philopoemen κομιδῇ νέος et μειράκιον, sed re vera iam erat vir tricenarius. Cf. Folard Polybii Interpret. T. III. p. 279. sq.

riculosum agi praetendit (Phylarch. ap. Plut. Cleom. c. 28.). Quibus auditis Cleomenes cura propter fratrem liberatus animum ad ea, quae agebat Antigonus, totum advertit.

Reges vero ad Olympum per expeditos et mercenarios milites, quorum utrinque erant circiter quinque millia, certamen commiserunt, haud quidem leve, vir enim viro oppositus atque ordini ordo acriter dimicabant. Ubi vero Cleomenes Euclidae, qui in proelio occubuit (Plut. l. c. et Paus. II, 9, 3.), copias fusas fugatasque conspexit et equitatum in planitie fere inclinatum, metu perculsus, ne undique ab hostibus circumcluderetur, castrorum munimenta dirui iussit atque exercitum tubis receptui canentibus recta acie instruxit. Tum quidem atrox secuta est pugna, quum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non solum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent, neque discerni potuit initio, cuius partibus victoria esset futura, modo Macedonum, modo rursus Lacedaemoniorum acie recedente, usque dum Antigoni phalanx incredibili violentia in hostem irruens Lacedaemonios e munitionibus deiecisset. Quo facto mercenariis tantus iniectus est pavor, ut in fugam sese effunderent, eorumque pars maxima caesi sunt, ac Lacedaemoniorum quidem, quorum sex millia in proelium erant educta, vix ducenti hostium manus effugerunt.

Victi Lacedaemonii non ipsi tantum, sed etiam coniuges liberique magno animo fortunam tulere. Nemo quippe in acie saluti pepercit, nulla amissum coniugem flevit, filiorum mortem senes laudabant, patribus in acie caesis filii gratulabantur, suam vicem omnes dolebant, quod non ipsi pro patriae libertate cecidissent. Patentibus omnes domibus saucios excipiebant, vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter haec nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio, magis omnes publicam, quam privatam fortunam lugebant.

Inter haec Cleomenes rex post multas hostium caedes, toto corpore suo pariter et hostium cruore madens, supervenit; ingressusque urbem non humi consedit, non

cibum aut potum poposcit, non denique armorum onus deposuit; sed acclinis parieti quum quattuor millia sola, Spartanorum vix ducentos ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur, ut se ad meliora reipublicae tempora reservarent. Tum alia in itinere quoque, inprimis colloquio cum Therycione, celsi ac generosi animi quum edidisset documenta, quae luculentissime testantur, eum non fuisse tam abominandum, qualem depingit nobis Polybius, tyrannum, Aegyptum ad Ptolemaeum Euergetem proficiscitur; a quo honorifice susceptus in summa dignatione regis vixit. Postremo post Ptolemaei mortem a filio eius Philopatore, Sosibio et Nicagora suasoribus, cum omni familia interficitur, Ol. 139, 4 = $22^{1}/_{0}$ a. Chr. (Cf. supra §. 52. N. 1.) Atque hunc habuit vitae exitum vir, quum in vitae consuetudine et colloquiis familiaribus dexteritatis cuiusdam singularis, tum etiam ad seria negotia tractanda optime ab ingenio comparatus, ad ducis vero vel regis munia obeunda factus a natura (Plut. Cleom. c. 29. 32 — 39. Polyb. V, 35 — 40. Paus. II, 9, 3. Iustin. XXVIII, 4.).

Antigonus autem caesis occidione Spartanis, fortunam tantae urbis miseratus, a direptione milites prohibuit, veniamque his, qui superfuerant, dedit, praefatus, bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis habuisse, cuius fuga omnis ira eius finita sit, nec minori sibi gloriae fore, si ab eo servata Lacedaemon, a quo solo capta sit, proderetur. Parcere igitur se solo urbis ac tectis, quoniam homines, quibus parceret, non superfuissent. Avitam deinde ipsis reipublicae formam restituit (Polyb. V, 9, 8. sqq. IX, 36.), relicto tamen Brachylla Boeoto, Neonis filio, qui summae rerum praeesset, urbis curatore (Polyb. XX, 5, 12.), [2]) eamque ob caussam servatoris nomine

2) Verba Polybii: *Διὸ καὶ μετὰ ταῦτα, νικήσας Κλεομένη τὸν Σπαρτιάτην, καὶ κύριος γενόμενος τῆς Λακεδαίμονος, ἐπιστάτην ἀπέλιπε τῆς πόλεως Βραχύλλην.* Brachyllam Spartae praesidem ab Antigono esse constitutum disertissime testantur, quamquam dubium est Censori Schweigh. Polyb. l. c. p. 14. Idem Brachyllas com-

a Spartanis est condonatus. Nunciato, Illyrios Macedoniam invasisse, Sparta exercitum statim reduxit Tegeam, ubi revocato pristino reipublicae modo (Polyb. V, 9, 9. 10.) et Megalopoleos recens conditae Prytanide, philosopho Peripatetico, legislatore instituto (Polyb. II, 55. V, 93, 8. Paus. Messen. c. 22. Arcad. c. 27. Liv. XXXII, 22.) Argos sub ludorum Nemeorum tempus advenit, anni tertii Olympiadis 139 initio, mense Quinctili, 222 a. Chr. [3]) (Cf. Manso l. c. III, 2. p. 280.)

Inde magnis ibi honoribus, quum omnium Achaeorum, tum urbium singularum, inprimis vero Spartanorum (Polyb. IX, 36, 5.) votis splendidissime cumulatus (Polyb. II, 70.) paceque communi omnibus Graecis praestita (Polyb. IV, 3, 8.), adiunctis iis omnibus civitatibus Achaeorum reipublicae, quae ante bellum Cleomenicum consociatae fuerant, additisque Spartanis insuper (cf. Polyb. II, 65, 4. ubi de Boeotis hoc liquet), in Macedoniam properavit, ubi Illyrios quidem devicit, sed quia attentiore in dimicando voce milites cohortatus erat, sanguinem coepit reiicere nec multo post morbo confectus est Ol. 139, 4. medio, 221 a. Chr. exeunte (Polyb. II, 70. Plut. Cleom. c. 30. Arat. c. 46.). Achaei statuam ipsi ob morum probitatem et praeclara instituta, quamquam, ut et aditum liberum in Peloponnesum haberet et mediterranea custodiret praesidio, Acrocorinthum et Orchomenum (Polyb. IV, 6, 5. 6.) in potestate sua retinuerat, Olympiae collocarunt, qua a Graecis coronatus ostendebatur (Paus. VI, 16, 3.).

In regnum ipsi successit Philippus V., vulgo III., septemdecim annos natus (Polyb. IV, 5. 6. 7. 9. 17.), qui

---

memoratur: Polyb. XVIII, 26. XX, 7, 3. Liv. XXXIII, 27—29. et mendose Brachyllelis apud Plut. in vit. Flamin.

3) Pugna ad Sellasiam igitur commissa est anno secundo Olympiadis 139. exeunte, Iunio vel Iulio mense, item 222 a. Chr. Cf. Manso l. c. quem si accuratius intellexisset Schornius, non scripsisset (l. c. p. 134. N.): die Schlacht muss *noch* 139, 3 vorgefallen sein; illud *noch* quadraret ad annum secundum.

per quadraginta duos regnavit annos (Liv. XL, 54. Dexipp. Porphyr. ap. Scalig. p. 63.), 220 — 179 a. Chr. (Cf. Clinton. l. c. p. 243.)

Caput septimum.

Res Achaeorum ad Arati usque mortem.

§. 40.

Macedones. Philippus.

Macedones de Philippo rege sibi profecto gratulari ab eoque optima quaeque exspectare poterant. Idem enim Philippus, Demetrii II. Pulchri filius, Antigoni Dosonis privignus, Antigoni Gonatae nepos, Persei pater, non solum sub tutela Antigoni Dosonis, patruelis simul et vitrici (Paus. VII, 7, 2.), praestantis sane atque egregii tum viri tum regis (Polyb. II, 45, 2.), qui industrius, prudens, fidem colens (Polyb. II, 47, 5. 70, 7.), rei castrensis gnarus magnoque usu artis militaris instructus (Polyb. II, 66. V, 35, 9.) a Polybio nobis depingitur, cuius humanitatem seriori etiam tempore Lacedaemoniis in memoriam revocabat Lyciscus Acarnan (Polyb. IX, 36.), observandi rerum bellicarum domesticarumque ac discendi regias virtutes habebat facultatem atque occasionem, neque a vivo tutore solum sapienter et regnum et pupillus ac praeclare regebatur (Polyb. IV, 87, 6.), sed testamento quoque rebus in posterum prudenter quum esset provisum summaque cura ordinatum, quomodo et per quos singula essent administranda, ut omnis ministris aulicis mutuarum discordiarum seditionumque occasio praeriperetur (Polyb. IV, 76.), nactus est et tam bene confirmatum, tamque prudenter institutum regnum, et tot praeclaros rerum gerendarum administros, et populum tanto amore regi addictum, ut praeter ipsius regis virtutem nihil prorsus deesse ad regentium obedientiumve felicitatem videretur (Polyb. IV, 87.).

Verum has virtutes, quae et gloriam comparare et excitare aliorum admirationem solent, Philippus tanquam

a natura hereditarias acceperat. Quare facile non est regem invenire, maioribus a natura dotibus ad parandum imperium necessariis ornatum. Nam et sollertia mentis, et memoria, et venustate eximia praestabat, eoque accedebat vultus speciesque regia et maiestas quaedam, supra omnia autem erat navitas et audacia bellica. Itaque iam bello sociali quum propter instituta, quibus erga socios in castris utebatur, tum propter singularem in re bellica dexteritatem, non solum apud castrensem multitudinem, verum etiam apud reliquos omnes Peloponnesios bene audiebat, eoque tempore ut ob ceteram vitam, ita propter rerum gestarum magnitudinem maiorem quam pro aetate admirationem hominum consecutus erat (Polyb. IV, 77, 1—3. 82, 1.).

Hinc non solum a Macedonibus, sed a Graecis etiam omnibus ita est adamatus, ut illi absente rege nunquam seditiones excitandas tentarent, hi vero lubentissime eius auctoritati atque auspiciis res suas committerent (Polyb. VII, 12, 4. sqq.). Natura igitur erat bonus, procedente vero aetate in vitia incidit, ut Polybius (IV, 77, 4. VII, 12. IX, 23, 9. X, 26, 7. sq.) neminem e superioribus regibus plures Philippo virtutes, neminem eodem plura ad regnum vitia attulisse dicat. Quo autem modo Philippus ex optimo principe in ferum tyrannum mutatus (Polyb. VII, 13, 7.) et omnibus exosus sit, effrenataeque libidini indulgere coeperit (Polyb. VII, 12, 10. X, 26. Paus. VII, 7, 3. c. 8, 5. VIII, 50, 4. Liv. XXVII, 31.), non est facile paucis exsequi; ista enim considerandi et illa de quaestione disputandi erit alius convenientior locus ipsaeque res, quas procedente narratione in animo est afferre, satis luculenta mutationis istius nobis exhibebunt testimonia. (Cf. Polyb. IV, 77, 4.)

At priusquam hocce missum facimus argumentum, unum illud moneamus, Macedonum regem, quoties Demetrio Phario et Taurione consultoribus usus sit, pessima, quoties Arato aut Chrysogono, optima cepisse et rata fecisse consilia (Polyb. VII, 13. sqq. IX, 23, 9. V; 12, 5. sqq.). Tutores enim ei ex Antigoni testamento, cuius

iam supra meminimus, constituti erant Apelles, omnium princeps, Leontius cetratis praefectus (Polyb. IV, 87, 8. V, 27, 4.), Megaleas regiorum scribarum collegio (Polyb. IV, 87, 8.), Taurio rebus Peloponnesi (Polyb. IV, 6, 4. 87, 8. VIII, 14, 2.), Alexander satellitio fuerat praepositus (Polyb. IV, 76, 1. 87, 8.).

Macedoniam moriens Antigonus Doson optima reliquit conditione, quum industria denuo effloruisset rerumque domesticarum melior administratio abundantiam quasi quandam divitiarum progenuisset, quae in regno post Alexandri M. obitum tot tantisque principum dissidiis gentiumque bellis conquassato Antigonus institutis suis provocasse ac fundamentis quasi novis superstruxisse existimandus est. Urbibus vicisque incolae redditi, colonis novis agri attributi, atque agri culturae summum impensum est studium. Res militares, quibus omnem fere operam Philippum et Alexandrum M. navasse notum est, quae tamen et ipsae a successoribus negligentius tractabantur, prudenter erant restitutae, milites disciplinae severiori adstricti ipso iam nomine et fortitudinis existimatione gentes exteras terrebant. Barbaros, qui Macedoniam saepius infestabant, in ipso propemodum vitae limine devicerat Antigonus, Achaeos vero, neque ad bella gerenda armorum exercitatione satis instructos et duce adeo belli destitutos, non socios solum sibi comparaverat opem ferendo, sed, praesidiis Corinthi et Orchomeni relictis, ita sibi fecerat obnoxios, ut sine Macedonum auxiliis nihil prorsus valerent, donec restituta disciplina militari Philopoemen pristinam belli gloriam recuperavit, quamquam libertatem semel iterumque amissam vel proiectam vindicare non potuit (Polyb. IV, 7, 7. Plut. Arat. c. 47. Philop.). Maxima vero Graeciae pars septentrionalis, quam Epirotae, Thessali, Phocenses, Acarnanes, Boeoti habitabant, cum Macedonibus eorumque sociis Achaeis, quorum foederi praeter Eleos totam illa tempestate Peloponnesum adscriptam fuisse scimus, et iureiurando coniuncta fuit et in tantum pavorem coniecta, ut nomen adeo ipsum

victoris reformidaret atque expavesceret (Polyb. II, 70. 71. IV, 3.).

Quem rerum tunc dispositarum statum si accuratius contemplamur, duae sese nobis offerunt caussae, quas propter fieri non potuit, quin pax illa diu servaretur Graecique tandem quiete exoptatissima ac necessaria adeo fruerentur. Societas enim, qua Antigonus maximam Graecorum partem coniunxerat, iam ipsa magnitudine laborare videbatur. Gentes in concordiam redierant, quae antea non solum obtrectatione, sed etiam odio acerrimo agitatae exterorum potius populorum ferre maluerunt dominatum, quam cuiuspiam Graecarum urbium principatui cedere. Ac scimus quidem populos ad societatem pacemque violentia et timore adigi posse, neutrum tamen horum, vi ista sublata copiisque remotis quum evanuisset auctoritas, quae singula, ut hoc utar, membra diversissimi generis quasi conglutinavit ac refersit in unum corpus, in longum esse duraturum tempus. Quam ob rem Antigonus quum esset mortuus regnumque Macedonicum ad Philippum iuvenem devenisset, simul cum copiis et auctoritas ipsa illa, qua pollebat tutor Doson, remota videbatur, neque mirum gentes pristinam libertatem recuperandam foedusque non voluntarium deserendum suscepisse. Quod ipsum, et haec quidem altera videtur esse belli mox conflati caussa, ubi cognoverunt Aetoli, neque foederi Macedonico illi quidem adscripti, quippe quibus bello aggrediendis aliud fuerit destinatum tempus, magnam sane societatem atque Aratum acerrimum ipsorum inimicum metuentes, Philippi vero iuventutem negligentes, et ipsa vitae sustentandae ratione ad bellum quam ad pacem promtiores, aliisque insuper stimulati caussis atque rationibus, quas mox sumus expondituri, omnibus hostium conatibus ac consiliis antevertendum belloque, quid valerent, experiundum esse censuerunt. Quae ipsa quidem caussa erat belli, quod vocatur sociale, gerique coeptum est, quo tempore fortuna universis prope orbis terrarum partibus novam quasi faciem induxerat (Polyb. IV, 2. 3. cf. Lucas l. c. p. 95.).

§. 60.

Aetolorum rapinae.

Dum Achaei pace delectantur pacisque voluptatibus perfruuntur atque elati Arati auctoritate, quam testamento hereditariam ei apud Philippum reliquerat Antigonus Doson, vel nolentes sensim in luxuriam eiusque comitem, ignaviam, delabuntur, gens pacis impatiens, assueta ex rapto vivere et propter insitam arrogantiam multis ad vitae usum rebus necessariis egens, nihil amicum, hostilia omnia reputans, Aetoli, Achaeis securitatem ac potentiam istam obtrectantes prima belli novi semina spargunt (Polyb. IV, 3. XVII, 5—8. Strab. VII, 7. p. 114. 122. Mannert. l. c. VIII, 38—40. 46. 47. supra §. 43.). Antigono enim mortuo, quum bene cognovissent, Lacedaemonios Achaeorum societatem aegre ferre, ipsique rebus Peloponnesi sese immiscendi occasionem sedulo quaererent ac captarent, casu quodam fortuito iam diu gliscens invidia atque obtrectatio in apertum erupit bellum. (Cf. Lucas l. c. p. 93—114. Helving. l. c. p. 168—241. et liber meus Der Aetolisch-Achäische Bundesgenossenkrieg, Königsberg, Unzer 1831.)

De rerum hoc bello gestarum consecutione ac serie deque Achaeorum praetorum eodem spatio comprehensorum annis dubium nullum subesse Manso (l. c. III, 2. p. 266. sq.) recte monuit.

Rerum vero hoc bello gestarum decursum, a Polybio nimio amore effusoque studio expositum, non nisi summatim indicabimus.

Dorimachus Trichoniensis, eiusdem Nicostrati, cuius in universae gentis Boeotorum conventum insignis exstitit perfidia (Polyb. IX, 34, 11. coll. Frontin. Strateg. I, 4, 4.), filius, iuvenis adhuc, at plenus Aetolica impudentia et aviditate (Polyb. IV, 3, 5.), Phigaliam Arcadiae quidem, in Messeniorum tamen finibus sitam urbem, quae tunc cum Aetolis faciebat (Polyb. IV, 3, 16.), mittitur, in speciem quidem ut eam tueretur, re autem vera, ut speculator rerum in Peloponneso exsisteret. Hic piratis, φίλων ὄν-

των καὶ συμμάχων Aetolorum (Polyb. IV, 3, 9. c. 5, 8. c. 6, 11.), Messeniorum pecora rapiendi potestatem facit. Messenii frustra res raptas repetunt. Chironis villa effringitur multisque occisis reliqua familia et iumenta abiguntur (Polyb. IV, 3.). Scironis, Ephori, probi viri, hortatu Messenii Dorimacho diem dicunt eumque cum Babyrta quodam homine impuro et contemnendo comparatum detinent in urbe invitum. Dimissus autem atque in Aetoliam reversus Dorimachus operam dedit, ut Messeniis bellum conflaret (c. 4.).

Aetolorum praetor tunc erat Ariston (ab auctumno 222 ad auctumnum 221; Achaeorum Timoxenus praetor iterum a vere 222 ad ver 221, cf. Polyb. IV, 6. 7. 9. 17. sic emendandum puto Clintonem l. c. p. 248.), qui ob corporis infirmitatem Dorimacho et Scopae, affinitate coniunctis, praeturae officia concesserat, contentus sola dignitate. Hunc Scopam et ratiociniis supra iam a nobis expositis, quum rerum veram commemoraret conditionem, et spe magnae praedae in partes suas transduxit, factumque, ut, nulla prorsus concilii communis ratione habita, non Messeniis solum, et iis, quorum intererat salvam Messeniorum servari integritatem, sed quibuscunque rapi aliquid potuit, bellum indiceretur, eo anni tempore, quod interiacet inter auctumnale Aetolorum 222 a. Chr. et vernum Achaeorum 221 a. Chr. concilium (c. 5.).

Lucas Polybium, ut merito, ubi de Arato et Cleomene disputat, tamen non ubique optimo iure in rebus Aetolorum impugnare videtur. Facile enim opinor cuique in mentem incurrere, quae sententiae (l. c. p. 96. et 97.) obmoveri possint. Namque mihi certissime persuasum est, id ipsum tempus, de quo agimus, Aetolis maxime visum esse idoneum ad aggrediendos Achaeos ob caussas, quas supra (§. 59.) exposui. Terribiles certe nec Philippi neque aliarum civitatum copias Aetolis fuisse ex eo colligimus, quod in ipsa Peloponneso iamiam Achaeorum veteres hostes obtrectatoresque surrexerunt, spes vero Macedonicorum auxiliorum longinqua videbatur et reliquae Graeciae gentes tum demum de ope Achaeis ferenda cogita-

vere, quum Achaei iam ad Caphyas victi sunt. Quod si igitur Polybius bello contra Messenios suscepto Aetolos etiam Messeniorum sociis bellum intulisse scribit, in hoc anachronismum, quem dicunt, admisit, iis scilicet anteceptis atque ad belli initium translatis, quae postmodo consecuta sunt. Neque mirum, Messenios a Dorimacho res raptas repetiisse, quem praefectum legatum Aetolorum ac quàsi praesidem piratarum scirent, cuius auctoritas apud Aetolos quanta fuerit, vel ex eo intelligitur, quod eius et Scopae consilio in Peloponnesum expeditio illa suscepta est. Plutarchum vero Arati vitam conscribentem nihil attinebat narrare, quomodo novum Achaeis adversus Aetolos exortum sit bellum, sed eas tantum attingere res, quae proxime spectarent Aratum. (Cf. c. 47.)

Quibus quidem consideratis iam me non assequi posse libere profiteor, cur Polybii narrationem impugnaverit Lucas, quamquam equidem nescius non sum, hanc totam disquisitionem, opinionibus ac coniecturis superstructam, in eo versari, ut scriptoris antiqui, quem rerum suo tempore gestarum principem colebamus testem, fides infirmetur ac derogetur, quippe qui pro re et narrationibus suis defendendis patroni officia amplius suscipere nequeat, etiamsi ex eius verbis talia extricentur atque confingantur, quorum vel ne opinione quidem quidquam auguratus fuerit.

Aetoli circa Cytheram Macedonum navem onerariam intercipiunt ac vendunt, Epiri et Acarnaniae littora depopulantur, inprimis urbem Thyreum (Polyb. XVII, 10, 9.), vecti Cephalleniorum navibus. Clario, in agro Megalopolitano arce potiuntur, quam tamen Timoxenus, iterum Achaeorum praetor, et Taurio, qui Macedonum in Peloponneso praesidiis praeerat, mox recipiunt (c. 6, 4.). Deinde Aetoli ab Antirrhio (Xen. Hellen. IV, 7, 14. Strab. II. p. 141. ed. Tauchn. Mannert. l. c. VIII. p. 103. Lucas l. c. p. 98. N. 1. Helving. l. c. p. 171. N. 3.) Peloponnesum ingressi, vastatis Patraeensium, Pharaeensium, Dymaeorum agris, Phigaliam abeunt, inde Messeniorum fines populabundi peragrantes (c. 6. Plut. Arat. c. 47.).

§. 61.

Arati quarta decima praetura. Achaeorum clades ad Caphyas.

In concilio Achaeorum Aegii, postquam Patraeenses, Pharaeenses et Messenii de iniuria ab Aetolis sibi illata questi essent utque auxilia sibi mitterentur rogassent, magno omnium Achaeorum consensu bellum adversus Aetolos decernitur. Timoxenus autem praetor, quoniam et instabat tempus, quo magistratu erat abiturus, et parum ipse Achaeis fidebat, namque Peloponnesii, a quo tempore regno Lacedaemoniorum excidit Cleomenes, partim superioribus bellis fessi, partim duraturum praesentem statum confisi, rei bellicae curam contemtui habuerant, lentius peragebat negotium militum conscribendorum. Quam ob rem Aratus, utpote non tum primum, sed iam olim Aetolis infensus, morae impatiens, quinque diebus ante tempus iustum praeturam quartam decimam iniit, Maio mense 221 a. Chr. et mandata dedit ad civitates, ut Megalopolin convenirent, qui arma possent ferre (Plut. Arat. c. 47. Polyb. IV, 6. 7.).

Messenii in societatis Achaicae communionem non recipiuntur, quia cum Philippo pactum erat, ne quis, nisi rege etiam annuente, novus socius Achaeis adscriberetur. Tantam iam tum Achaei regibus Macedonum concesserant auctoritatem! (c. 9. 10.)

Megalopoli Aratus duxit in Aetolos, e Peloponneso recedentes, et clade maxima ad Caphyas est affectus (Polyb. IV, 9, 8. c. 11. 12. Plut. Arat. c. 47. Folard ex interpret. de Oelsnitz. T. V. p. 19. sq.). Megalopolitani sero adveniunt et in pugna caesos sepeliunt. Spartani, etsi iam eo tempore, quo commissa est pugna, alienato fuerint animo ab Achaeis, participes tamen pugnae esse non potuerunt, quamquam dicto praetoris audientes convenerant frequentes, quoniam Aratus per imprudentiam praepropere eos domum dimiserat (Polyb. IV, 10, 1. 16, 6. cf. Lucas l. c. p. 104. N. 2.). Haec Mansoni (l. c. III, 1. p. 220.) obmoveantur. Aetoli victoria usi,

Pellenenses et Sicyonios agros populati, per Isthmum discessere domum, quod aestas utique vergeret et Philippum adventare fama esset.

Haec sunt, quae bello sociali caussam atque occasionem praebuerint, initium vero eius sociorum omnium decretum erat, quod Corinthi Philippo auctore sancitum est (Polyb. IV, 13. Plut. Arat. c. 47.).

In concilio Achaeorum auctumnali 221 a. Chr. adversus Aratum quattuor ob rem male gestam accusationis capita promuntur: primum, quod ante tempus legitimum praeturam iniisset resque eiusmodi, pugnam nimirum apertam, suscepisset, quas parum feliciter sibi succedere frequenti experientia didicerit; deinde, quod socios dimisisset, quum mediam etiamnum Peloponnesum Aetolorum copiae tenerent; tertium, quod haud necessario ac parum prudenter cum paucis admodum militibus hostem aggressus esset; quartum denique, quod non milites gravis armaturae in hostem misisset, sed levium auxilio rem se confecturum opinatus esset. Ac merito quidem accusatus est. Aratus vero oratione veniam petens ita omnium animos commovit, ut non solum excusatum eum abire in praesens paterentur, sed in posterum etiam eius consiliis se usuros decernerent.

§. 62.

Bellum utrimque paratur.

Achaei ex decreto legatos mittunt ad Epirotas, Boeotos, Phocenses, Acarnanas, Philippum, qui de Aetolorum rapinis quererentur, auxilia, et ut Messenii ad societatem admitterentur, peterent. Praetor Achaeorum iussus conscribere quinque millia peditum, quingentos equites. Messeniis imperantur his milleni quingeni pedites, equites vero duceni quinquageni; totidemque Lacedaemoniis. Universus igitur Achaeorum exercitus in Peloponneso coactus esset peditum decem millia, equites mille (c. 15.).

Auditis legatorum mandatis Epirotae et Philippus Messenios quidem in societatem recipiunt, auxilia tamen

adversus Aetolos non mittunt. Ac Philippus quidem propterea lentius videtur egisse atque cunctatus esse, quod, si Aetolorum novis incursionibus acrius vexati atque ad incitas paene adacti de salute, quam propriis viribus defendere non valuerunt, Achaei desperaverint, hos imbelles et duce, qui bello gerendo par esset, destitutos, quovis pretio opem suam redemturos esse, recte coniectaverit. Cunctando igitur Graecorum alteram factionem in suam redegit potestatem. (Falso igitur Iustinus XXIX, 1. scribit: Philippus ultro etiam Aetolis bellum inferre gestiebat.) Quare non assentior Lucae (l. c. p. 104.) ex hac Philippi et Epirotarum cunctatione non fuisse Achaeis belli iustam caussam coniicienti, decretumque illud, in quo altam potius regis calliditatem conspicio repositam, miranti. Aetoli enim etsi nequaquam aperto bello aggressi, tamen hostiliter se tractatos a Macedonum rege acute senserunt, quia ipsorum hostes, Messenios, Achaeorum societati adscribi passus erat. Quo facto quum Achaei eorumque socii dissidiis aliorum populorum intervenissent ita, ut alterum tutum praestarent ab alterius rapinis atque incursionibus, iam bellum evitari non posse videbatur. Id vero Philippus egit, ut, decreto sive concessione sua de recipiendis in societatem Messeniis, bellum Achaeis cum Aetolis conflaret, quo exorto suam operam desideraturos Achaeos, et potissimum quidem Aratum, certo sciebat.

Ex altera igitur parte Aetoli constituunt cum Messeniis et Lacedaemoniis reliquisque Achaici foederis sociis pacem agere, cum Achaeis vero ea tantum conditione, si a Messeniorum societate recessissent; non solum, quo facilius singulos, ut opinatur Polybius, aggredi et profligare possent, sed etiam quod Achaeorum, vel Arati potius, conamina ac machinationes aegre ferebant. Quam ob rem non dixerim equidem cum Polybio (IV, 15.) has Aetolorum conditiones iniquas, neque eorum consilia a communi sensu abhorrentia. Ut enim Achaei Messenios in societatem iam receptos proiicere Aetolorumque poenis exponere non potuerunt, ita quoque Aetolis non erant negligenda Achaeorum foederis incrementa, si salvos se

utrique cuperent. Hanc vero salutem unice positam esse in societate utriusque populi, Achaeorum atque Aetolorum, nemo tum temporis videtur intelligere voluisse, unus adeo restitisse, quominus utraque gens foedere icto concors coalesceret, Aratus. Qui vir adduci non potuit, quin, devicta sua invidia superbiaque, fictum illum Achaeorum inter Graecos principatum vel ad alios transire vel cum Aetolis saltem communicare pateretur. Ac Macedones quidem haud spernendam iam semel tulerant opem, neque tamen ullo pacto societatis leges laeserant; Aratus ipse suorum animos ad Macedonum regem adverterat; num ipse alia politiae ratione inita priorem improbaret? Ipse Antigoni benevolentiam maxime expertus erat, eandemque gratiam apud Philippum se consecuturum sperabat. Quare iterum Arati consiliis obtemperatum ipsaque intra Graeciae fines, ut ita dixerim, pernicies recepta est.

Quam Arati indolem quum perspectam non haberet Polybius bellique socialis primas caussas semper cogitaret, quas moverunt Aetoli, Aetolos vero ob id ipsum non solum huius belli auctores sed miseriarum etiam serius consecutarum reputaret, irae suae in Aetolos plus aequo indulsisse videtur, neque tamen dedita opera eorum historiam depravasse, praesertim quum vel ex ipsius Polybii scriptis vera rerum tum dispositarum imago concipi animo atque conformari possit.

Quae quum ita essent Lacedaemoniorum legatos clam ad se missos Aetoli benigne receperunt atque arcanum amicitiae societatisque foedus cum iis pepigerunt (c. 24, 8.).

Spartae, ubi post Cleomenis discessum nullus constitutus erat rex, restituta Ephororum potestate, perniciosi denuo infestissimarum sibi factionum conatus ac tumultus exorti erant, altera harum factionum ad Achaeorum, ad Aetolorum partes altera rursus inclinata (c. 22, 5. Lucas igitur fallitur l. c. p. 106.). Hanc ob veterem obtrectationem atque inimicitiam nunquam candide Achaeis deditam, sed semper ambiguam sociam, palam quidem cum Achaeis stare, occulto autem Aetolorum rebus favere,

nemo mirabitur. Paucos duntaxat Achaeis equites peditesque mittunt (c. 16. 19.), speciei caussa.

Accedunt Aetolorum partibus opera maxime Agelai, Naupactii, Scerdilaedus, Demetrius Pharius, Amynas, Athamanum rex, et Illyrii. [1]) Quorum auxiliis freti Aetoli Scopa et Dorimacho ducibus novam in Achaiam impressionem faciunt, quum Cynaethensium, qui feritate tunc omnes Arcades longe superabant (c. 20—22.), urbs in Arcadia proditionis plena ipsis proderetur (Polyb. IV, 16.).

Polemarchi Aetolis Cynaethae portas aperiunt. Qua urbe direpta praesidioque firmata, et Lusiatarum Dianae templo Timaei ductu (Polyb. IX, 34, 9. coll. IV, 34, 9. et c. 16, 11.) spoliato ad Clitoriorum urbem castra posuere (c. 17. 18.). Clitorii tanta urbem defendunt alacritate, ut recedere Cynaetham Aetoli cogantur; quam urbem Eleis tradere voluerunt; his vero repudiantibus custodiam ei duce Euripida imposuerunt. Mox autem Macedonum copias auxiliares Aratumque extimescentes cremata urbe discedunt. Arati in liberanda hac urbe imperitiam vituperat Polybius (IX, 17.). Mirum tamen est, eum ab eodem Polybio tum vocari adhuc iuvenem, quum revera quinquaginta natus erat annos. Forsitan haec ad-

1) Quae ad hunc locum adnotavit Lucas (l. c. p. 105.) mera nituntur coniectura. Tantum enim abest, ut Schweighaeuserus in Notis ad Polyb. II, 5, 6. ubi de Scerdilaedi genere rebusque gestis disputat, Aetolos cum Illyriis in illa expeditione coniunctos fuisse narret, ut eundem Scerdilaedum cum Demetrio Phario A. U. 534 demum classem iunxisse pro Aetolis ad vastandos Achaeorum fines, mox vero cum Philippo foedus fecisse contra Aetolos (IV, 16. 29. V, 3.) referat. Neque in Indice eiusmodi quidquam comparet. Patet vero ex lib. IV, 29, 5. multoque luculentius e cap. 25, 4. Illyrios cum Aetolis adversus Cynaetham et procul dubio etiam reliquas urbes una expeditionem suscepisse; idque Lycisci oratione (IX, 38, 8.) optime confirmatur. (Cf. Helving. l. c. p. 176. N. 8.) Demetrius vero Pharius, qui Romanorum leges migraverat, et rapinas tamen exercere voluit, societatem cum Aetolis iniit, ut Achaeis et Macedonibus par esset.

diderit, ut notaret simul et excusaret Arati imperitiam. Ceterum Aratus, quamquam illo tempore Achaeorum fuit praetor, domi quietus mansit hostesque impune scelestissima facinora perpetrare passus est. Caussa enim illius timoris clades erat ad Caphyas accepta et quod militibus suis diffidebat. Omnem igitur victoriae spem positam habuit in Philippo (c. 19. Plut. Arat. c. 47.).

Taurio Demetrium Pharium ad Achaeorum partes transducit, qui pauca Aetolorum loca litori proxima depopulatus Corinthum venit (c. 19.).

Aristo, Aetolorum praetor, bellum Aetolis cum Achaeis esse negat (c. 17, 1.), eamque pravitatem Lucas (l. c. p. 105.) excusare conatus est. Etiamsi mendacium Aristonis verbis non insit, stultitiae tamen pravitatisque istius nemo facile patrocinium suscipiet. Nonne hostiles impressiones rapinasque bellum vocemus? Mihi quidem belli denuo exorti concitative maior Aetolorum quam Achaeorum videtur esse culpa.

Philippus altera Achaeorum legatione ad opem ferendam invitatus (c. 19, 1.) simulac cum exercitu in Peloponnesum venit sociis Corinthi concilium indicit, ac statim per Tegeam Lacedaemonem versus proficiscitur seditiones ibi compositurus.

Spartae duplex erat Ephororum factio, quorum duo, Adimantus et Polyphontes, a Philippi partibus stabant, tres vero reliqui cum Aetolis rem faciebant. Itaque nuncium de adventu regis quum accepissent omnes, qui iam aetate erant bellica, ad Minervae Chalcioecae fanum cum armis convenire iusserunt, Adimantumque, qui ausus erat Macedonum in Lacedaemonios recens collata praedicare beneficia, Aetolos autem pro hostibus habendos esse profiteri, una cum sociis trucidarunt, ad regem vero, qui iam ad Parthenium montem progressus erat eadem, qua antea Antigonus via in urbem irrupturus, legatos miserunt, qui, ut, donec reipublicae status esset compositus, adventum in urbem differret, rogarent. Nec multo post decem venerunt legati, quorum princeps erat Omias, qui Adimanto eiusque sectatoribus accusatis ad omnia,

quaecunque rex vellet, paratos fore Lacedaemonios exponerent. Rex igitur neglectis, quae acciderant, per Petraeum societatem praestito exactoque iureiurando cum Lacedaemoniis denuo firmavit, quoniam sociorum auxiliis indigebat ad novum, quod moturus erat, bellum, signisque sublatis Corinthum contendit.

Ibi in concilio Philippus cum sociorum legatis de rebus praesentibus communiter disceptabat. Quum vero a Boeotis accusarentur Aetoli, quod Minervae Itoniae fanum (Schweigh. ad Polyb. XXVI, 5, 2. Paus. III, 9. IX, 34. coll. I, 13.) Coroneae pacis tempore spoliassent; a Phocensibus, quod Ambrysum et Daulium, Phocidis urbes, oppugnassent; ab Epirotis, quod ipsorum agrum vastassent; ab Acarnanibus, quod Thyrium (c. 6, 2. XXII, 12, 4.) noctu invadere essent ausi; ab Achaeis, quod Clarium (c. 6, 3. 4.) in Megalopolitano agro cepissent, Patraeensium et Pharaeensium agros in transitu populati essent, Cynaetham diripuissent, Dianae templum Lusis expilassent, Clitorios obsedissent, quod una cum Illyriis mari Pylum, terra Megalopolin tentassent; [2]) bellum iis esse inferendum omnes uno ore consenserunt.

Quo decreto Ol. 139, 4. a. exeunte (221 medio a. Chr.) etiamnum facto πόλεμος συμμαχικὸς ita nuncupatus a societate, quam tot civitates contra Aetolos inierant, principium habuit iustum. (Cf. Schweigh. ad Polyb. IV, c. 14, 9. c. 26, 1. coll. II, 36. IV, 28. Plut. Arat. c. 47. Manso

2) His facile mederi posse arbitror. Expeditiones illae adversus Clarium et Megalopolin inter se commisceri non possunt, quia Achaei utriusque disertis verbis meminerunt. Clarium ceperunt Aetoli, quum adiunctos sibi Illyrios adhuc non habuerunt; Megalopolin vero Aratus quum Achaeos convocasset (IV, 7, 10. 9, 1.), quidni eosdem adoriri voluisse Aetolos credamus? Spartani autem cum Aetolis tum palam agere non potuerunt propter factionum discordias civitatem acriter vexantes. Earum autem rerum, quae ante primam legationem ad Philippum missam gestae sunt, et pacti inter Dorimachum et Aratum, cuius nullum indagare potui vestigium, non faciunt mentionem Achaei, quum res ipsae notae iam essent sociis. Alia Lucas l. c. p. 107.

l. c. III, 2. p. 207. Qui utrumque impugnavit Schornius (l. c. p. 170.) assensum nostrum non tulit.)

Achaeorum socii, ut milites cogant et bellum Aetolis inferant, hortantur, Aetoli, ut, si quid habeant iusti, quo facinora sua excusent, in medium proferant bellumque evitent. Quibus cognitis Aetolorum principes primo rati, Philippum non esse venturum, certam constituerunt diem, qua Rhii praesto adessent; cognito autem regis adventu nuncium regi miserunt, qui solos principes de rebus communem salutem spectantibus non posse suo arbitrio decernere.

Achaei igitur quo Aegium convenire solebant tempore (Ol. 140, 1=221 a. Chr. mense Octobri, IV, 37, 2.) cum Philippo foedus renovarunt, decretum illud Corinthiacum confirmarunt iusque esse spolia capiendi ab Aetolis per praeconem edixerunt (c. 25. 26.).

Tempore comitiorum appetente Aetoli praetorem eligunt Scopam omnium supra expositarum iniuriarum auctorem (c. 27, 1. 37, 2. coll. c. 5, 1. et 17, 1.). (Scopas igitur praeturam gessit ab auctumno 221 ad auctumnum 220.) Quod ipsum Polybius etiamsi vituperare videatur, tamen nostra quidem sententia nemo magis videtur idoneus apud Aetolos fuisse, qui rebus et domesticis praeficeretur et publicis, quam Scopas, qui idem, quum conflasset bellum, instructus simul debebat esse iis rebus, quae essent ad bellum gerendum necessariae. (Cf. Lucas l. c. p. 108.)

Quae sequuntur ad Arati iunioris usque praeturam gesta sunt per hiemem a c. 29. ut intelligitur ex c. 29, 1. partim ex c. 35, 8. coll. cum II, 69. Quae vero gesta sunt hieme in praecedentis anni historia referre Polybius solet. Adeoque ad expositionem rerum in Peloponneso A. U. 535. anno 1. Ol. 140. gestarum, nonnisi fere a praetura Arati filii, qui patri in magistratu successit, c. 37. h. libri accedit, sed et tunc rursus continuo eas deserit et interpositis primum rebus Rhodiorum, Byzantinorum et Cretensium sub finem Ol. 139. gestis ad illarum tractationem redit c. 57. sqq.

Philippus e Peloponneso in Macedoniam revertit, copias suas contrahit, Macedoniam contra barbaros superne imminentes munit, Scerdilaedum vicenorum talentorum mercede annua promissa sibi adiungit ea conditione, ut triginta lemborum classe bellum adversus Aetolos mari gerat (c. 29.).

Acarnanes, sicuti decretum erat, Aetolis bellum statim indixerunt, quamquam iis, ut Aetolorum finitimis, omnino ignoscendum fuisset, si vel metu, vel etiam callido consilio paululum essent cunctati, praesertim quum paucis annis ante propter Aetolorum odium gravissima iis mala accidissent (c. 30.). Epirotae vero mandatis legatorum auditis decretum quidem pariter confirmarunt, bellum vero tum demum Aetolis se esse illaturos declararunt, quando et Philippus suscepisset; Aetolorum autem legatis responderunt, statuisse se pacem cum ipsis servare. Lucas (p. 108.) haec ita dedit, quasi in Achaeorum conventu communi decreta essent, nec ullo discrimine facto ita inter se commiscuit, ut priora ad Achaeos referret, posteriora Epirotis solis attribueret. Missi vero etiam ad Ptolemaeum IV. Philopatorem (221—204) legati, qui peterent ab eo, ne Aetolos aut pecunia aut ulla alia ope contra Philippum et socios adiuvaret. (De societate Aegyptiorum cum Aetolis bene Lucas p. 108.)

Messenii autem, quorum caussa bellum hoc conflatum erat, tum demum hostiliter se palam contra Aetolos esse gesturos pronunciarunt, quando Phigalia urbs sibi rursus expulsis hostibus reddita fuisset. Quod quidem decretum auctoritate inprimis Oenidis et Nicippi (c. 31.), qui Aetolorum ibidem Ephori erant, aliorumque ὀλιγαρχῶν, quos dicimus, factum esse videtur. Quod ista praecipue occasione oblata Messenios ignaviae ac socordiae in rebus bellicis accusat Polybius, mihi quidem nimio potius erga Achaeorum societatem fecisse, quam iusta caussa videtur. Namque licet mala civitatis gubernatione ac societatibus cum iis gentibus iunctis, quibuscum minime fuerint ineundae, Messeniorum civitas tot tantaque subierit discrimina rerum, casusque fortunae tam varios per-

pessa sit, haud tamen tam acriter vituperanda erat civitatis eo praecipue tempore cautio ac diligentia, quo tempore bellum contra potentes sane ipsorumque finibus acriter instantes hostes suscipiendum erat (c. 31—34. cf. Lucas l. c. p. 109.). Nostram sententiam Pausanias (IV, 29, 2. sqq.) quoque comprobat.

Lacedaemonii porro more solito Achaeorum legatos sine responso dimiserunt (c. 34—37.). Ut Polybius existimat, stultitia et improbitate in eas ignorantiae angustias acti, ut ne scirent quidem, quid esset respondendum. Equidem potius calliditati soli silentium illud adscripserim; quoniam ipsis quidem Spartanis iam decreta fuit pax erga Aetolos, illis autem, qui Achaico foederi favebant, patefacere adhuc non audebant consilium, tum propterea quod nescirent, quomodo Aetolis res succederent, tum quo maiora cunctando sibi compararent commoda. (Cf. Lucas l. c. p. 109. sq.) Paulo post Ephoris aliis creatis qui a principio rempublicam turbaverunt et caedis supra commemoratae auctores erant ab Aetolis petierunt, ut legatum mitterent, quocum de foederis conditionibus agere possent. Hi Machatam miserunt, qui tamen re infecta domum redire coactus est. Nonnulli enim e senioribus, qui Aetolorum vim ac violentiam horrebant, revocatis populo in memoriam hinc Antigoni et Macedonum beneficiis, inde Charixeni et Timaei maleficiis, ut multitudo sententiam mutaret statueretque, in Philippi societate permanendum esse, obtinuerunt (c. 34.). Tantum vero abest, ut decreto illo seditiones motusque Spartae comprimerentur, ut multo magis exardescerent. Eodem enim tempore Spartam nuncius, Cleomenem, quem liberatorem omnes Lacedaemonii opperiebantur, in Aegypto mortuum esse, delatus est (Ol. 139, 4. Polyb. IV, 35. V, 34, 11. 35, 1. 37. 39. Plut. Cleom. c. 31—39.), eamque ob caussam, quum Cleomenes collegam in regno habuisset neminem ex altera domo regia, frater vero eius, quem arbitratu suo successorem in regno designaverat, in pugna adversus Antigonum vitam perdidisset, Spartani vel inviti, coacti tamen quodammodo rerum necessitate urgente, regem ut

alium eligerent praeficerentque sibi videbantur (Polyb. IV, 34, 5.). Haec igitur nova perturbationis dissidiique caussa quum ad priores accederet, seditionis nuperae auctores festo Minervae Chalcioecae die Ephoros rei divinae operantes contrucidant simulque cum his Gyridam et alios e senioribus sustulerunt; eos, qui Aetolis fuerant contrarii, exilio multant, Ephoros ex suo numero creant, societatem denique cum Aetolorum gentis legato, Machata, ineunt. Reges quoque constituerunt, alterum rite et legitime Agesipolim III., alterum vero, reiectis e Proclidarum stirpe omnibus, Lycurgum, qui talentum Ephororum cuique largitus erat (Polyb. IV, 35. Liv. XXXIV, 26. Clinton. l. c. p. 218.), et parte urbanarum copiarum mercenarioque milite assumto Argivorum fines incurrens, Polichnam, Prasias, Leucas, Cyphantem capit. His demum patratis Lacedaemonis spolia capiendi de Achaeis ius fasque esse per praeconem significavere.

Machatas vero Eleis quoque persuasit, ut bellum adversus Achaeos capesserent.

Sic itaque res Aetolorum quum feliciter succederent, ipsi ingenti iam spe elati bellum susceperunt atque Achaeos quasi circumseptos undique tenebant, qui cunctantibus reliquis civitatibus, etiam Philippo in belli apparatu comparando occupato, animis prorsus desponderant.

Erat vero illo tempore iam Achaeorum praetor Aratus, Arati filius (a Maio 220 ad Maium 219), quo tempore Hannibal devictis trans Iberum gentibus omnibus Sagunti obsidionem moliebatur (Polyb. IV, 28, 1. c. 36. c. 37, 3.), apud Aetolos Scopas dimidium legitimi spatii in magistratu iam confecerat.

§. 63.

Bellum sociale.

Eadem tempestate (aestatis initio 220; non ut falso Helving. l. c. Frühsommer 219. p. 183.) Philippus cum decem millibus gravis armaturae, cetratorum quinque millibus et octingentis equitibus in Thessaliam et Epirum profectus est, invasurus inde in Aetoliam (c. 37, 7. coll. c. 57.).

Alexander autem et Dorimachus eodem tempore circiter mille ducentos milites Oeanthiae, quod est Aetoliae sive potius Locrorum Ozolarum oppidum ad sinum Crissaeum contra Aegiram situm, conscripserunt. Aetolus enim quidam profugus diu Aegirae vitam degens frequenti adhortatione Dorimachum eo adduxit, ut cum Alexandro et Pantaleontis filio Archidamo hanc urbem adoriretur. Urbs iam erat capta quum cives e primo terrore animis recreatis arce occupata fortiter hosti sese opponerent instanti. Pelluntur Aetoli. Alexander in ipso certamine inter dimicandum caesus est. Archidamus in eorum turba, qui ad portas invicem se trudebant, conculcatur. Ceteri, quotquot periculo evaserunt, navibus conscensis domum aufugiunt (c. 57. 58.).

Per idem tempus Euripidas, quem Eleis Aetoli exercitus ducem constituerant, direptis Dymaeorum, Pharaeensium, Tritaeensium finibus magna cum praeda Elidem se recepit. Miccus quidem Dymaeus, qui tunc legatus erat Achaeorum praetoris, copiis collectis hostes redeuntes persecutus est, sed in insidias inductus multos suorum amisit. Quo expeditionis prospero successu elatus paucis post diebus Euripidas Tichos, Dymaeorum castellum prope Araxum, expugnavit. Dymaei, Tritaeenses, Pharaeenses auxilia petunt a praetore, qui tamen nec mercenarium militem cogere potuit, quod belli Cleomenici tempore partem aliquam stipendiorum Achaei conductitio militi non persolverant, et patre segnior imperator ipsique dissimillimus erat. Quare civitates illae communi auxilio destitutae propriis pecuniis milites sibi conducendos constituere, nec quidquam pro foederis integritate unquam sese suscepturos, praesertim quum Lycurgus Athenaeum Megalopolitanorum, Gorgum in Telphusiorum finibus Euripidas occupassent (c. 37, 6. et c. 60, 3.).

Non immerito igitur Polybius hac occasione oblata Achaeorum praetoris segnitiem, sociorum vero pertinaciam privatis commodis consulendi rerumque communium negligentiam vituperat. Quod si externorum populorum auxilia non adessent, quibus confiderent, iam tum Achaei

multo potentioribus Aetolia succubuerant. Ignavia, suspicio, negligentia, temeritas, dissidia, quae et singulis hominibus, et universis civitatibus semper perniciei sunt, iam illa tempestate videntur in Peleponnesum rursus irrepsisse. (Bene Lucas l. c. p. 111.)

Quae dum in Peloponneso geruntur, Philippus rex assumtis Epirotis et trecentis funditoribus, qui ex Achaia missi erant, Cretensibus item quingentis, quos Polyrrhenii miserant (Cnossii Aetolis mille e suis auxilio aliquanto prius miserant; Cretae status, Polyb. IV, 53, 2—55, 6.), per Epirum ad Ambraciotarum fines Epirotis rogantibus accessit (c. 61.). Quibus in rebus notet sane aliquis Philippi circa res bellicas inscitiam eiusque ministrorum, quorum magna erat apud regem auctoritas, dissidia atque obtrectationes vituperet, quae Aetolis maximae omnino utilitati fuisse videntur, praesertim quum, si absque ulla mora primo statim impetu in mediterranea Aetoliae duxisset eamque repente cum valido exercitu invasisset, universo bello finem fuisset impositurus. Quod si fecisset rex, dubium omnino est nullum, quin summam rerum Achaicarum adeptus esset auctoritatem, quum Achaei suam imbecillitatem ac negligentiam accurate perspexisse adhuc non videantur resque a Philippo tam celeriter felici successu gestae casui potius cuidam fortunae faventis, quam copiis aut rei militaris peritiae regis adscribi ad eamque referri potuerint. Hac vero ratione, qua sciens prudensque cunctatus videtur esse, non solum Macedoniam, in cuius confiniis morabatur, tutam reddidit, et Aetolis pepercit, quos prorsus opprimere noluit, ut Achaei hostium metu perpetuo coercerentur, sed etiam politiam suam Achaeis in posterum perniciosissimam satis fecit perspicuam intuentibus, quales tamen tunc nulli erant apud Achaeos. De urbis Ambraciae situ munitissimo cf. Palmer. Graec. Antiquit. II, 7. Aetoli igitur iam ipsa locorum natura eam munitissimam rati nec nisi summa contentione diuturnaque obsidione expugnari posse, operam etiam nullam in defendenda ipsa posuerunt, sed Scopam cum copiis universis in Macedoniam ablegarunt, ut vel invitum re-

gem ad defendendos regni sui fines avocaret. Vastat Pieriam Diumque urbem ad sinum Thermaeum et revertitur (c. 62.). Philippus in obsidione perstitit urbemque intra dies quadraginta in potestatem suam redegit atque Epirotis tradidit. Deinde Acarnanum peditum duobus millibus ducentisque equitibus assumtis Phoetias, Aetolorum oppidum expugnavit. Quingenti Aetoli trucidantur. Inde castris ad Acheloum fluvium positis assidue agros impune populabatur nemine hostium contra progredi audente (c. 63.).

Achaei Philippum ut traiectis Rhium copiis in Eleam faciat impressionem invitant per legatos, quos rex, sive Achaeos maiori destinaverit miseriae, ut plane debilitatos fractosque arctius sibi adiungeret, sive tempus opportunum etiamnum non esse ratus, quo Aetolia excederet, atque Aetolis demum prorsus devictis horum proposuerit socios in Peloponneso aggredi, apud se retinuit tanquam de ipsorum mandatis deliberaturus. Metropolin cremat. Aetolorum equites ad Conopen fugat. Ithoriam solo aequat, eodemque modo reliquae eius regionis arces ac turres a militibus regis vagabundis deiectae diripiuntur. Porro rex Paeanium demolitus est, omnemque inde materiem, Elaeo Calydoniae oppido direpto, Oeniadas transvehi iussit. Hanc enim urbem animadversa loci opportunitate inprimis ad traiiciendum in Peloponnesum muris cinxit portuque ac navalibus munitis cum arce constituit coniungere (c. 64. 65.). Inde dimissis Achaeorum legatis et Demetrio Phario Corinthum ablegato rex in Macedoniam properavit, quoniam nunciatum erat, Dardanios in regnum impressionem esse paraturos. Reliquum aestatis tempus (220 a. Chr.) Larissae in Thessalia peregit. (Falso Helving. l. c. p. 188. Sommer 219—218. Polyb. IV, 66. Liv. XXI, 9. sqq. Lachm. l. c. II. p. 35. sqq.)

§. 64.

Quae sequuntur.

Tempore comitiorum appetente (Octobri mense 220 a. Chr. Polyb. IV, 67, 3.) Dorimachus praetor apud

Aetolos creatus est (c. 67, 1. V, 1, 2.), qui simulac magistratum iniit in superiora Epiri loca incursionem fecit, agrisque vastatis et Dodonaeo templo direpto maximamque partem cremato copias domum reduxit.

Philippus assumtis tribus loricatorum millibus, quos χαλκάσπιδας (c. 67, 6.) Graeci vocant, cetratis bis mille, Cretensibus trecentis cum equitatu aulico quadringentorum ferme hominum celeri itinere Larissa profectus, copiis e Thessalia in Euboeam, inde Cynum transmissis, per Boeotiam et Megaridem περὶ τροπὰς χειμερινὰς (220 a. Chr. c. 67, 7.) Corinthum pervenit ita contento et occulto itinere usus, ut vix quisquam Peloponnesiorum regis adventum comperisset. Inde Aratum Sicyonium ad se arcessivit legatisque ad reliquas civitates, quo tempore locoque eorum milites convenirent, dimissis, ad Dioscurium Phliasiae progressus castra ibi metatus est (c. 67.).

Euripidas, qui de adventu regis certior factus non erat, cum exercitu duorum ferme millium et trecentorum ad devastandos Sicyoniae agros proficiscitur. Cognito tamen e Cretensium sermonibus regis adventu revertitur ad loca aspera et saltuosa Stymphaliae. Philippus quoque per Stymphalum Caphyas, ubi armatos convenire iusserat Achaeos, contendit. In illo igitur itinere quum contigisset, ut ad Apelaurum, decem circiter stadiorum intervallo ab urbe Stymphaliorum, Macedonum agmen primum et Eleorum conveniret, Euripidas assumtis equitibus paucis cursu concitato Psophidem se recepit ceteraque multitudo, quid facto opus esset nescia, periit tum per Macedones, tum inter abrupta montium, nec amplius centum evasere. Quo facto Philippus magnam sibi conciliavit gloriam apud Peloponnesios, qui et advenisse simul et vicisse eum cognovere (c. 68—70.). Caphyis Aratum minorem cum Achaeorum exercitu convenit, quibus copiis assumtis, ut totus exercitus ad decem hominum millia fieret, Psophidem, urbem probe munitam, primo impetu expugnavit. (Cf. Censor ed. Schweigh. l. c. p. 9. de vocabulo ἐνδυμενία ap. Polyb. IV, 72, 1.) Rex Achaeorum ibi concilium habuit extraordinarium, in quo opportunitate

loci demonstrata Achaeis gratias ipsi agentibus urbem donavit. Achaei praeficiunt arci Proslaum Sicyonium, Pythiam Pellenensem urbi. Rex Lasionem proficiscitur. Euripidas in Aetoliam commigrat (c. 70—72.). Lasionem rex receptam Achaeis restituit. Stratum ab Eleis derelictam. Telphusiis tradit. Olympiae Iovi sacrificat, ducesque convivio excipit. Elidem depopulatur. Thalamas expugnat, ubi Eleorum erat praesidium Amphidamo duce. Olympiam redit. (c. 74 — 76. Ibi Breitenbauchius l. c. p. 66. Philippum praedam vendidisse male fingit.)

Quae dum geruntur Apelles, quem tutorem Philippo Antigonus constituerat (c. 76, l. 87, 8.), vir ad res publicas belli denique administrandas maxime idoneus summaque olim probitatis existimatione celebratus (c. 76, 7.), nunc vero in fraudem ac fallaciam versus, Achaeorum libertatem subvertere constituit. Sub speciosa et fallaci fronte reconditam habuit consiliorum cogitationumque ambiguitatem simulator callidissimus, tyrannorum mores superbos ac feroces insatiabilemque dominandi cupiditatem. Verum quum voluntatem suam accurate abdidisset homo improbus regioque puero adularetur et in rebus omnibus obtemperaret, factum est, ut non solum auctoritatem sibi compararet summam, et regis ipsius benevolentiam atque amicitiam lucraretur, sed etiam ut reliqui administri regii dicto eius temere audientes coeco veluti impetu eum sequerentur (c. 87, 9. V, 1, 8. 2, 4. 8. coll. c. 100. Plut. Arat. c. 48. sqq.). Iste igitur Apelles, cuius nutu omnia atque arbitrio apud Macedones gerebantur, audacem Achaeorum pertinaciam in defendendis maiorum suorum iuribus ac privilegiis infractumque liberae civitatum conditionis libertatisque amorem graviter ferens, hos quoque, nefariam omnino rem ausus, ad eandem redigere conatus est conditionem, qua Thessali fruebantur, quam servitutem dicimus. Quod quum rex per Aratum rescivisset, ne quidquam eiusmodi susciperet Apelli interdixit, neve posthac Achaeis aliquid inconsulto praetore imperaret, eaque re magnam apud Achaeos sibi admirationem paravit, nec quisquam, cui non egregia Phi-

lippi iuvenis videretur indoles, reperiebatur (c. 76. 77, 1 — 5.).

Rex transmissis per Alpheum amnem copiis in Triphyliam transgreditur, ubi Eleorum Aetolorumque copiae auxiliares duce Philida disponuntur. Aliphera expugnatur a rege (c. 78.). Typanaea et Hypana et Lepreum et Phrixa et Styllangium et Aepium et Bolax et Pyrgus et Epitalium a civibus ultro traduntur regi, qui sex diebus totam Triphyliam in potestatem suam redigit eique Ladicum Acarnanem praeficit; inde media iam hieme Megalopolin, Tegeam, denique Argos abit, ubi copiis in Macedoniam dimissis reliquam hiemis partem transigit (c. 79. 80. 81. 82, 2. 87, 13.).

Spartae novi per Chilonem motus concitantur. Lycurgus Pellenen in Tripolitano agro aufugit. (Cf. Schweigh. ad Polyb. IV, 81, 7. Paus. III, 20. Strab. VIII. p. 386. Polyb. XVI, 37, 5. Liv. XXXV, 27. Cellar. Geogr. Antiq. II, 13. p. 1205. Manso l. c. III, 1. p. 357. N. g.) Chilon in Achaiam clam se confert. Spartani Athenaeum Megalopolitanorum evertunt, ne hostes ibi considere possint, inprimis Philippi praesentia conterriti. Seditiones componuntur.

Dum Argis Philippus commoratur Apelles (cum Megalea s. Megalaeo et Pausania, cf. Plut. Arat. c. 48.) vetus illud totius foederis evertendi subigendique consilium iterum conatus est exsequi. Ac quum Aratum magna apud regem gratia valere intelligeret, hunc primum apud Philippum calumniari aggressus est, operamque dedit, ne ex Arati amicis quemquam ad sequentis anni praeturam rex admitteret capessendam. Quae quidem res ita successit, ut ipse rex, quippe qui libertatis defensoribus remotis suo se arbitrio Achaeorum res administraturum speraret, Aegium ad Achaeorum conventum comitialem proficisceretur studiumque poneret in eo summum, ut Eperatus Pharaeensis praetor crearetur, Timoxenus vero, quem Aratus commendaverat, pateretur repulsam (c. 82. Plut. Arat. 48.). Quae Schornius (l. c. p. 157. N. 1.) de Arati inimicitia adversus Timoxenum, quam falso coniicit

e Polyb. IV, 7., scripsit, male habent, neque meliora et tantum in coniectura posita verba eius sunt reliqua.

Fuit igitur Eperatus Achaeorum praetor a Maio 219 ad Maium 218 a. Chr. (Polyb. V, 1.)

Rex vero Aegio profectus, Tichos castellum Dymaeis restituit, Eleorum agros populatur, praedaque ingenti onustum exercitum Argos reducit (c. 83.). Ibi Apelles frustra calumniatur Aratos, Taurionem et Alexandrum, satellitum praefectum, apud regem, neque tamen punitur propter auctoritatem, qua apud milites reliquamque valebat multitudinem (c. 84—87.).

§. 65.

Quae sequuntur.

Aegio Sicyonem concilium Achaeorum Philippi hortatu transfertur, ubi cum Aratis, patre et filio, rex in gratiam redit, quia Eperatus bello gerendo non erat idoneus et Apelles mali consilii convictus. Inde Corinthum abit rex et bellum quum mari gerere constituisset cum Aetolis, Eleis et Lacedaemoniis milites ibidem remis tractandis aliisque rebus navalibus instruendis exerceri iubet, quo promtiores et alacriores ad maritimae rei ministeria fierent. Ibi dum haec geruntur Apelles dignitatis iacturam ex regis contemtu indigne ferens cum Leontio et Megalea denuo coniurat, ut illi quidem apud exercitum operam darent, qua regis expeditiones rebus male gestis impedirentur, ipse vero Chalcidem se profecturum omnique modo curaturum pollicitus est, ne commeatus necessarii ad regem subveherentur, itaque servavit iusiurandum, ut rex ad summam adigeretur inopiam. Classe tamen comparata Corintho cum Macedonum sex millibus, mille ducentis mercenariis rex profectus Patras appulit (V, 1. 2.).

Sub idem tempus Aetoli quum Agelao et Scopa ducibus auxilia misissent Eleis rex in Dymaeorum urbe relicto praesidio imperatisque per literas Messeniis, Epirotis, Acarnanibus et Scerdilaedo, ut suas quisque naves paratas haberent sibique ad Cephalleniam obviam venirent, Patris solvens die constituta ad Cephalleniae urbem *Pramos*,

s. Promos s. Pronnos appulit. [1]) Quam ubi expugnatu difficilem intellexit ad Palaeatarum oppidum accessit simulque oppugnare aggressus est. Interim sociorum imperatae naves adveniunt; nam Messenii quoque capto Phigalensium oppido palam belli participes erant facti. Leontio autem segniter rem gerente Palaea non capitur (c. 3. 4.).

Lycurgus, Lacedaemoniorum rex, in Messeniam, Dorimachus, Aetolorum praetor, in Thessaliam eodem tempore expeditiones faciunt. Utriusque gentis legati ad regem mittuntur, de auxilio ferendo. Leontius ut in Messeniam proficiscatur rex suadet, Aratus vero ut in Thessaliam cum exercitu contendat. Quae quidem potior visa est sententia. Misso igitur Eperato cum copiis ad Messeniam defendendam, ipse rex Cephallenia relicta biduo post Leucadem appulit nocte, indeque per sinum Ambracicum navigans Limnaeae portum cepit et pedestri itinere progressus est (c. 5.), assumtis Acarnanum copiis, duce Aristophanto, Acarnanum praetore, ad Thermum urbem (c. 6.), quo, Leontii sententia iterum refutata, comprobataque Arati, per fauces inter Stratum, Arginium, Thestias, Conopen, Lysimachiam, Trichonium, Phoeteum ad Metapam sitas, itinere facto, et Metapa ad Trichonium lacum praesidio firmata, vicoque Pamphia munito, viam circiter stadiorum triginta emensus multo die (πολλῆς ὥρας, am Mittage desselben Tages, Helving. l. c. p. 199.) pervenit. Castris ibi positis agrum populatur, urbs

1) Fuerunt igitur Philippi socii: Messenii post Phigaliam receptam, Epirotae, Acarnanes, Achaei, Illyrii, Scerdilaedo duce, Boeoti (Plut. Arat. c. 50.) et Thessali; Aetolorum vero: Elei, Lacedaemonii, Phocensium maxima pars (ita enim respondemus ad Lucae l. c. p. 112. N. 1. quaestionem), Polyb. V, 24, 12. c. 26, 1. 16 c. 27, 3. c. 28, 4. 9. Athenienses cum Aetolis fecisse concludere possis vel ex Polyb. V, 106, 6—8. vel ex eo, quod Philippus mari in Peloponnesum proficisci solitus est. Forsitan etiam Megarenses ad Aetolorum partes transierint, scilicet ab Isthmo amica atque socialis illis regio patuisse narratur. (Cf. Lucas l. c. p. 112.)

diripitur magnaque rerum pretiosarum pars et statuae cremantur. Urbs enim illa et mercatu et ludis, qui quotannis ibi agebantur, celeberrima nobilissimaque Aetolorum conventu rebus abundabat pretiosissimis. Quam quidem Philippi immanitatem Polybius (c. 7—18.), acerrimus idem Aetolorum inimicus, merito vituperat. (Cf. Folard. Interpret. Polyb. T. V. p. 254. sqq. et lib. meus Der Aetolisch-Achäische Bundesgenossen-Krieg §. 19.) Neque omnino mirum est, Aetolos tantam rerum pretiosarum artificiosarumque copiam habuisse congestam, quum inter omnes constet, easdem undequaque rapinis collectas esse; Graecam vero eorundem quod attinet eruditionem, quam Lucas (l. c. p. 112.) laudat, inter Scythas quoque nonnullos fuisse, qui ad vitam molliorem humanioremque cultum adspiraverint, nemo ibit infitias.

Inde progressus in itinere fundit fugatque Alexandrum Trichoniensem cum copiarum parte, Pamphiam cremat, Metapam diruit, agros, qui Acras urbem circumiacent, populatur castrisque ad Conopen positis proximum quievit diem. Insequenti die Acheloum traiecit et Stratum usque processit, ubi Aetolos iterum vincit. Quare rex diis sacrificium offert gratias pro felici expeditionis successu agens militumque praefectos convivio excipit (c. 13. 14. Plut. Arat. c. 48.). Leontius, Megaleas, Crinon, quum non laetarentur de rebus praeclare gestis, in regis suspicionem incurrunt, et Aratum e coena redeuntem quum non conviciis solum, sed verberibus etiam invaderent, comprehenduntur et Leucade in concilio condemnantur. Megaleam tamen Leontius pecuniis solutis e vinculis exemit, Crinon vero in carcere detentus est (c. 15. 16.).

Interea Lycurgus Tegeam occupaverat, Elei Dymaeorum agros populati erant Achaeorum equitibus in fugam conversis, quo in proelio Polymedes Aegiensis, Agesipolis et Megacles, Dymaei, occubuere. Dorimachus sero e Thessalia revertitur, quum rex Aetolia iam relicta, Oeanthensium agris vastatis, iam Corinthum appulisset (c. 17.). Hinc per Argos profectus alteris castris Tegeam pervenit rex, unde assumtis Achaeorum copiis in Laconiam

duxit, quam usque ad Taenarum promontorium depopulatus est (c. 18. 19.). Messenii quoque, qui statuta die propter viae longitudinem Tegeam occurrere rei non poterant, expeditionem fecerunt in Laconiam, ut cum rege ibi sese coniungerent, quos tamen Lycurgus impetu facto Glympes redire coegit. Lycurgum vero ad Menelaium montem rex proelio vicit, neque tamen Spartam oppugnavit, sed vasis collectis Corinthum abiit (c. 18, 4—24, 8.). Ibi rex Rhodiorum Chiorumque legatos, qui de pace inter Macedones eorumque socios et Aetolos componenda missi, erant, convenit eosque ad Aetolorum cognoscendam voluntatem sententiasque ablegavit in Aetoliam. Seditione tum inter *πελτάστας καὶ τοὺς ἐκ τοῦ λεγομένου παρὰ τοῖς Μακεδόσιν ἀγήματος* (Kerntruppen recte Benicken l. c. p. 523. et Helving. l. c. p. 202.), Leontii, Megaleae et Ptolemaei studio exorta, composita, Apellem Chalcide arcessivit rex, Leontium vero interfici iussit. Quo facto Megaleas Thebas aufugit literasque ad Aetolos dedit admoniturus, ne pacem cum rege, re frumentaria et copiis destituto, inirent. Quibus ad Philippum delatis Megaleas ipse sibi manum Thebis intulit, iisdemque diebus Apelles diem obiit supremum. Rhodiorum vero Chiorumque legati ex Aetolia redierunt pacti in triginta dies inducias nunciaruntque, ad omnes pacis conditiones Aetolos, bello iam fractos, propensos esse, atque, ut Rhium Philippus veniret, postulasse. Verum ibi quum statuta die non adessent Philippus Achaeis, ut bellum porro gererent, admonitis Corinthum revertit, unde Macedones hibernatum in patriam dimisit ipseque Demetriadem ad Euripum concessit, ubi Ptolemaeum capitis supplicio affecit (c. 25 — 30.).

Eodem tempore apud Aetolos praetor eligitur Agetas, qui praetura fungitur ab auctumno 219 ad auctumnum 218 a. Chr.

Itaque Philippus in Macedoniam quum abiisset, Eperatum vero milites contemnerent, Pyrrhias, quem Eleis Aetoli ducem miserant, Dymaeorum, Pharaeensium et Tritaeensium agros depopulatus castra posuit ad Pana-

chaicum montem prope Patraeensium urbem indeque omnem circa Rhium et Aegium regionem devastavit. Quum vero nec civitates tantis malis affectae nec milites stipendiis intermissis ad opem ferendam promti essent idque unius culpa praetoris atque ignavia, Eperatus praetura se abdicavit et Aratus pater tempore comitiorum appetente Achaeorum praetor creatus est quintum decimum vere ineunte 218 a. Chr. (Polyb. V, 30, 7. c. 91, 1. 96, 1.) (Synchronismum vide apud Polybium V, 29, 8. 9. c. 92.)

Quae Lucas (l. c. p. 113.) Polybio ibi vitio vertit, equidem potius non excusanda solum, verum etiam laudanda duco esse. Scriptor enim propositi tenax Achaeorum nomine universam illius aevi Graecorum historiam complectitur, itaque connectit Aetolorum quoque res cum Achaeorum gestis, et bello demum sociali finito Macedonum rursus, ut in illa imagine mihi quidem ne minima, ut hoc utar, linea deesse videatur. Quare ἀπόδειξιν summi inter veteres scriptoris πραγματικὴν cur suspectam nobis reddere vir, ceterum humanitate excellens, tantopere studeat, prorsus non perspicio.

§. 66.

Belli socialis finis.

Aratus praetor quum Achaeorum milites peregrinos licentia depravatos esse urbesque segniter stipendia conferre animadvertisset, eo tandem cohortatione promovit Achaeos, ut octo millia quingentos militum mercenariorum, tria millia trecentos Achaeorum, quingentos quinquaginta Megalopolitanorum Argivorumque totidem alendos decernerent, simulque ut navium tres circa Actam et Argolicum sinum, tres rursus aliae circa Patras, Dymam et maria, quae illas regiones alluunt, versarentur (c. 91.).

Paulo post Lycurgus, ex Aetolia Spartam ab Ephoris revocatus, in Messeniam irrumpit, idemque quominus faceret Pyrrhias Cyparissenses impedimento fuere. Aratus igitur Messeniorum, Megalopolitanorum, Tegeatarum,

Argivorum fines adversus Lacedaemonios, regiones vero, quae in Eleam et Aetoliam vergunt, adversus Eleos Aetolosque, meliora profecto circa res bellicas edoctus, praesidiis ubique satis idoneis dispositis tutatur (c. 92.). Megalopolitanorum dissidia componit Aratus (c. 93, 9. 10. Probo equidem Helvingii sententiam de Arnario Achaeorum l. c. p. 207. N. 3.). Quibus confectis ad Achaeorum conventum, qui extraordinarius erat, contendit mercenariorum imperio Lyco Pharaeensi tradito; qui Lycus Eleos Euripida duce Aegiensium fines transgressos fugat.

Achaeorum classis tantam praedam pecuniasque colligit, ut iam nec mercenarii de stipendiis desperarent, nec civitates sumtuum conferendorum caussa in posterum gravatum iri viderentur (c. 94.).

Messis tempore, inito anno tertio Ol. 140. (Iulio s. Quinctili mense 218 a. Chr. = 536 U. C.) Scerdilaedus ratus se a Philippo negligi quattuor Taurionis navigia, ducibus Agathyno et Cassandro, Corinthiis intercipit Maleamque versus navigans praedam undique agit. Quae quum negligeret Taurio Aratus metentibus securitatem praestabat. Euripidas igitur Aratum aliis rebus occupatum intentumque cognoscens Tritaeensium agros populatur. Lycus vero et Demodocus, Achaeorum magister equitum, assumtis Tritaeensium, Patraeensium, Pharaeensium copiis mercenariisque Elidem invadunt et victores praeda ampla parta recedunt. Is quoque, qui Achaeorum navibus praeerat, Calydonios et Naupactios saepius vicit cepitque Cleonicum Naupactium, per quem Philippus de pace cum Aetolis ineunda postmodo egit (c. 95. 102, 5.). Agetas, Aetolorum praetor, Epirum devastat; Acarnanes Strati agros populantur. Alexander, Phocidi a Philippo praefectus, quominus Iason Phanotensium urbem Agetae traderet, impedivit (c. 96.).

Philippus interim Bylazora, Paeoniae urbem maximam, quum expugnasset, Macedoniam adversus Dardanios satis munivisset, Melitaeam frustra tentasset, Thebas Phthiotidas, quas tunc Aetoli ditione tenebant, expugnavit; eaque re non solum Magnesiorum et Thessa-

14*

lorum res in tuto collocavit, sed etiam maximam Aetolis praedae partem ademit; urbem vero ipsam civibus in servitutem abductis Macedonibusque immissis novis incolis Philippopolim nuncupavit (c. 97—100.).

Quae dum ad Thebas geruntur ad Philippum Chiorum, Rhodiorum, Byzantiorum et Ptolemaei regis legati rursus venerunt de pace cum Aetolis concilianda acturi. Quos rex nec paci neque bello nimis indulgens Aetolorum sententias prius experiri iussit, tum se quoque paratum fore ad pacis conditiones proponendas declaravit, signis tamen sublatis adversus Scerdilaedum circa Maleam piraticam exercentem confestim contendit. Verum quum serius advenisset copiarum altera parte Maleam, altera Lechaeum missa, ipse Argos ad Nemeorum ludorum conventum abiit. (Cf. Polyb. V, 101, 5. 6. 102, 2. 105, 3. Probamus Mansonis l. c. III, 2. p. 282. sq. de horum Nemeorum tempore sententiam et quae recte monuit contra Corsinium l. c. §. 5.)

Ubi quum nunciatum esset ipsi, Romanos ab Hannibale magna clade ad Ticinum (pugna enim ad Trasimenum lacum ad exitum anni tertii Ol. 140, ad aestatem igitur anni 217 a. Chr. referenda est, cf. Corsini l. c. §. 5. et Manso l. c.) victos esse eam rex epistolam confestim uni Demetrio Phario ostendit monuitque, ut rem sileret (c. 101, 1—6. 102, 2.). Demetrius igitur Illyriorum rex (Polyb. II, 11, 17. Flor. II, 5.), nuper a L. Aemilio Paullo, Romano consule, victus (Polyb. III, 18. sq. IV, 37, 5. c. 66, 4. XXXII, 19, 5. Iustin. XXIX, 2. cf. Schweigh. Ind. ad Polyb. Tom. VIII. s. v. Demetr. Phar.), vir intrepidus et audax, sed nullius iudicii (Polyb. III, 19, 9.), cuius suasu Philippus iam bello Aetolico multa patraverat facinora impia (Polyb. V, 12, 5. sqq.) et postea exsecutus est plura (Polyb. VII, 11. 13. 14. IX, 23, 9.), recuperare studens quam in Pharo insula habuerat dominationem (Polyb. V, 108, 6. sq.), cognitis literis Philippum maiora agitantem supplicibus precibus aggreditur, iniuriam Romanorum querens, qui non contenti Italiae terminis, imperium spe improba totius orbis

amplexi, bellum cum omnibus regibus gerant. Sic illos Siciliae, sic Sardiniae Hispaniaeque, sic denique totius Africae imperium affectantes bellum cum Poenis et Hannibale suscepisse; sibi quoque non aliam ob caussam, quam quod Italiae finitimus videbatur, bellum illatum, quasi nefas esset, aliquem regem iuxta imperii eorum terminos esse. Sed et ipsi cavendum esse exemplum; cuius quanto promtius nobiliusque sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habiturus. Super haec, cedere se illi regno, quod Romani occupaverint, profitetur; gratius habiturus, si in possessione imperii sui socium potius, quam hostes, videret (Polyb. V, 101, 6. sqq. 105, 1. 108, 4. sq. Iustin. XXIX, 2.). Graeciae enim populos et facere iam imperata cunctos et posthac facturos; Achaeos quidem sua sponte, ut qui erga ipsum benevole sint affecti, Aetolos vero metu propter ea mala, quae praesenti bello sint experti. Italiam vero et in eam transitum esse principium imperii summae rerum capessendi, quod cui potius, quam ipsi, conveniat? Ei porro consilio nunc opportunum esse tempus, quum tanta clade afflicti sint Romani (Polyb. V, 101, 10.).

Huiuscemodi oratione impulit Philippum, utpote et iuvenem, qui, ubi primum fama accepit, Hannibalem Alpes transgressum, ut bello inter Romanos Poenumque orto laetatus erat, ita, utrius populi mallet victoriam esse, quod propior Italiae ac mari tantum Ionio discretus erat, incertis adhuc viribus, fluctuatus animo fuerat (Liv. XXIII, 33.), et cuius coeptis fortuna adspiraverat, et qui omnino praeditus esset audacia singulari, denique ex ea domo esset ortus, quae, nescio quomodo, prae ceteris semper summi terrarum imperii spe cupiditateque ducebatur (Polyb. V, 102, 1.), ut, omissis Aetolis, bellum Romanis inferret, minus negotii existimantem, quod iam victos ab Hannibale ad Ticinum fluvium (sic pro Trasimeno scribendum iudico) audierat (Iustin. XXIX, 2.). Itaque ne eodem tempore multis bellis distineretur convocatis amicis de pace cum Aetolis facienda egit, non quasi alio bellum translaturus, sed ut Graeciae quieti consulturus,

quam nunquam in maiori periculo fuisse affirmabat. Siquidem consurgentibus ab Occidente novis Poenorum et Romanorum imperiis, quibus una haec a Graecia atque Asia sit mora, dum inter se bello discrimen imperii faciunt; ceterum statim victoribus transitum in Orientem fore. Videre se itaque ait consurgentem in Italia nubem illam trucis et cruenti belli, videre tonantem ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriae tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia foedaturam. Frequenter Graeciam ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis, sed omnia illa ludum fuisse existimaturos, si ea, quae nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit. Cernere se quam cruenta et sanguinaria inter se bella utrique populi viribus copiarum et ducum artibus gerant, quae rabies finiri solo partis alterius interitu, sine ruina finitimorum non possit. Feros igitur animos victorum minus quidem Macedoniae, quam Graeciae, timendos, quia et remotior et in vindictam sui robustior sit; scire tamen se, eos, qui tantis viribus concurrant, non contentos hoc fine victoriae fore, metuendumque sibi quoque certamen eorum, qui superiores exstiterint. Quumque ne Aratus quidem alienus esset a rerum componendarum consilio, qui superiores bello Achaei pacem erant facturi, rex, ne exspectatis quidem sociorum legatis, Cleonicum Naupactium ad Aetolos de bello componendo misit. Ipse vero, ne pacis nimis cupidus videretur, Lasionem progressus est et occupato Pyrgo in Perippiis, fortasse in Achaiae vel Arcadiae et Elidis confiniis sito (cf. Schweigh. ad Polyb. V, 102, 6.), invadendi Eleam propositum se habere simulabat. Petentibus deinde Aetolis colloquium annuit atque concilium exspectaturus Panormum, Naupacto oppositum portum Peloponnesi, se contulit indeque Zacynthi insulae res ex auctoritate sua constituit (c. 102. Iustin. XXIX, 3.). Ac primum quidem Aratum et Taurionem ad Aetolos misit; qui quum de pace segnius agerent Aetolique regem ipsum invitassent, ipse Naupactum traiecit. Ibi quum Age-

laus, Naupactius, postea Aetolorum praetor (ab auctumno 218 ad auctumnum 217 a. Chr. c. 107, 5—7.), et regem et Aetolos admonuisset, ne invicem infestando vires suas mutuis cladibus debilitarent, sed coniunctis viribus cum contra Romanos, tum potissimum adversus Hannibalem, quorum alter mox totius terrae occidentalis victor possessionibus istis haud contentus in Graeciam quoque sit traiecturus, bellum susciperent malumque imminens praeverterent, factum est, ut socii omnes pacis amore incenderentur. Confirmatis itaque pacis conditionibus, scilicet ut quae iam tenerent utrique servarent (ὥςτε ἔχειν ἀμφοτέρους, ἃ νῦν ἔχουσιν. c. 103.); discessum est ac belli loco pacem quisque in civitatem suam reportaverunt (c. 104. 105.). Pacis vero huius Naupactiae, quae est pacta Nemeis quidem iam celebratis et messe peracta, ante concilium tamen Aetolorum auctumnale (mensium igitur Quinctilis dimidiati, Sextilis, Septembris vel Octobris aliquo die. c. 95. et 107.), auctoritatem tuendam defendendamque suscepere ex altera Philippus cum Achaeis, Aetoli cum Eleis ex altera parte. (Cf. Schorn. l. c. p. 170. N. supra §. 32.)

§. 67.

Res post pacem Naupactiam ad Arati usque mortem gestae.

Achaei et primum bello sunt defuncti ad priora sua instituta moresque redierunt praetoremque iusto comitiorum tempore creaverunt Timoxenum tertium, Maio mense 217 a. Chr. (quem Bayerus l. c. omisit, quod iam Breitenbauch. l. c. p. 81. recte monuit; Helvingius vero l. c. p. 214. falso ad Maium 216 a. Chr. refert.) Similique modo etiam per ceteras Peloponnesi civitates rei familiaris damna pro se quisque reparare, agros colere, sacra, ludos et peculiares patriae ritus instaurare; quae omnia propter bellorum superiorum diuturnitatem apud plerosque in oblivionem prope iam venerant (c. 106, 1—4.).

Aetoli quoque primum quidem, quoniam parum ex animi sententia bellum successerat, pace confecta laetari

eamque adeo ob caussam Agelaum Naupactium, cuius maxime opera atque auctoritate res videbantur compositae, praetorem gentis constituere (218—217 a. Chr.). At iidem mox aegre ferre et Agelaum incusare: omnem quippe sibi ab exteris populis praedas agendi occasionem esse praecisam omnesque commodorum spes ereptas, quoniam cum universa Graecia pax conciliata esset. At vir ille tantam hanc istorum amentiam et querelas patienter ferendo impetus cohibebat, ut, quantumvis repugnante natura, quieti manere tamen cogerentur (c. 107, 5—7.).[1] Summum vero Graecis inde redundabat commodum, quod Philippus novo atque insueto adhuc bello contra Romanos intentus quodammodo cogebatur non solum parcere iis sed etiam omnem in eo ponere operam, ut sociorum benevolentiam auxiliaque lucraretur (Liv. XXXII, 5.). Athenienses tamen nullius prorsus rei communionem cum reliquis Graecis habebant (c. 106, 6—8. Paus. II, 9, 4.). Reliqui vero Graeci, inprimis Achaei, sopitam dissidiorum factionumque turbulentissimam opinantes procellam gaudio elati respirare denuo ac frui libertate coeperunt, nescii, quantum ex hac quiete malum mox esset oriturum. (Cf. Drumann. l. c. p. 487.) Ex eo inde tempore non amplius aut Philippus, aut Graecarum civitatum principes, quum vel bella susciperent, vel pacem facerent, ad Graeciae statum conditionemque sua consilia referebant, sed ad Italiam omnes, ceu ad communem scopum, oculos convertebant. Nec longa intercessit mora, quum et qui

---

1) Quae Lucas (l. c. p. 114.) ad hunc Polybii locum notavit assensum nostrum non ferunt. Aetoli enim contra magistratus, quos ipsi sibi constituerant ad illa usque tempora, de quibus Polybius disputat, seditiones non moverant, quapropter mirum non est, universam gentem unius dicto audientem fuisse; neque sermo est de expeditionibus, quibus Aetoli ab aliis regibus vel populis mercede conducti interesse potuissent, sed de motibus in ipsa Graecia excitandis, quorum tamen in praesens pace Naupactia confirmata omnes sublatae erant ac remotae occasiones.

insulas et qui Asiam colebant, idem facere coeperunt (c. 105, 5—9.).

Philippus Scerdilaedo victo hiematum copias dimittit (hieme 218—217). In hibernis centum lembos Illyrico modo primus fere omnium regum Macedoniae construi iubet. Ineunte aestate 217 a. Chr. contrahit sibi ignominiam ad Apolloniam (c. 108—110. Liv. XXII, 34. sqq. Lachm. l. c. p. 44. sq.). Devictis deinde auctumnali tempore 216 a. Chr. Romanis magna illa notissimaque clade apud Cannas (Polyb. III, 115—118. Liv. XXII, 50.) et L. Postumio praetore a Gallis caeso (Liv. XXIII, 24. sq.) Philippus, qui primum fluctuatus fuerat animo, iam ad fortunam inclinavit legatumque iungendae societatis gratia ad Hannibalem misit Xenophanem (Liv. XXIII, 33. sqq. Polyb. VII, 9. Helving. l. c. p. 214. hoc foedus secundum fuisse falso autumat. Appian. Maced. Ecl. IX, 1. Iustin. XXIX, 3. Flor. II, 7.).

Messenii quum soli inter Peloponnesios seditiones motusque excitassent intestinos et magistratus a multitudine dissideret (Polyb. VII, 10.), Philippus, qui ex quo tempore in Demetrii Pharii consuetudinem venerat atque amicitiam vitae institutum priori contrarium amplexus est ac quotidie malum malo cumulavit (Polyb. VII, 12. sqq. VIII, 10. IX, 30, 2. X, 26, 7. sq. XXVI, 5, 9. 10. Paus. IV, 29, 1. VII, 7, 3. Plut. Arat. c. 49—51. Liv. XXVII, 31. XXXII, 21. Iust. XXIX, 3.) rebusque laetis multas effudit et magnas cupiditates atque simulatione missa nativum paullatim aperuit ingenium suum, ratus totius Peloponnesi imperium sese obtenturum, si Messenen urbem eiusque arcem occupasset, e Macedonia in Peloponnesum reversus (c. 110. Plut. Arat. c. 49.) ἡμέρᾳ μιᾷ πρότερον. ἐλθὼν εἰς τὴν πόλιν, non modo aluit seditionem, sed etiam auxit, ut apertam in vim erumperet. Aratus vero, qui ὑστέρει βοηθῶν, et, si ἐβοήθει, praetor fuit sextum decimum a Maio mense 215 ad Maium 214 a. Chr. (quam praeturam Bayerus errore lapsus ad annum U. C. 541 male retulit, cf. Manso l. c. III, 2. p. 268. Schweigh. ad Polyb. IIII, 19, 11.) superveniens aperte

rem sibi acerbam esse prae se tulit, neque filium suum, qui Philippum acriter increpuit, repressit. Quum in arce diis sacrificaret rex et cum Demetrio Phario et Arato loci opportunitatem contemplaretur, suasit Philippo Demetrius, ut τὸν Ἰθωμάτην (Polyb. τὸν Ἰθωμάταν Plut. τὴν Ἰθώμην Strab.) occupatum suis praesidiis teneret et utrumque quasi Graeciae cornu tenens bovis fieret compos; cui tamen consilio tunc non obsecutus est rex Arato meliora suadente (Polyb. VII, 10. 11. Plut. Arat. c. 49. 50. Strab. VIII, 4. p. 188.). [2]) Hinc primum simultates inter regem et veterem eius amicum consiliorumque participem, Aratum, sunt natae, ob quas Arato lentum venenum paulo post a Taurione exhibitum, ex quo decimum et septimum praetor exstinctus est (Polyb. VII, 13. Plut. Arat. c. 51. Paus. II, 9, 4.).

Insequenti anno post foedam illam cladem ad Apolloniam acceptam (auctumnali tempore, Liv. XXIV, 10. 40.) 214 a. Chr. Livius quidem Macedoniam ait petiisse Philippum, Plutarchus vero (vit. Arat. c. 50. 51.) in Peloponnesum scribit rediisse. Quae fortasse ita conciliari possint, quemadmodum Dacierius in Gallica Plutarchi versione fecit, ut primo Macedoniam petiisse Philippum statuamus, inde vero in Peloponnesum rediisse. Ibi tum, ut refert Plutarchus, Messenen rursus per dolum aggredi conatus, quum minus succederet dolus, aperta vi egit finesque Messeniorum vastavit (Schweigh. ad Polyb. VIII, 10. et 14. cf. Zonar. Annal. IX, 4.). Messenii enim quum milites Macedonicos, Demetrii Pharii rapinarum adiutores, interfecissent, Philippus primum Demetrio Phario, ut iniuriam hanc ulcisceretur, imperaverat, sed Demetrius in ipsa pugna, quam temere et proiecta audacia conserebat, caesus est (Polyb. VIII, 14. III, 19.). Pausanias (IV, 29, 1.) hanc expeditionem uberius quidem descripsit, multa tamen contra chronologiam commisit vitia. (Cf. II, 9.

2) Lucas (l. c. p. 115.) ex Polybii loco VII, 11, 9. falso autumat, Messenios tum vi subigi debuisse, quum Philippus potius, societate, qua iunctos secum habebat Messenios, non contentus, ultro eos adortus esse existimandus sit.

Plut. Demetr. c. 83. Manso l. c. Not. p. et Schorn. l. c. p. 176. N.) Simsonus in Chronico Universali haec falso ad A. U. 541, quae gesta sunt A. U. 540, retulit.

Quam Messeniorum vicem Aratus quum vehementer doleret ac vereretur, ne regis facinora in infamiam redundarent suam, prorsus discessit ex eius consuetudine hostilia omnia metuens ab eo, qui privatim in domum suam deliquerat; nam iniurias quoque violati cubilis filii fuerat iam odoratus tulitque id moleste, filium celavit tamen (Plut. Arat. c. 51. cf. Liv. XXVII, 31. hanc Polycratiam, Arato iuniori ademtam, spe regiarum nuptiarum postea in Macedoniam asportavit; cf. Drumann. l. c. p. 118. sqq. et p. 451.), publice Messenios affligebat, Achaeis insidiari videbatur, nulla fide, nullo beneficiorum respectu. Philippus autem uni e ducibus et familiaribus suis, Taurioni, negotium dedit, ut quam occultissime Aratum veneno aggrederetur. Is, postquam in familiaritatem Arati irrepsit, cogitata perfecit. Dedit autem venenum, ut ait Plutarchus (Arat. c. 52. cf. Polyb. VIII, 14. Paus. II, 9, 4.) lentum: θέρμας τε μαλακὰς τὸ πρῶτον ἐν τῷ σώματι καὶ βῆχα κινοῦν ἀμβλεῖαν, εἶτα οὕτω κατὰ μικρὸν εἰς φθορὰν περαῖνον. Ergo non tantum veneno, sed etiam Taurioni tempus erat concedendum; veneno, ut grassaretur; Taurioni, ut se apud Aratum, neque Philippo neque familiaribus eius pronum ad insidias, insinuaret. Quae mecum considerata sic habui, ut inclinaret animus, Arati praeturam extremam anno 213 a. Chr. inserendam potius esse, quam anno 214 a. Chr. Sed a Maio 213 ad Maium 212 a. Chr. praetor fuit septimum decimum, et vel sic satis temporis et Taurioni ad praebendum venenum et veneno ad nocendum tribui potuit, praesertim si extremo tempore praeturae decessit Aratus. (Cf. Manso l. c. III, 2. p. 268. Schornius tempus quidem Ol. 141, 3—141, 4 l. c. p. 177. recte indicavit, sed falso Aratum sexta decima praetura mortuum esse scribit. Bayerus septimam decimam male ad A. U. 543. a. Chr. 511 retulit.)

Decessit, ut Pausanias (II, 7, 5. c. 8, 1. c. 9, 4.)

tradit, Aegii; inde oraculi responso (Plut. Arat. c. 53.) corpus Sicyonem ductum honoresque divini eius meritis decreti. Locus sepulcri ad posteritatis memoriam appellabatur Aratium. Sacra ei faciebant, semel quo die civitatem a tyrannide vindicavit, quinto mensis Daesii, exeunte mense Februario (Ideler l. c. I. p. 337. et 393. sqq.); hoc festum appellabant Soteria; iterum quo mense memorant natum. Priora Iovis Servatoris sacerdos facere fuit solitus, secunda Arati, qui fasciam non ex toto candidam, sed intertextam purpura gerebat. Carmina ad citharam canebantur ab histrionibus. Pompam ducebat gymnasiarcha puerorum et adolescentum, inde senatus coronatus sequebatur et reliqui cives, quibus libebat. Quorum obscura Plutarchi etiamnum aetate vestigia diebus illis defunctorie retinuere, ceterum maxima honorum pars temporis iniuria et per alia negotia exolevit (Plut. Arat. c. 53. Polyb. VIII, 14.). Pausaniae vero aetate heroicum eius monumentum Arateum nuncupabatur (Paus. II, 8, 1. 9, 4.). In theatri, quod infra arcem aedificatum erat, scena viri scutum tenentis statua visebatur, quam Arati, Cliniae filii, esse dicebant (Paus. II, 7, 5.). Statuam Olympiae quoque habuit erectam Aratus (Paus. VI, 12, 2.).

Exstincto patre nefarius et contumeliosus Philippus insaniam inducentibus medicamentis filio etiam Arato mentem movit pervertitque, ut absurda et nefanda tentaret faciendique absona et cum turpitudine patiendi flagitiosa arderet desiderio, mors ut ei, quamvis iuveni et florenti aetate, non calamitatem, sed malorum finem et salutem attulerit. Poenas tamen Philippus Iovi, hospitii et amicitiae praesidi, non leves flagitiorum tota deinceps vita persolvit, quorum insequenti narratione mentionem facturi sumus.

Arati vero progenies Sicyone et Pellenae ad Plutarchi usque aetatem duravit (Plut. Arat. c. 54.).

Caput octavum.

Achaeorum res ab Arati morte ad Philopoemenis praeturam primam.

§. 68.

Res ad illud usque tempus gestae, quo Machanidas Spartae tyrannidem occupat.

Anno, quo mortuus Aratus tantoque Achaeorum res detrimento affectae erant, eodem exeunte (212 a. Chr.) Philippus Lissum aggressus est eamque urbem cum Acrolisso paucis diebus expugnavit. (Referenda haec sunt ad Liv. XXIV, 40. non XXVI, 25. quod falso fecit Bayerus; cf. Manso l. c. III, 2. p. 268. Schweigh. ad Polyb. VIII, 10, 1.) Quo facto adeo vicinos omnes sibi reddidit obnoxios, ut plerique in Illyrico urbes suas fidei illius ultro permitterent (Polyb. VIII, 15. 16.).

Quibus rebus gestis duorum annorum in Graecia quies erat. Videntur tamen iam ante annum 211 a. Chr. simultates inter Aetolos et Acarnanes ortae esse (Lucas l. c. p. 116.). Classi, quae Macedonum regem observaret impediretque, quominus in Italiam transmitteret copias et cum Hannibalis exercitu coniungeret, praeerat M. Valerius Laevinus praetor (Liv. XXV, 3, 6. XXVI, 1, 12.). Qui idem quo anno apud Achaeos praetor videtur fuisse Euryleon (Polyb. X, 24, 1.), apud Aetolos Scopas, 211 a. Chr. (Ol. 142, 2) auctumno exeunte, ad Aetolorum concilium ante indictum venit (Liv. XXVI, 24. Manso l. c. III, 2. p. 270. Schorn. l. c. p. 179. 182.).

De hoc Euryleone Polybius ait: *Εὐρυλέων, ὁ τῶν Ἀχαιῶν στρατηγὸς, ἄτολμος ἦν καὶ πολεμικῆς χρείας ἀλλότριος.* Manso (l. c. p. 274.) huius praeturam a Bayero (l. c. p. 321. sqq.) ad A. U. 543 relatam accurate definiri non posse existimat. Fuit autem praetor a Maio 211 ad Maium 210 a. Chr. De Philopoemene porro scribens Polybius refert *κατασταθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν ἱππάρχης ἐν τοῖς προειρημένοις καιροῖς.* Vides eum Euryleone praetore, de quo paulo ante dixerat, magistrum equitum fuisse. Non diffiteor tamen in excerptis Polybianis saepe

difficultatem maximam nobis obversari, quum de tempore quaestio est. Nam quum saepe ab instituto recedat Polybius, tum, ubi recesserit, haud facile deprehendas. Potest igitur fieri, ut Philopoemen magister equitum fuerit tantummodo praetore Cycliada, qui praeturam post Euryleonem anno proxime sequenti gessit; a Maio 210 ad Maium 209 a. Chr. Scopas autem praetor erat Aetolorum ab auctumno 212 ad auctumnum 211 a. Chr. (Liv. XXVII, 29, 9. 10.) Miror equidem Schornium (l. c. p. 182.) tot vitia commisisse chronologica, quamquam non male tempus constituit, neque accurate Catonis aeram cum Varroniana comparare potuisse, praesertim quum priore illa per totum suum librum utatur.

Laevinus in concilio quum Syracusas Capuamque captam in fidem in Sicilia Italiaque rerum secundarum ostentasset (Liv. XXV, 31. XXVI, 14.) adiecissetque, iam inde a maioribus traditum morem Romanis colendi socios, Aetolos eo in maiore futuros honore demonstravit, quod gentium transmarinarum in amicitiam primi venissent. (Id recte addubitat Gastius l. c. p. 415. cf. Polyb. III, 22—25. Liv. IX, 43.) Philippus eis Macedonas graves accolas esse, quorum se vim ac spiritus et iam fregisse et eo redacturum esse, ut non his modo urbibus, quas per vim ademissent Aetolis, excedant, sed ipsam Macedoniam infestam habeant (Lucas l. c. p. 116.). Et Acarnanes, quos aegre ferrent Aetoli a corpore suo diremtos, restituturum se in antiquam formulam iurisque ac ditionis eorum. Aetolos maxime spes potiundae movebat Acarnaniae. Lucas (l. c. p. 115.) optime exposuit res caussasque, cur Aetoli necessitate urgente ad Romanorum partes transierint, quamquam et hic dici posse videatur, potuisse saltem Aetolos, modo voluissent, cum Philippo et Achaeis perstare in societate. (Cf. Polyb. IX, [illegible], 6. X, 41, 4. XXXII, 18, 3. 4. et Lucas p. 116.) Summa conditionum erat, ut bellum extemplo Aetoli cum Philippo terra gererent. (Bene de hoc foedere disputavit Schorn. l. c. p. 179. sqq.)

Haec convenerunt conscriptaque biennio post Olympiae ab Aetolis, in Capitolio a Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita. Morae caussa fuerant retenti Romae diutius legati Aetolorum. Romanorum legatus Olympiae erat, quum ludi celebrarentur, L. Manlius (Liv. XXVII, 35, 3. Ol. 143, ¹/₂). Nec tamen impedimento id rebus gerendis fuit et Aetoli extemplo moverunt adversus Philippum bellum; Laevinus Corcyram se recepit (Liv. XXVI, 24. Iust. XXIX, 4. Zonaram, qui IX, 4. Aetolos Philippi socios vocat, immerito vituperat Lucas p. 116. N. 2. a pace enim Naupactia ad Romanorum usque adventum in Graeciam socii erant Philippi quamquam inviti coacti tamen.). Philippo Aetolorum defectio Pellae hibernanti (hieme 211—210 a. Chr.) allata est. Acarnanum adversus Aetolos desperata coniuratio comparatur cum Abydenorum (Polyb. IX, 40, 4—6. XVI, 32, 1 — 3. Liv. XXVI, 25, 9 — 15.). Philippus audita Aetolorum excursione copias educit, mox tamen audito rursus Aetolorum reditu Pellam in hiberna et ipse rediit (Liv. XXVI, 25.).

Laevinus veris principio (210 a. Chr.) a Corcyra, ubi hiematum concesserat, profectus navibus Anticyram Aetolorum auxilio expugnavit. (Cf. Zonar. IX, 9. Pausanias X, 36. vitiosus est.) Zacynthum tamen et Anticyram eodem bello a Macedonibus esse receptas Livius testis est (XXVIII, 8. XXXVI, 31.). Laevinus absens consul creatus, diuturno morbo implicitus serius spe omnium Romam venit (Liv. XXVI, 26, 1—5.). P. Sulpicius Galba successor Laevini (Liv. XXVI, 26. 28. Polyb. IX, 42.).

Quae dum a Romanis geruntur Aetoli, qui cum Eleis et Messeniis iam erant amicitia ac societate coniuncti (Polyb. IX, 30, 6.), alios sibi socios parari, ut ipsi per se quoque ad bellum propriis auspiciis gerendum parati essent atque instructi, Lacedaemonios inter utrasque partes fluctuantes adhuc atque ambiguos, nec quorsum inclinarent satis secum constantes ad partes suas traducendos societateque denuo sibi coniungendos susceperunt.

Missus igitur Chlaeneas Spartam legatus ab Aetolis, ab Acarnanibus Lyciscus, qui prioris coeptis obviam iret. Chlaeneae oratio Polyb. IX, 28 — 32., Lycisci Polyb. IX, 32—40. coll. Polyb. XI, 6, 4. ubi Philippi socios nominat: maiorem Peloponnesiorum partem, Boeotos, Euboeenses, Phocenses, Locros, Thessalos, Epirotas; cf. Liv. XXVI, 37, 5. Utraque oratio Polybianam profecto mentem eiusque affectus redolet, quod quidem in talibus mirum non est, modo veritas ne laedatur. Num habitae sint revera dubium subest; vocabulis enim τοιαῦτα (c. 31, 7.) et οὕτω πως (c. 32, 2.) nihil demonstratur. (Cf. Lucas l. c. p. 117.) Lyciscus propterea tantum dicit, Romanos ab Aetolis esse accitos, quod hi cum illis societatem iam inierant. Ceteris Lucae (l. c. p. 117.) quaestionibus ea obmoventur, quae iam supra pluribus locis monuimus. Lyciscus quamquam ad res, ut tum dispositae erant, optime locutus ac propemodum vaticinatus esset, Lacedaemonii tamen cum Aetolis Romanisque foedus contra Philippum pepigerunt (Liv. XXVI, 24, 9.).

Ex quo igitur tempore Romani primum in Graeciam traiecerant ibique sociis comparatis Graecorum rebus sese immiscere coeperant, Graeci iam post cladem ad Chaeroneam acceptam libertate indigni sensim in perniciem suam ruere, donec Corintho deleta nova Achaiae provincia ad victores prorsus se applicaret. Quibusnam vero machinationibus Romani quibusve fortuna invida casibus usi sint, ut gentem antiquitatis totius nobilissimam, licet non plane deleret, ita tamen circumcideret conficeretque, ut deleta prorsus videretur, cur post Gastii, Drumanni, Heerenii, Schornii disquisitiones et notissimas et doctissimas denuo exponere aggrediamur, caussam satis idoneam non habemus, praesertim quum ex tota nostra narratione, quam componendam suscepimus, satis illud clarum fieri posse confidamus. Neque minimum, quo Graecorum res Romanis intervenientibus affectae sunt, damnum renovatam Philippi inter Graecos Aetolorum rapinas extimescentes potentiam atque auctoritatem reputamus, quam mox in tantum esse auctam cognoscemus, ut pro arbitraria

sua voluntate sociorum omnium res cum externas tum internas potissimum regeret administraretque (Polyb. X, 41. Iust. XXIX, 4.). Inprimis vero Achaei, quos in Romanorum bella Philippus sollicitabat, regis iniuriarum ac superbiae immemores ad praesentem, ut tum erat, rerum conditionem intenti hostiumque undique exsurgentium copias reformidantes, nullo, qui rebus communibus praeesset, duce idoneo instructi, Philippi plane se in praesidium, velut in tutelam, tradiderunt. Res vero ipsas, quomodo temporum decursu processerint, iam videamus.

Quum iam fortuna Romanis velut despondere orientis imperium videretur (Liv. XXVI, 37, 5.), Philippus eodem vere, quo Laevinus Romam avocatus abiit, 210 a. Chr. (Polyb. IX, 42. Liv. XXVII, 15. Schornius l. c. p. 183. N. non recte tempus constituit Ol. 142, 3, est potius sub finem Ol. 142, 2, mense Maio vel Iunio.) Echinum, sitam ad sinum Maliacum urbem, expugnavit, quum P. Sulpicium, Romanorum imperatorem, et Dorimachum, Aetolorum ducem (non στρατηγόν, Polyb. IX, 42. στρατηγὸς enim erat tunc temporis iam Pyrrhias), qui ad liberandam eam accesserant, in fugam coniecisset (Manso l. c. p. 270. Schorn. l. c. p. 185. N. Helvingius ceterum prolixiore narrandi genere usus huius expeditionis non meminit.).

§. 69.

Ad Philopoemenis primam praeturam.

Anno Achaico 71, i. e. a Maio mense 210 ad Maium 209 a. Chr. praetor fuit Achaeorum Cycliadas primum (Liv. XXVII, 31.). Fuisse tum magistrum equitum Philopoemenem, annos quadraginta duos s. tres natum, Plutarchus testatur (Philop. c. 7. Paus. VIII, 49, 4.). Eodemque praetore, Olympiadis 142 tertio anno ineunte, A. U. C. 544, Nemea acta sunt. Sic Bayerus (l. c. p. 323.), quem sequimur, contradicentibus Mansone (l. c. III, 2. p. 271. sqq. et p. 306. sq. et de Nemeis p. 284.) et Lachmanno (l. c. T. II. §. 30.). Quod Schweighaeuserus dicit primum et tertium quemque annum cuiusque Olympiadis et Nemeorum ludicrum in impares annos ab urbe con-

dita incidere minus accurate est neque omnibus exemplis, ubi apud Polybium Nemeorum mentio occurrit, probatur (Schweigh. ad Polyb. X, 24, 1. et c. 26.).

Aetolorum praetor erat Pyrrhias cum rege Attalo, ab auctumno 211 ad auctumnum 210 (Liv. XXVII, 29. 30.).

Livius ut in numerandis post urbem conditam annis (cf. Trewen-Schroeder Fast. Livian. praef. Ideler l. c. T. II. p. 169. et Laurent Fast. consulares capitolini §. 24. sqq.) sibi non constat et in annis computandis nonnunquam parum diligens fuit, ita etiam in rebus narrandis a vera temporum ratione nonnunquam recessit. Saepius id eo consilio fecit, ne de iisdem rebus pluribus locis narrandum esset. Sed haec ratio non raro effecit, ut minus accurata esset historia. Uti vero solet Livius illa numerandi ratione, quam Catonis aeram dicunt, eamque secutus est Fr. Lachmannus (l. c. T. II. §. 30.). Quam Catonis rationem qui adhibent, per totum historiae Romanae spatium duobus annis minorem numerum, quam Varro, ponunt. Nonnunquam etiam in iis locis, in quibus veriora a Polybio discere potuisset, toto tamen anno a vero aberravit, modo iudicio suo usus Livius et id secutus, quod verisimilius ipsi videbatur, modo rationem, qua Polybius Olympiadas cum Romanorum consulibus composuit, non recte perspiciens. (Cf. Petav. Doctr. Temp. IX, 53. et I, 33. Dodwell. de Cyclis X, 48. Schweigh. ad Polyb. IV, 14, 9. Manso l. c. III, 2. p. 267. Zumpt. Annal. p. 73. Schornius l. c. p. 170. N. Schweighaeuserum impugnavit quidem, neque tamen assensum nostrum tulit.) Nonnunquam quae Polybius continua narratione et uno loco, sed accurate distinctis temporibus exposuit, ea non recte Livius separavit, aut ad eundem omnia annum retulit. Ex eo errorum genere is quoque est, quem notarunt Schweighaeuserus (ad Polyb. X, 24, 1. et c. 47. extr. et XI, 4.), Manso (l. c. III, 2. p. 271. sqq. et 306. sq. Corsinii de Nemeis sententiam defendit nuper Boeckhius in commentatione: Ueber die Zeitverhältnisse der Demosthenischen Rede gegen den Midias p. 33. sq.; quamquam hic contra-

riam Mansonis sententiam non refutavit, neque suam ita confirmavit, ut nos ad eam traducat.), Lachmannus (l. c. II. §. 30.) et Schornius (l. c. p. 185. sq. N.). Quae enim Livius (XXVII, 29. sqq. et XXVIII, 5. sqq.) narrat, Schweighaeusero videtur ad annum 547 U. C. retulisse, quum tamen per duos annos continuos distribuenda sint; Mansoni vero et Lachmanno, qui prioris fere ubique sequitur auctoritatem, Livius haec annis U. C. 546 et 547 videtur assignasse, quae ad annos U. C. 545 et 546 pertineant. Eandemque sententiam non solum amplexum se esse sed etiam certis quibusdam rationibus stabilivisse profitetur Schornius (l. c.). Bayero rursus haec videbantur esse referenda ad annos U. C. 544 et 545 aerae Varronianae, s. ad annos 210 et 209 a. Chr. Nos vero distribuimus per tres annos 210, 209 et 208 a. Chr. idque ipsum insequenti narratione, ad quam transituri sumus, prolixius demonstrabitur.

Eadem tempestate Lycurgus (cf. Clinton l. c. p. 218.), qui, Agesipolide III. expulso (Liv. XXXIV, 26, 14. Polyb. XXIV, 11, 1.), solus apud Spartanos regale obtinuit imperium, Lacedaemone mortuus est successoremque in regno habuit Pelopem filium. Qui quum prorsus esset indignus, a quo respublica administraretur, Machanidas quidam, quem veteres auctores inter tyrannos referunt, violentia rerum Spartae quidem potitus est, Pelopem tamen regia non privavit dignitate. (Liv. XXXIV, 27. et 32. Diod. Fragm. lib. XXVII. Paus. IV, 29, 4. qui Lycurgum praetermisit. Cf. Schorn. l. c. p. 184. N. infra §. 80. N.) Imperio mox firmato copiisque coactis Machanidas Achaeos finitimo bello urebat, quibus, quum Aetoli insuper navibus per fretum, quod Naupactum et Patras interfluit, exercitu traiecto Achaiae regiones maritimas depopularentur, implorantibus Philippus eadem aestate (210 a. Chr.) auxilium tulit. P. Sulpicius Aeginam, Achaeorum sociam, expugnat (Polyb. XXIII, 8, 9—12. XI, 6, 8. Liv. XXVII, 23. 29. cf. Lucas l. c. p. 117. Schorn. l. c. p. 183. N.). Philippo in Graeciam descendenti ad Lamiam urbem Aetoli, duce Pyrrhia, qui praetor in eum

annum cum absente Attalo creatus erat, comitiis auctumnalibus 211 a. Chr. (Liv. XXVII, 29, 9. 10.) occurrerunt. Adversus hunc ducem bis prospero eventu Philippus pugnavit, mille admodum hostium utraque pugna occidit. Inde quum Aetoli metu compulsi Lamiae urbis moenibus tenerent sese Philippus exercitum ad Phalara reduxit. Eo legati ab rege Aegypti Ptolemaeo (IV., Philopatore, 221—181) Rhodiisque et Atheniensibus et Chiis venerunt ad dirimendum inter Philippum atque Aetolos bellum. Adhibitus ab Aetolis et ex finitimis pacificator Amynander, rex Athamanum. Omnium autem non tanta pro Aetolis cura erat, ferocioribus, quam pro ingeniis Graecorum gentis, [1]) quam ne Philippus regnumque eius grave libertati futurum rebus Graeciae immisceretur. De pace dilata consultatio est in concilium Achaeorum concilioque ei et locus et dies certa indicta. Interim triginta dierum induciae impetratae (Appian. Ecl. 2. de reb. Maced. lib. IX. hist. Rom.).

Huc quoque trahunt Schweighaeuserus et Manso (l. c. III, 2. p. 306.) Polybianum illud fragmentum X, 23. ex oratione habita ab aliquo ex eis legatis, quos convenisse Livius (XXVII, 30.) ait ad dirimendum inter Philippum et Aetolos bellum.

Philippus inde per Thessaliam Boeotiamque Chalcidem Euboeae venit, ut Attalum, quem classe Euboeam petiturum audierat, portubus et litorum appulsu arceret. Inde praesidio relicto adversus Attalum, si forte interim traiecisset, profectus ipse cum paucis equitum levisque armaturae Argos venit. Ibi curatione Heraeorum Nemeorumque suffragiis populi ad eum delata, quia se Macedonum reges ex ea civitate oriundos referunt, Heraeis peractis ab ipso ludicro extemplo Aegium (Mspti regium, libri Rhium, exhibent; cf. Schorn. l. c. p. 187.) profectus est ad indictum multo ante sociorum concilium. Ibi de

1) Lucas (l. c. p. 118.) illud opprobrium ab Aetolis quidem removere studet, et removeret fortasse, nisi Aetoli iam a Thucydide in eundem fere modum depicti essent.

Aetolico finiendo bello actum, ne caussa aut Romanis aut Attalo intrandi Graeciam esset. Sed ea omnia vixdum induciarum tempore circumacto Aetoli turbavere postquam et Attalum Aeginam venisse et Romanam classem stare ad Naupactum audivere. Vocati enim in concilium Achaeorum, in quo eaedem legationes erant, quae ad Phalara egerant de pace, primum questi sunt quaedam parva contra fidem conventionis tempore induciarum facta (Philippum Thermopylas ab Aetolis negligentius custoditas adortum esse narrat Frontinus Strategem. I, 4, 6.), postremo negarunt dirimi bellum posse, nisi Messeniis Achaei Pylum redderent, Romanis restitueretur Atintania, Scerdilaedo et Pleurato, Scerdilaedi filio (Liv. XXXI, 28.), Ardyaei. Enimvero indignum ratus Philippus victos victori sibi ultro conditiones ferre, ne antea quidem se aut de pace audisse, aut inducias pepigisse, dixit, spem ullam habentem quieturos Aetolos, sed ut omnes socios testes haberet, se pacis, illos belli caussam quaesisse. (Mirum sane quantis Polybium cumulet iniuriis Lucas l. c. p. 118.)

Ita infecta pace concilium dimisit quattuor millibus armatorum relictis ad praesidium Achaeorum et quinque longis navibus acceptis. Ipse ab eo concilio Argos regressus, iam enim Nemeorum appetebat tempus, quae celebrari volebat praesentia sua (Polyb. X, 26. Liv. XXVII, 30.).

Occupato rege apparatu ludorum et per dies festos licentius, quam inter belli tempora, remittente animum, P. Sulpicius ab Naupacto profectus classem appulit Sicyonem et Corinthum agrumque nobilissimae fertilitatis effuse vastavit. Fama eius rei Philippum ab ludis excivit raptimque cum equitatu profectus iussis subsequi peditibus palatos passim per agros gravesque praeda, ut qui nihil tale metuerent, adortus Romanos compulit in naves. Classis Romana haudquaquam laeta praeda Naupactum rediit. Philippo quoque ludorum, qui reliqui erant, celebritatem quantaecunque, de Romanis tamen, victoriae partae fama auxerat, laetitiaque ingenti celebrati festi dies (Liv. XXVII, 31, 1 – 4. Polyb. X, 26, 1.).

Per multa flagitia solemni Nemeorum peracto (Ol. 142, 3 ineunte) paucisque additis diebus Dymas est profectus ad praesidium Aetolorum, quod ab Eleis accitum acceptumque in urbem erat, eiiciendum. Cycliadas, penes quem summa imperii erat, Achaeique ad Dymas regi occurrere, et Eleorum accensi odio, quod a ceteris Achaeis dissentirent, et infensi Aetolis, quos Romanum quoque adversus se movisse bellum credebant. Profecti ab Dymis coniuncto exercitu transeunt Larisum amnem, qui Eleum agrum ab Dymaeo dirimit (Liv. XXVII, 31, 9—11.).

Primum diem, quo fines hostium ingressi sunt, populando absumserunt. Postero die acie instructa ad urbem accesserunt praemissis equitibus, qui obequitando portis promtum ad excursiones genus lacesserent Aetolorum. Ignorabant Sulpicium cum quindecim navibus ab Naupacto Cyllenen traiecisse et expositis in terram quattuor millibus armatorum silentio noctis, ne conspici agmen posset, intrasse Elim. Itaque improvisa res ingentem iniecit terrorem, postquam inter Aetolos Eleosque Romana signa atque arma cognovere. Et primo recipere suos voluerat rex, dein contracto iam inter Aetolos et Trallos, Illyriorum id est genus, certamine quum urgeri videret suos et ipse rex cum equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi equus pilo traiectus quum prolapsum per caput regem effudisset atrox pugna utrimque accensa est, et ab Romanis impetu in regem facto et protegentibus regiis. Insignis et ipsius pugna fuit, quum pedes inter equites coactus esset proelium inire; dein quum iam impar certamen esset caderentque circa eum multi et vulnerarentur raptus ab suis atque alteri equo iniectus fugit. Eodem proelio Philopoemenem, Achaeorum magistrum equitum, Eleorum magister equitum Damophantus ante signa evectus petiit. Cuius ille impressionem excipiens praevertit eum lancea feriendo atque exanimem deturbavit equo. Ad cuius lapsum confestim effuderunt se ceterae Aetolorum et Eleorum equestres copiae in fugam. Unde ingens nomen quaesivit Philopoemen, ut qui nec manu ulli iuvenum, nec ulli senum concederet prudentia, sed iuxta militis et

imperatoris partes optime obiret (Plut. Philop. c. 7. Paus. VIII, 49, 4. quos locos quin huc traheret dubium habuit Lucas l. c. p. 119. cf. Suid. s. v. Φιλοποίμ.).

Eo die castra quinque millia passuum ab urbe Eleorum posuit Philippus, postero ad castellum Pyrgum copias omnes eduxit, quo agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat; eam inconditam inermemque multitudinem primo statim terrore adveniens cepit, compensaveratque ea praeda, quod ignominiae ad Elim acceptum fuerat. Dividenti praedam captivosque nuncius ex Macedonià venit, Eropum quendam Lychnidum cepisse, tenere et Dassaretiorum quosdam vicos et Dardanos etiam concire. Omisso igitur Achaico bello, relictis tamen duobus millibus et quingentis omnis generis armatorum cum Menippo et Polyphanta ducibus ad praesidium sociorum profectus ab Dymis per Achaiam Boeotiamque et Euboeam decimis castris Demetriadem in Thessaliam pervenit (Liv. XXVII, 32.).

Post profectionem ex Achaia regis Sulpicius Aeginam classe profectus cum Attalo sese coniunxit. Achaei cum Aetolis Eleisque haud procul Messene prosperam pugnam commiserunt. Attalus rex et P. Sulpicius Aeginae hibernarunt (Liv. XXVII, 33, 1—6.).

Quae narrat Livius lib. XXVIII, 5—9. fere ad verbum e Polybii lib. X, 41, 5. sq. translata sunt, paucis in brevius contractis; multa enim ad Graecos et Philopoemenem spectantia (Polyb. XI, 8—19.) omisit. Quae Polybius de signis igne datis disseruit a Livio omissa sunt. Comparari cum his possunt, quae narrat Caesar (B. G. VII, 3.) de more populorum Galliae maiores atque illustriores res clamore per agros regionesque significandi. (Cf. Schweigh. T. VI. p. 680. Lachm. l. c. T. II. p. 50. 98. sq.)

Sequentis anni 209 a. Chr. apud Achaeos praetor qui fuerit ignoratur, quo anno consules fuere Q. Fabius Maximus Verrucosus V., Q. Fulvius Flaccus IV.

Principio aestatis P. Sulpicius proconsul et Attalus rex quum Aeginae hibernassent Lemnum inde classe

transmiserunt. Et Philippus, ut, seu terra seu mari obviam eundum foret, paratus ad omnes conatus esset, ipse Demetriadem ad mare descendit, Larissam diem ad conveniendum exercitui edixit. Undique ab sociis legationes Demetriadem ad famam regis convenerunt. Sustulerant enim animos Aetoli, quum ab Romana societate, tum post Attali adventum, finitimosque depopulabantur. Nec Acarnanes solum Boeotique et qui Euboeam incolunt in magno metu erant, sed Achaei quoque, quos super Aetolicum bellum Machanidas et Lacedaemonius tyrannus haud procul Argivorum fine positis castris terrebat. Hi omnes suis quisque urbibus quae pericula terra marique portendebantur memorantes auxilia regem orabant. Ne ex regno quidem ipsius tranquillae nunciabantur res. (Confusa, ut solet, Pausaniae est narratio X, 36, 3.) Vel segnem ducem tot excitare tumultus circumfusi poterant. (Cf. Polyb. X, 41, 6. 7. Iustin. XXIX, 4.) Legationes dimittit pollicitus, prout tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium. Ipse quum Polyphantam cum modica manu in Boeotiam, Menippum Chalcidem misisset, utroque ex Achaia excitato, Scotussam profectus est. Eo nunciatum est, concilium Aetolis Heracleam indictum regemque Attalum ad consultandum de summa belli venturum. Hunc conventum ut turbaret subito adventu magnis itineribus Heracleam duxit. Et concilio quidem dimisso iam venit, segetibus tamen, quae prope maturitatem erant (Ol. 142, 4 ineunte), vastatis, Scotussam copias reducit. Ibi exercitu omni relicto cum cohorte regia Demetriadem sese recipit (Liv. XXVIII, 5. Polyb. X, 41. 42. 43—48. Iust. XXIX, 4. Trog. Pompei. Prolog. 29.).

Sulpicius Oreum (cf. Strab. X, 1. qui urbem Oreos vocat) proditione capit, ad Chalcidem vero haudquaquam ad spem eventus respondit (Liv. XXVIII, 6.). Attalus Opuntiorum urbem captam diripit. Philippus Aetolos ad Thermopylarum saltum fundit fugatque. Toronem capit. Attalus in Asiam traiicit. Sulpicius Aeginam classem recipit. Philippus Elatiam, iussis ibi se opperiri Ptolemaei Rhodiorumque legatis, venit brumali tempore 209 a. Chr. Ade-

rant ibi legati nuper Heracleae concilio Romanorum Aetolorumque, item Byzantinorum et plures alii in publico conventu congregati, quorum unus universae Graeciae nomine Aetolos hortatus est, ut posito bello, quod cum Philippo gerebatur, pacem facerent et a Romanorum consiliis caverent (Polyb. XI, 5—7. Hoc concilium falso transposuit Manso Aegium l. c. III, 2. p. 307.). Rex cum benigno responso legatos dimisit, se neque caussam eius belli fuisse, nec moram, si modo aequa et honesta conditione liceat, paci facturum.

Maio mense 208 a. Chr. praeturam iniit apud Achaeos Nicias, non electus ille quidem, ut falso scribit Bayerus, in eo concilio, ad quod Philippus Aegium se recepit, audito, Machanidam recessisse, neque ea aestate, qua M. Livius et C. Claudius Coss. fuere, quorum consulatus incidit in annum 207 a. Chr., sed M. Claudio Marcello V., T. Quinctio Crispino Coss. (Liv. XXVIII, 5. sqq.).

Livius (XXVIII, 7, 14—18.), qui, quum de finiendo Aetolico bello ageretur, nuncium, Machanidam Olympiorum solemne ludicrum parantes Eleos aggredi statuisse, allatum esse narrat, fallitur, ut saepius, de tempore. Neque hanc contra Machanidam expeditionem pro Eleis suscepit Philippus, qui cum Aetolis, a quorum partibus tyrannus quoque Lacedaemonius stetit, coniuncti erant (cf. Polyb. IX, 30, 6. Liv. XXVII, 31, 9.), sed potius, ut ludorum defenderet securitatem simulque Spartanorum vires infringeret. Valent tamen quae de Machanida scripsit Manso (l. c. III, 1. p. 370. N. i.), hunc neque amicis neque hostibus pepercisse. Elei vero videntur ad illud usque tempus ut amicitiam cum Aetolis Spartanisque ita inimicitiam in Achaeos regemque Macedonum occultam servasse, ut ambiguitate sua securitatem ab utrisque redimerent, eaque re deceptum Philippum.

Rex cum expedito agmine profectus per Boeotiam, Megara, atque inde Corinthum descendit; unde commeatibus sumtis Phliunta Pheneumque petit. Et iam quum Heraeam venisset, audito, Machanidam fama adventus sui territum refugisse Lacedaemonem, Aegium se ad conci-

lium Achaeorum recepit (Ol. 143, 1 ineunte). Maerebat quidem et angebatur, quum ad omnia ipse raptim isset, nulli tamen se rei in tempore occurrisse et rapientem omnia ex oculis elusisse celeritatem suam fortunam. In concilio autem dissimulans aegritudinem elato animo disseruit, testatus deos hominesque, se nullo loco, ne tempore defuisse, quin, ubi hostium arma concrepuissent, eo, quanta maxima posset celeritate, tenderet, sed vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus geratur bellum. Sed non semper felicem esse fugam, nec pro difficili id bellum habendum, in quo, si modo congressus cum hostibus sis, viceris. Quod primum esset, confessionem se hostium habere, nequaquam parès esse sibi, brevi et victoriam haud dubiam habiturum, nec meliore eventu eos secum, quam spe pugnaturos.

Laeti regem socii audierunt, quibus urbes nonnullas, Achaeis Heraeam et Triphyliam, Alipheram autem Megalopolitanis redditurum se pollicitus est (Liv. XXXII, 5. XXXIII, 34. Polyb. XVIII, 30. cf. Breitenbauch. l. c. p. 98. et p. 100.). Inde navibus acceptis ab Achaeis (erant autem tres quadriremes et biremes totidem) Anticyram traiecit. Hinc profectus ad Erythras Aetolorum exscensionem fecit. Inter Potidaniam et Apolloniam Aetolorum pecora direpta et in naves sunt compulsa. Cum his ceteraque praeda, Nicia praetore Achaeorum Aegium misso, quum Corinthum petisset, ipse ab Cenchreis navigans Chalcidem pervenit. Mox Oreum navigat, indeque Demetriadem traiicit. Quia vero res in Graecia tranquillas et profectio Attali fecerat et in tempore laborantibus sociis latum ab se auxilium retro in regnum concessit, ut Dardanis bellum inferret (Liv. XXVIII, 8. Iust. XXIX, 4. Flor. II, 7. Non assentior iis, quae Lucas l. c. p. 119. et 120. scripsit.)

Post Philippi discessum Sulpicio copiae auxiliares videntur accessisse, fortasse decem millia peditum, equitum millia, nisi Appianus (Eclog. Maced. II, 1.) pro Sulpicio successorem eius P. Sempronium Tuditanum scribere voluerit. (Cf. Liv. XXIX, 12.) Dymen quoque, quam unam ex omnibus, quae Achaeis parerent, dicto audientem ha-

buit urbem Philippus, Sulpicius captam diripuit incolasque vendidit. Mox tamen per Philippum liberata incolisque redemtis est restituta (Paus. VII, 17, 3. Liv. XXXII, 21.).

Caput nonum.

A prima Philopoemenis praetura ad T. Quinctii Flaminini pacem.

§. 70.

Philopoemen.

Iam ad principium rerum a Philopoemene gestarum ordo narrationis nos quum perduxerit, operae pretium facturi videbimur, quemadmodum aliorum magnorum virorum ingenium atque institutionem ostendere conati sumus, si in hoc quoque viro idem praestemus (Polyb. X, 24, 1—5.).

Philopoemen igitur claro genere ortus, — siquidem eius maiores totius Arcadiae erant clarissimi, — altus atque institutus est a Cleandro (sic pro Cassandro Plutarchi) Mantinensi, paterno hospite. Pater eius Craugis (sic pro Crauside Plutarchi) praemature vita functus est. Ubi iam pubertatem Philopoemen attigit, Ecdelus (s. Ecdemus) et Demophanes (s. Megalophanes, cf. Siebel. ad Paus. VIII, 49. Polyb. X, 25.), Megalopolitani, susceperunt curam eius, viri et philosophiae cognitione et patriae amore praestantissimi.

Fuit Philopoemen specie non deformi, quamquam Pausanias τὸ δὲ εἶδος ἦν τοῦ προσώπου κακὸς scribit, id, ni fallor, ex dicto Philopoemenis colligens; statua enim Delphis quae ei posita erat secus testatur. Medio corpore fuit gracilior. At insita ei ambitio haud erat undequaque defaecata a pervicacia nec ab iracundia libera, sed qui studeret inprimis esse Epaminondae aemulus, strenuitatem eius et prudentiam atque abstinentiam a divitiis egregie expressit; lenitatem, gravitatem, humanitatem in civilibus

contentionibus non potuit retinere. Unde propter iracundiam et animum praefractum ad militares videbatur quam ad civiles artes accommodatior. Etenim brevi inter aequales suos enituit et audacia et laboribus in venando tolerandis. Maxime vero iam inde a puero ad rem militarem pronus fuit atque eo quae conducerent disciplinas affectabatur gnaviter in armis se exercens et equitandi scientia. Erat autem et in ipso victu accuratus et in omni apparatu tenuis (Polyb. XI, 10.).

Postquam praeceptores reliquit cum civibus suis expeditionibus furtivis ad praedandum incursabat fines Laconicos, corpus exercitationibus, animum curabat lectione carminum Homericorum, Euangeli commentariorum de instruenda acie, Alexandri historiarum; rem vero familiarem ex arvo studebat iustissimo quaestu augere.

Quum iam annorum triginta esset (natus enim erat 253 a. Chr. mortuus est 183 a. Chr.) Megalopolim adversus Cleomenem defendit. Paulo post in pugna ad Sellasiam fortiter eum dimicasse comperimus. Bello composito, quia obtorpescere et feriari pigebat eum, exercendae et meditandae gratia rei bellicae in Cretam militatum navigavit. Ubi postquam longo spatio cum viris bellicosis se atque omni genere astutiae arma tractantibus vitamque etiam tum ducentibus moderatam et adstrictam excoluisset, adeo rediit celeber ad Achaeos, ut extemplo crearetur magister equitum. Quum equites autem accepisset, qui pravos et exiles equos subitariosque instante expeditione arriperent atque ipsi Fere militiam defugerent aliosque delegarent vicarios, esset etiam singularis omnium cum ignavia inertia eaque dissimulassent ante magistratus, quod inter Achaeos plurimum equites pollerent ac praecipue arbitrium haberent honorum ac poenarum, non submisit animum neque elanguit, sed cum oppida lustrando tum singulos iuvenes seorsim ad laudem excitando et castigando ignavos, quos cogere opus esset, exercitationibus et transvectionibus atque mutuis inter ipsos certaminibus, ubi spectandi a plurimis essent, miros nervos brevi alacritatemque impressit cunctis, et, quod in disci-

plina erat militari caput, agiles reddidit atque expeditos. Plerique vero alii in eo magistratu ante Philopoemenem constituti partim ob imperitiam pugnae equestris ne proximus quidem quidquam, quod facto opus est, mandare sunt ausi; partim quod praeturam votis appetentes hoc magistratu iuvenes sibi devinciunt atque eorum gratiam ac benevolentiam sibi in posterum ad suffragia comparant minime obiurgando, quum res postulat, sed dissimulando delicta ac parva eiusmodi gratia maximum illis damnum inferentes, a quibus praefectura ipsis commissa est. (Cf. Polyb. X, 25. XI, 8.)

In acri illo conflictu ad amnem Larisum Philopoemenem suamet manu Damophantum hostilis equitatus praefectum interfecisse iam supra exposuimus.

Insignis est secunda Philopoemenis praetura, in qua Nemeum ludicrum (Manso l. c. p. 286. recte suam et Bayeri sententiam contra Corsinium §. 11. et Schweighaeuserum ad Polyb. T. VI. p. 641. defendit) spectavit, non magno intervallo a pugna ad Mántineam. Insigni honore et populi plausu exceptus ipse teste Plutarcho. Si istius pugnae tempus investigavero praeturam quoque primam tenebo. Polybius pugnam ponit inter Asdrubalem, Hannibalis fratrem, a M. Livio, C. Claudio Nerone Coss. devictum et res a P. Scipione in Hispania adversus Asdrubalem Gisgonis gestas. Hae res perpetratae sunt sub ver 206 a. Chr. quum Q. Caecilius Metellus, L. Veturius Philo Idibus Martiis consulatum inissent, ut satis e T. Livio ipsoque Polybio constat. Iam vero Philopoemen, antequam Machanidam est adortus, tum emendandis populi moribus ordinandaque republica, quam Philippus rex nonnihil perturbaverat, tempus impendit, tum vero οὐδ' ὅλους ὀκτὼ μῆνας, ut ait Polybius, apparando bello. Si hos octo menses a primis auspiciis praeturae numeres res gesta mense Decembri (207 a. Chr.), sin aliquantum temporis ordinandae reipublieae praecipimus, ut hi octo menses solo in apparatu postea sint consumti, incidemus in ipsum ver paulo ante vernum Achaeorum concilium (206 a. Chr.). Quid autem potius credamus, quam media hieme

nihil movisse Philopoemenem, ex hibernis vero duxisse in Spartanos. (Supra §. 22. etiam hieme rem geri potuisse demonstravimus.) Eo in proelio magister equitum fuit Aristaenetus Dymaeus. Quid deinde est manifestum magis, quam continuatum Philopoemeni fuisse magistratum, si, ut Plutarchus tradit, non dudum victis ad Mantineam Spartanis iterum praetor Nemeis interfuit Olympiadis 143, 3 ineunte. Nam si interfuisset praetor iterum Nemeis Ol. 144, 1 exeunte, non poterat pugna ad Mantineam recentis memoriae officia in populo Achaico concitare. Anno autem post quem potius legerint praetorem, quam Aristaenetum Dymaeum, qui ad Mantineam equitum magister praeclare pugnaverat. Nam ob rem bene gestam summus magistratus ei debebatur, nisi Philopoemenis potius fuisset habenda ratio, cui continuaretur. Sic Lycortas etiam re male gesta captoque Philopoemene praetore e magistro equitum suffectus est praetor. Et persuadet hoc quoque nobis error Plutarchi, Aristaenetum hunc confundentis cum Aristaeno Megalopolitano, qui ex eo videtur ortus, quod utrumque commemorari praetorem sciebat Plutarchus (Bayer l. c. p. 321. Schweigh. ad Polyb. XVII, 1, 4. c. 13, 8. XXIII, 7.).

Prima igitur Philopoemenis praetura continetur Maio mense 207 et 206 a. Chr., altera Maio mense 206 et 205 a. Chr. Aristaeneti Maio mense 205 et 204 a. Chr. (Helvingii l. c. p. 256. N. 6. computationes prorsus esse falsas non est quod pluribus demonstrem.)

Aratus quidem Achaeorum reipublicae potentiam atque auctoritatem conciliavit, sed quamdiu superstes fuit spectabant Achaei fere semper Macedonum arma colebantque Ptolemaeum, mox Antigonum et Philippum, qui in mediis Graecorum negotiis sese iactabant. Postquam vero ad principatum adspiravit Philopoemen, quia potentissimis iam per se erant pares, destiterunt adscititiis uti ducibus. Namque Aratus segnior habitus utique ad dimicandum comitate benevolentiaque et familiaritatibus regiis pleraque negotia, uti supra exposuimus, transegit; at bonus Philopoemen bellator atque in armis strenuus, felix prae-

terea et victorias adeptus mox in primis certaminibus una cum potentia animos Achaeorum auxit atque inflavit. (Cf. Polyb. XI, 10.)

§. 71.

Achaeorum bellum adversus Machanidam. Graecia pacatur.

Primum ordinum militarium apud Achaeos atque armaturae correxit vitia Philopoemen. Scuta enim habebant ex tenuitate expeditiora et restrictiora quam ut tegere possent corpora; lanceas item longe sarissis breviores, ut ob levitatem ad eminus petendum strenui erant et bellaces, cominus non perinde valebant. Modus et forma aciei in orbem non erat in usu, sed quia quadratam aciem, qua utebantur, nec fronte muniebant nec strue, ut moris erat Macedonum, ex facili impellebantur disiiciebanturque. Ubi Philopoemen muneribus fungi coepit induxit eos, ut pro scuto et lancea clypeum et sarissam caperent, simul ut galeis, loricis, ocreisque tecti loco cursoriae et velitaris pugnae statariam ac firmam meditarentur. Deinde delicias et luxum eorum optime invertit (Plut. Philop. c. 9. Polyb. XI, 9.). Octo ad summum menses et ne eos quidem integros in apparatu copiarum et exercitatione Philopoemen impenderat, quando pro libertate omnium Peloponnesiorum cum tyranno acie decreturus Mantineam exercitum congregavit (Polyb. XI, 10.).

Machanidas viribus suis superbiens expeditionem hanc Achaeorum adversus se velut omnibus votis expetendam sibi ratus, ut primum Mantineam convenisse hostium copias cognovit, hortatus est Tegeae Lacedaemonios, prout tempus monebat; postero statim die primo diluculo Mantineam duxit. Eodem etiam tempore Philopoemen diviso in tres partes exercitu ipse quoque Mantinea eduxit. Equitatui Achaeorum praeerat Aristaenetus Dymaeus.

Postquam prope iam in conspectu essent hostium copiae et Philopoemen suos paucis verbis, id enim per omnem vitam curabat, ut vera nec multa loqueretur, ad-

hortatus esset, primus conflictus per solos Tarentinos viriliter rem gerentes est commissus. Sed quum paulatim expediti laborantibus se adiungerent brevissimo evenit tempore ut omnes utriusque partis mercenarii in unum miscerentur, ceteris copiis etiamnum exspectantibus, quamnam in partem se pulvis excitatus versurus esset. Ad extremum tamen praevaluerunt qui pro tyranno militabant stipendiarii et numero et dexteritate arma tractandi propter adsuetudinem praestantiores. Neque obscuram esse rationem, cur non tunc solum ita evenerit, sed ita semper fieri soleat, Polybius auctor est. Tyrannorum enim securitas in peregrini militis benevolentia et viribus posita est. Horum igitur impetum quum ne Illyrii quidem et loricati, qui stipendiarios Achaeorum a tergo sustentabant, ferre possent, effusa fuga Mantineam, septem inde stadia distantem, petierunt. Quos Machanidas prae impotentia animi et ardore iuvenili cum mercenariis suis una effusus premere instituit, quasi vero non sufficeret ipse metus ad eos, qui semel in pedes sese coniecerant, vel usque ad ipsas oppidi portas compellendos.

Imperator vero Achaeorum, ubi violentiae hostium cedere suos vidit, nequaquam pavore consternatus fugam arripuit neque animum despondens curam rerum abiecit, sed phalangis suae se cornui applicans posteaquam hostis fugientes persequens esset praeterlapsus et locus pugnae vacuus relictus confestim cum primis phalangitarum cohortibus progressus est. Atque sic relictum a suis locum propere occupans eadem opera et persequentem mercenarios hostem ab suo exercitu disclusit et ultra hostilis aciei cornu copias suas produxit. Tum phalangitis praecepit, ut starent ibi, donec signum eis daret hostem coniunctim invadendi. Polybio vero Megalopolitae imperavit, ut Illyrios loricatosque et mercenarios, qui e pugna superessent et e fuga declinassent, raptim colligeret ac pone phalangis cornu commorans tyranni reditum a persecutione fugientium observaret.

Lacedaemonii successu inflati propter victoriam mercenariorum suorum non exspectata ducis tessera Achaeos

aggrediuntur, et temere atque inconsiderate per fossam, quae intermedia erat, ruunt. Philopoemen igitur ut primum bene gerendae rei adversus hostes occasio exstitit, quam multo ante praeviderat, omnibus statim phalangitis sarissas inclinandi et succedendi in hostem signum dedit. Quum Achaei uno consensu et terribili clamore edito impetum fecissent, Lacedaemonii, quorum ordines iam ante, dum intra fossam descendunt, soluti erant, metu hostium e superiori loco pugnantium perculsi, pars in fugam conversi sunt, sed ingens multitudo in ipsa fossa alii ab Achaeis, a suis alii oppressi perierunt. Neque haec res forte fortuna aut ex occasione in hunc modum accidit, sed imperatoris evenit sollertia.

Machanidas ab insectatione fugientium revertens suos conspicatus in fugam aversos peregrinis, quos secum habebat, in cuneum statim coactis, per medios hostes, qui solutis ordinibus fugientes persequebantur, evadere tentavit; desperato autem per pontem transitu iuxta fossam obequitans commodum ad transeundum locum magno quaerebat opere. Philopoemen vero ubi ex paludamento purpureo et equi ornatu Machanidam agnovit, Anaxidamo ad pontis custodiam relicto, ipse cum Polyaeno Cyparissensi et Simmia, qui semper in proeliis soliti erant eum assistere ac stipare, propere accurrit et e regione tyranni eiusque comitum ex modico intervallo obequitavit. Duo enim erant, qui se tyranno coniunxerant, Anaxidamus et mercenariorum aliquis. Statim ut Machanidas locum nactus facilem ad transeundum fossam equum magna vi impulit, conversus in eum Philopoemen et traiicientem aggressus in ipso discrimine tyrannum interemit. Simili item modo Anaxidamus ab iis equitibus est exceptus, qui Philopoemenem comitabantur. Tertius periculum evasit. Simmias spoliatis cadaveribus et ablato simul cum armis capite tyranni ad suos fugientem hostem persequentes contendit, qui alacritate in immensum aucta Tegeam primo impetu ceperunt et postero die castra ad Eurotam metati sunt. Ita qui a longo tempore finibus suis hostes expellere non potuerant universam tunc La-

coniam impune agebant et ferebant, amissis in eo proelio suorum non multis, quum Lacedaemoniorum ad, sive supra, quattuor millia occidissent, ac multo etiam plures vivos cepissent, denique impedimentis omnibus atque armis essent potiti.

Lacedaemoniis tamen ex ipsa clade fortuna meliorem eventum ostendit, quod scilicet a tyranni dominatu libertatem consecuti sunt. Achaei vero statuam Philopoemeni Delphis posuere (Polyb. XI, 11 — 18. Plut. Philop. c. 10. Paus. VIII, 50, 2. Cf. Guischardi Comment. ad Polyb. in Mémoires militaires sur les Grecs et les Romains, T. I. p. 277.).

Sex vero mensibus post hanc ad Mantineam pugnam Nemea celebrantibus Argivis (Quinctili mense anni 206 a. Chr. = Ol. 143, 3 ineunte; Plut. Philop. c. 11. Paus. VIII, 50. Bayer, Manso, Lachmann ll. cc. Schorn p. 207.) Philopoemenem iterum praetorem (a Maio mense 206 ad Maium 205 a. Chr. = Ol. 143, 2—3. non, ut falso Schornius, Ol. 143, 3—4; scilicet tum non potuisset praetor celebrare Nemea) fama est, primum exhibuisse Graecis adornatam phalangem et motus edentem, ut in acie solet, compositos cum agilitate et robore, et a Pylade, citharoedo Megalopolitano, Timothei Milesii versum: *Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον* (cf. Paus. III, 12. extr. Th. Reinesii Obs. in Suid. p. 250. atque Fabric. Bibl. Gr. II. p. 325.) canente, quum commodum ingressus esset forte theatrum praetor, summe, et ab omnibus Graecis gloriam eius extollentibus, celebratum esse (Plut. Philop. c. 11. cf. Themistocl. c. 17. Paus. VIII, 50.).

Neglectae eo biennio (547 et 548 U. C. = 207 et 206 a. Chr. = Ol. 143, 1/2 et 2/3; recte Schornius p. 208; falso Manso p. 275. Livium impugnat) res in Graecia a Romanis erant (Liv. XXIX, 12, 1.). Itaque Philippus Aetolos ab Romanis desertos, cui, quum Attalus ex Asia non rediret, uni fidebant auxilio, debilitatos insuper diutini belli gravitate, inprimis nova Philippi impressione in superiores Aetoliae regiones, quam amicitia fretus

Amynandri susceperat, qui propter Zacynthum acceptam per Athamaniae angustias viam ingredienti regi aperuerat, urbe Thermo iterum direpta (Liv. XXXVI, 31. XXXVII, 21. Zonar. l. c. IX, 11. Polyb. XI, 4.), obrutos denique aere alieno nec sumtibus in bellum impendendis pares (Polyb. XIII, 1. 2. XVIII, 21. 36—38. XXXIII, 14. Dubito multos fore, qui Lucae sententiae l. c. p. 120. et 121. accedant.), quibus voluit conditionibus ad petendam et paciscendam subegit pacem, 205 a. Chr. (Ol. 143, $^3/_4$); quod nisi omni vi perficere maturasset bellantem eum cum Aetolis P. Sempronius proconsul, successor imperii missus Sulpicio, oppressisset. Appianus (Maced. Ecl. 2. c. 2.) *καὶ τέλος*, ait, *Αἰτωλοί τε πρῶτοι, κατὰ σφᾶς, ἄνευ Ῥωμαίων, Φιλίππῳ συνέβησαν·* ibidemque opera civitatum maritimarum pacem factam esse narrat; at fallitur de Sulpicii intercessione scribens.

Vixdum pace facta nuncius regi venit, Romanos Dyrrhachium venisse, Parthinosque et propinquas alias gentes motas esse ad spem novandi res, Dimallumque oppugnari. Eo se verterant Romani ab Aetolorum, quo missi erant, auxilio, quòd sine auctoritate sua adversus foedus cum rege pacem fecissent. Ea quum audisset Philippus, ne qui motus maior in finitimis gentibus populisque oriretur, magnis itineribus Apolloniam contendit, quo Sempronius se receperat. Philippus agros Apolloniatium vastavit et ad urbem admotis copiis potestatem pugnae Romano fecit. Quem postquam quietum muros tantummodo tueri vidit nec satis fidens viribus, ut urbem oppugnaret, et cum Romanis quoque, sicut cum Aetolis, cupiens pacem, si posset, sin minus, inducias facere, nihil ultra irritatis novo certamine odiis, in regnum se recepit.

Per idem tempus taedio diutini belli Epirotae tentata prius Romanorum voluntate legatos de pace communi ad Philippum misere; satis confidere, conventuram eam, affirmantes, si ad colloquium cum P. Sempronio, imperatore Romano, venisset. Facile impetratum; neque enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus, ut in Epirum

transiret. Phoenice urbs est Epiri; ibi prius collocutus rex cum Aëropo et Darda et Philippo, Epirotarum praetoribus, postea cum P. Sempronio congreditur. Affuit colloquio et Amynander, Athamanum rex, et magistratus alii Epirotarum et Acarnanum. Primus Philippus praetor verba fecit et petiit simul ab rege et ab imperatore Romano, ut finem belli facerent darentque eam Epirotis veniam. P. Sempronius conditiones pacis dixit, in quas quum pax conveniret ab rege foederi adscripti Prusias, Bithyniae rex, Achaei, Boeoti, Thessali, Acarnanes, Epirotae; ab Romanis Ilienses (populi Romani maiores, Suet. Claud. c. 25. Niebuhr. Hist. Rom. I, 184. Wachsmuth. p. 106.), Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedaemoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses. (Cf. Liv. XXXIV, 31. 32.) [1]) Sancitumque insuper est, ut neuter alterius socios bello lacesseret (App. Ecl. Maced. 2, 2. Polyb. XVII, 1, 14. Liv. XXXII, 33. Plut. Philop. c. 2. Lucas l. c. p. 120. sq.).

Haec conscripta consignataque sunt et in duos menses induciae factae, donec Romam mitterentur legati, ut populus in has conditiones pacem iuberet. Iusseruntque omnes tribus, quia verso in Africam bello omnibus aliis in praesentia levari volebant bellis. Ceterum coeptum bellum adversus Philippum decem ferme ante finem (Punici II. belli) annis triennio prius depositum est, quum Aetoli et belli et pacis fuissent caussa, 204 a. Chr. (Liv. XXXI, 1, 8. cf. Manso l. c. III, 2. p. 274. Male

---

1) Aetoli propterea sunt praetermissi, quod iam antea cum rege pacti erant et Romanorum iram sibi contraxerant, ut pro sociis iam non haberentur (App. Maced. Ecl. 3. Polyb. XVIII, 21.). Livius, qui XXXI, 1. Aetolos aliosque regionis eiusdem *socios* Romanorum vocat, fallitur; neque inde Polybium impugnandi Lucae patet via (l. c. p. 120. sq.). Anticipatio quasi quaedam eorum in his inest, quae Livius (XXXI, 41.) demum narrat. Idem valet de Pausania (I, 36, 4.). Cf. Liv. XXX, 5 7. 14. 15. Polyb. XVI, 25. 26. Flor. II, 7. Zonar. IX, 15.

Lucas l. c. p. 121. N. 1.) P. Sempronius pace facta ad consulatum Romam decessit.

§. 72.

Nabis. — Philopoemenis praetura tertia.

Nabis Machanidae tyrannidis apud Lacedaemonios successor, qui tertium iam annum rerum potiebatur (imperio autem potitus erat ferme biennio post sublatum Machanidam, mense igitur Ianuario, ni fallor, 204 a. Chr. Cf. Polyb. XIII, 6. sqq. XVI, 13. Diod. Sic. Fragm. lib. XXVII. Excerpt. Vatic. Angel. Mai. II, 61. Paus. VIII, 5. Schorn. l. c. p. 202. N. iam inde ab anno 204 (sic pro 214 ap. Lucam p. 120. N. 3. corrigendum) bellum cum Arcadibus gessit; haec, de quibus nos agimus, incidunt in annum 201 a. Chr.), nihil ille quidem maioris rei aggredi vel moliri audebat, quod recens adhuc esset memoria devicti ab Achaeis Machanidae, sed mansurae diutius ac durae tyrannidis principia ponebat iaciebatque fundamenta. Reliquias enim nominis Spartani funditus delebat eosque, qui opibus aut gloria maiorum ceteris praestabant, solum vertere cogebat horumque fortunas et uxores iis, qui inter reliquos eminebant, et mercenario militi dividebat. (Nonnullis tamen exulum liberis vel propinquis partem agrorum attribuisse eum testatur Polybius XXV, 8.) Hi autem erant homicidae, effractores, praedones nocturni, murorum effossores. Nam hoc duntaxat genus hominum sedulo Nabis toto undique ex orbe terrarum ad se arcessebat. Cives vero in exilium pellere non contentus id operam dabat, ne quis exulibus locus esset tutus, ne ullum perfugium securum. Machina etiam, quam excogitatam sibi construendam curaverat, multos eorum sustulit, qui pecunias dare recusaverant.

Reliqua vero erant in eius imperio his similia ac consentanea. Maritimarum enim praedationum societatem cum Cretensibus inierat (cf. Liv. XXXIV, 35.) ac per universam Peloponnesum sacrilegos, latrones et sicarios

sparsos habebat, quibus ipse particeps lucri scelere huiusmodi parti arcem ac refugium Spartam praebebat. Eiusmodi caussam bellum quoque cum Arcadibus habuit (Polyb. XIII, 6—8. coll. XVI, 13, 1. 2.). Ipse de se praedicabat, se multitudinem servis liberandis auxisse et egentibus divisisse agrum (Liv. XXXIV, 31, 14.). Plures eum in insula Creta possedisse urbes Livius (XXXIV, 35, 9.) testatum reliquit.

Postquam Spartae muros, qui Demetrio et Pyrrho olim oppugnantibus tumultuario opere exstructi fuerant, tales faciendos curavit, ut nihil omnino ad eorum firmitatem desideraretur (Paus. VII, 8. 3.), socius quum esset Aetolorum, Eliensium ac Messeniorum iisque omnibus, ubi opus esset, cum ex iuramento solemniter praestito, tum ex foedere, opem ferre teneretur, nihilominus calcata omni fide Messeniorum urbem violare aggressus est (ante Maium mensem 201 a. Chr. vere igitur ineunte; cf. Paus. VIII, 50, 5. coll. IV, 29, 4. Plut. Philop. c. 12. Polyb. XVI, 13, 3. et c. 16. et c. 17. Liv. XXIX, 12, 14. XXXIV, 32.). Messene et Elis extra concilium Achaicum erant et cum Aetolis sentiebant, ut scribit Livius (XXXVI, 31. extr.). Et caussas quidem, cur Messenii ab Achaeorum concilio seorsim agerent, refert Pausanias in Messeniacis (IV, 29.). Inter Aetolos vero et Elidenses cognatio quaedam intercedebat eodem Pausania auctore in Arcadicis (VIII, 49. extr. cf. Strab. VIII, p. 354. et 357. et Schweigh. ad Polyb. XVI, 13, 1.). Ac nocte quidem inopinantes Messenios adortus Nabis urbem iam totam praeter arcem ceperat. Tum erat privatus Philopoemen, nec ullis copiis praeerat. Qui quum praetorem Achaeorum, ut opem ferret Messeniis, non potuit Lysippum (qui praetor erat a Maio 202 a. Chr. ad Maium 201 a. Chr. = Ol. 134, $^2/_3$, cf. Bayer. l. c. p. 324. Vales. et Schweigh. ad Polyb. XVI, 13, 7. et XVI, 36. Manso l. c. III, 2. p. 308. Schorn. l. c. p. 209. N. falso Lysippi praeturam removet ad Ol. 144, $^3/_4$ i. e. 201—200 a. Chr.) inducere, quia plane actum dictitabat de oppido, quod tenerent hostes, ipse statuit subvenire, suis comi-

tatus clientibus (τοὺς ἑαυτοῦ πελάτας ἀναλαβών. Cf. Manso l. c. III, 1. p. 378. N. v.), qui nullam morabantur legem vel plebiscitum, sed quasi semper ex naturae praescripto imperantem sunt secuti eum, qui esset praestantissimus.

Ut hunc Nabidi nunciatum est in propinquo esse (insequenti die, Paus. VIII, 50, 5; eadem nocte, Paus. IV, 29, 4.) non remansit illic, quamvis castra, ut diximus, in oppido haberet, sed subduxit se per aversam portam agmenque raptim abegit praeclare secum agi ratus, si elaberetur. Et quidem elapsus est, libertati tamen restituta Messene (Plut. Philop. c. 16. et Comparat. Philop. c. Flamin. c. 3. ubi στρατηγὸς non est praetor, sed solummodo dux.).

Iam tertiam praeturam quando gesserit Philopoemen, Livius (XXXI, 25.) testatum reliquit. P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Cotta Coss. Cycliadem praetorem fuisse tradit, quum Philippus rex ad Achaeorum concilium venit. Consultabant, inquit, de bello adversus Nabin, Lacedaemoniorum tyrannum, qui translato imperio a Philopoemene ad Cycliadem, nequaquam parem illi ducem, dilapsa cernens Achaeorum auxilia redintegraverat bellum. Decretum est eo in concilio, ut exercitus contra Nabin cogeretur. Simul Cycliadis alteram (a Maio mense 200 a. Chr. ad Maium 199 a. Chr.) et Philopoemenis tertiam praeturam (a Maio 201 ad eundem mensem 200 a. Chr.) deprehendimus. Et Cycliadem artibus regis Philippi praeturam obtinuisse, Philopoemene repulso, e Plutarcho constat (Philop. c. 12. 13. Bayer. l. c. Manso l. c. III, 2. p. 275. Schorn. l. c. p. 209. N. male Philopoemenis tertiam praeturam refert ad Ol. 144, 4—145, 1.).

Philopoemen adversus Nabin singulari strategemate usus, scilicet ut praetoris literae ad singulos urbium praefectos scriptae separatim a praefectis sibi transderentur, quia tyranni speculatoribus omnia erant plena, Achaeorum exercitum Tegeam contraxerat. Inde ad Scotitam, est id loci nomen inter Tegeam et Lacedaemonem, progressus Nabin acri proelio vicit. Quo facto Nabis Philo-

poemenis artes bellicas veritus per annum quievit (Polyb. XVI, 36. 37. Liv. XXXI, 25, 3.). Exercitus enim Achaeorum deiiciebat alio duce animum atque illum avide circumspectabat, quo viso tantum, illico erat ex fidentia erectus agilisque. Philippus igitur ratus, sublato de medio Philopoemene, Achaeos iterum ipsum prae metu respecturos, insidias ei praetendit. Quibus ille cognitis vitatisque discedere ab eo Achaeos auctoritate sua coegit (Plut. Philop. c. 11. Paus. VIII, 50, 4. Iust. XXIX, 4.).

Megarenses quum Boeotorum administratio iis displiceret denuo ad Achaeorum partes transierunt. (Cf. Polyb. XX, 6.) At Boeoti infensi, quod despectui habiti esse sibi videbantur, universi cum exercitu adversus Megarenses profecti sunt. Sed mox coorto inter eos terrore quodam panico diffusoque rumore, Philopoemenem cum Achaeorum copiis adesse, effusi in fugam cursu in patriam reverterunt (Plut. et Paus. ll. cc.). Hanc equidem Philopoemenis fictam expeditionem tertiae eius praeturae assigno. Aderat autem Megaris Philopoemen seriori tempore, quum Megarenses a Boeotis res repeterent idque questi essent coram Achaeorum concilio (Plut. Philop. c. 2. Polyb. XXIII, 2. cf. Schorn. l. c. p. 208. N.).

Post tertiam deinde praeturam Philopoemen cernens Philippum regem sibi adversari neque Achaeos sibi satis aequos esse, animis in Philippum plus quam in libertatem versis, profectus est iterum in Cretam, ut Gortyniis operam in bello navaret. Profectum esse invenio 198 a. Chr. Nam Pausanias scribit, eum exspectasse, donec novi magistratus legerentur; ubi sese excludi sensit, excessisse, et, ut Plutarchus declarat, eo maxime tempore, quum patriae periculum immineret a Nabide. Quare quum Achaei Aristaenum praetorem, Megalopolitanum, auxilio misissent, Megalopolitani in Philopoemenem graves sententias tulerunt, tanquam in desertorem patriae; Aristaenus autem etsi ab eo in republica dissidebat, tamen impedivit, ne quid gravius statueretur. Praetor autem Aristaenus anno 198 a. Chr. fuit, ut recte demonstravit Manso (l. c. III, 2. p. 275. sqq.) contra Bayerum (l. c.

p. 326.) quam arctissimis gradibus in istius temporis vestigiis incedentem Aristaenique praeturam minus accurate ad annum 199 a. Chr. referentem. Livius enim (XXXIII, 2.) Aristaenum vocat praetorem, ubi, uti iam Heynius suspicatus est, praetorius dicendus erat (cf. Breitenbauch. l. c. p. 113. N.) anno 197, eodemque rursus (XXXIII, 14, 6.) anno Nicostratum praetorem Sicyone fuisse narrat. Anni igitur Achaici a Maio mense 199 ad Maium 198 a. Chr. praetor ignoratur. Verum quum sequentis quoque anni Achaici, a Maio mense 198 ad Maium 197 a. Chr., qui erat annus tertius a tertia Philopoemenis praetura, in alium hic magistratus conferretur, Philopoemen ingratum civium suorum animum aspernatus ignominia et dolore permotus Cretam abiit, vituperatus ille quidem a Megalopolitanis, excusandus tamen ab omnibus, quibuscunque curae est aequitas atque iustitia.

§. 73.

Alterum Romanorum adversus Philippum bellum.

Neque Philippus, Macedonum rex, arma deposuerat. Legatos enim in Cretam misit, qui ad bellum contra Rhodios, a quibus se lacessitum praetendebat (Polyb. XVI, 24, 4—6. XVII, 6, 2. Liv. XXXI, 18. quibus in locis posterioribus idem de Attalo dicitur), suscipiendum Cretenses irritarent atque impellerent (Polyb. XIII, 4, 2.). Heraclidem autem adversus Rhodios subornavit, quorum dolo circumventorum classem corrupit (Diod. Sic. ed. Wessel. T. IX. p. 382—386. Liv. XXXII, 5. Polyaen. V, 17, 2. Polyb. XIII, 4. 5. Lucht. Excerpt. Vatican. p. 38.). Mox bello inter Rhodios et Cretenses exorto, his auxilia submisit Philippus, Dicaearcho duce (Polyb. XVIII, 37, 8. sq. Diod. Sic. XXVIII. ed. Wessel. T. IX. p. 382.). Ex fragmentis porro apud Polybium (XIII, 10.), quibus singulae urbes recensentur, intelligi par est, Philippum hoc anno bellum in Thracia quoque gessisse, cuius belli memoria cum hac historiarum Polybii parte prorsus intercidit. Metu tamen Romanorum Philippus Damoclem, in-

dustrium et ad res tractandas apprime utilem ministrum, cum Pythione ad speculanda Romanorum consilia misisse traditur (Polyb. XIII, 5. 7. Liv. XXXIV, 23. cf. Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 149. Lucas l. c. p. 121.).

Cum Antiocho III., Syriae rege, anno 202 a. Chr., societatem atque amicitiam iunxerat Philippus contra Ptolemaeum V. cognomine Epiphanem, ut diviso inter sese pupilli regno ipsum e medio tollere aggrederentur (Polyb. XV, 20.).

Cianorum porro urbe intestinis discordiis quassata Philippus potitus tam gravia patravit mala tantaque abusus est perfidia, ut in omnium reprehensionem incurreret multisque odiosus fieret (Polyb. XV, 21—23. Liv. XXXI, 8. App. Maced. Ecl. 2. Iust. XXX, 2. 3.).

Aetolos quoque nuper conciliatos denuo offendit Philippus, quod Lysimachensium, Chalcedoniorum, Cianorum civitates, ab Aetolorum societate avulsas, sibi adiunxit (Polyb. XV, 23, 7. sq. XVII, 3, 11—13. cf. Schorn. l. c. p. 217. N.).

Prusiam falsis promissis decepit et Thasios in servitutem redegit (Polyb. XV, 23, 10. 24.). Eodem modo tractavit Parios, Samios, Larissenses, Messenios, alios (Liv. XXX, 31, 4. App. Ecl. Maced. 3.). Magnesiam s. Demetriadem in Magnesia (Plin. H. N. V, 29.) muniverat, quo Thessalorum Aetolorumque gentes facilius coerceret (Paus. VII, 7, 3.).

Iam propter has res frequentes sociorum querelae, 202 a. Chr., ad senatum quum essent delatae, Philippus Romam misit legatos, quorum Cn. Cornelio Lentulo, P. Aelio Paeto a. 201 a. Chr. Coss. in senatum introductorum (Liv. XXX, 40.) varia oratio fuit; partim purgantium, quae questi erant missi ad regem a Roma legati de sociorum populatione; partim ultro accusantium quidem et socios populi Romani, sed multo infestius M. Aurelium; partim postulantium, ut Macedones duxque eorum Sopater, qui apud Hannibalem mercede militassent captique in vinculis essent, sibi restituerentur. Verum quum nihil proficerent cum hoc tam tristi responso dimissi

sunt: Bellum quaerere regem et, si pergat, propediem inventurum. Dupliciter ab eo foedus violatum, et quod sociis populi Romani iniurias fecerit, bello armisque lacessierit, et quod hostes auxiliis et pecuniis iuverit. Et P. Scipionem recte atque ordine videri fecisse et facere, quod eos, qui arma contra populum Romanum ferentes capti sunt, hostium numero in vinculis habeat; et M. Aurelium e republica facere gratumque id senatui esse, quod socios populi Romani, quando iure foederis non posset, armis tueatur (Liv. XXX, 33. 42. Frontin. II, 3, 16.). Simul classis duodequadraginta navium a M. Valerio Laevino propraetore in Graeciam ducta est ad observandum Philippum (Liv. XXXI, 3. Lucas l. c. p. 121. sq. immerito Aetolis rursus patrocinatus est.).

Philippus tamen his minis nequaquam conterritus (Liv. XXXI, 16.) societatem cum Antiocho adversus Attalum denuo init (Liv. XXXI, 14. Polyb. XVI, 1, 8. 9. 24, 6. XXI, 13, 4. App. Maced. Ecl. 3.), Pergamenen regionem vastat (Polyb. XVI, 1. Diod. Sic. ed. Wessel. T. IX. p. 384. sq.) atque, Aetoli quum Attalo petente gravati essent ad populandam Macedoniam exire (Liv. XXXI, 46.), pugnam committit navalem ad Chium cum Attalo Rhodiisque, qua gravissimam cladem est perpessus (Polyb. XVI, 2—9.). Vicit tamen proelio navali ad Laden (Polyb. XVI, 14. 15.) Cariumque invasit, ubi invitus hiberna agens raptu vixit (Polyb. XVI, 11. 12. 24. Polyaen. IV, 17, 1.).

Sub idem fere tempus et ab Attalo rege et Rhodiis legati Romam venerunt nunciantes, Asiae quoque civitates a Philippo sollicitari (Polyb. XVI, 24, 3. Liv. XXXI, 2. App. Maced. Ecl. c. 3.). Mox societate inter Athenienses, Attalum et Rhodios inita (Polyb. XVI, 25. 26.) quum etiam Athenienses nova legatione Romam missa de agris a Philippo vastatis quererentur opportune irritandis ad bellum animis (Liv. XXXI, 5.), senatus titulo ferendi sociis auxilii bellum contra regem decernit et P. Sulpicius, cui ea provincia obtigerat, populo persuadet, ut idem iubeat (Liv. XXXI, 7. 8. App. l. c. Iustin. XXX, 3.).

Sic pacem Punicam bellum Macedonicum excepit, periculo haudquaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore; claritate regum antiquorum vetustaque fama gentis et magnitudine imperii, quo multam quondam Europae, maiorem partem Asiae obtinuerant armis, prope nobilius. Ceterum coeptum bellum P. Sulpicio Galba Maximo II., C. Aurelio Cotta Coss., Cycliade Achaeorum praetore (Liv. XXXI, 25, 3.), Aetolorum Damocrito (ab auctumno 200 ad auctumnum 199 a. Chr. Liv. XXXI, 32, 1. c. 40, 9. coll. XXXVI, 24. extr.), 554 U. C. = Ol. 145, $^4/_1$ = 200 a. Chr. (Liv. XXX, 1. et c. 5. ubi tamen falso computatum est 550 U. C. paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam.)

Bellum igitur illud quum renovatum esset tres in universum eorum in Graecia animadvertimus partes, qui vel sua sponte vel inviti coactique eiusdem fuere participes. Prima enim erat Philippi regis, quocum faciebant Acarnanes, quasi totius belli auctores, vel saltem contra Athenienses moti (Liv. XXXI, 14.), non tota quidem Peloponnesus, ut exaggerans loquitur apud Livium Sulpicius consul (XXXI, 7.), sed orientalis tantum pars, Achaei cum sociis suis Arcadibus et Argivis (Polyb. XVI, 35.). Altera erat Romanorum, quibus erant coniuncti Athenienses, Attalus, Ptolemaeus, Rhodii, Cretenses, vel ea horum factio, quae cum Rhodiis ad concordiam redierat (Paus. I, 36, 4. cf. §. 71. N.). Tertia denique Aetolorum horumque sociorum, Elidensium, Messeniorum et Nabidis Spartani inter utramque priorem adhuc fluctuantium observantiumque, quorsum esset inclinatura sese fortuna bellica (Polyb. XVI, 13, 3. Liv. XXXI, 32. extr. cf. Lucas l. c. p. 122.). Quod si Lucas scribit Philippum praecipue Athenienses et *Aetolos* adortum esse, citans Pausaniae VII, 7. fin. de posterioribus hoc seriori demum tempore valet, quum Flamininus iam Villio, quem Atilium Pausanias vocat, successor esset destinatus.

P. Sulpicius, cui novum ac magni nominis bellum decretum erat, quum, auctumno ferme exacto, in provinciam venisset, circa Apolloniam et Corcyram hiber-

nabat, 200 a. Chr. (Liv. XXXI, 18, 9. c. 22, 4. c. 33, 4. Polyb. XVI, 35, 1.) Adventu tamen classis Romanae, dum rex ipse eo maxime tempore Abydum oppugnat (Polyb. XVI, 29—33. Liv. XXXI, 14. 16—18.), Athenae obsidione, cui Nicanor, Macedonum dux, praeest, liberantur. Philippo, iam cum Rhodiis et Attalo navalibus certaminibus neutro feliciter proelio vires experto, animos faciebat praeter ferociam insitam foedus ictum cum Antiocho, Syriae rege, cuius supra mentionem fecimus. Quam quidem societatem potissimum reputantes veritique Romani (App. Ecl. Maced. 3. Iust. XXX, 2. 3.), non statim Philippo bellum indixerunt, sed a Nicanore petierunt, renunciaret regi, Romanos eum monere, ne cui Graecorum factam iniuriam vellet, iniuriarum, quas Attalus accepit, apud aequos iudices rationem redderet. Haec si faceret licere illi in bona pace cum Romanis vivere, sin obtemperare nollet, contrarium illi eventurum. Eodemque sermone Romani usi sunt apud Epirotas Phoenicae, quum illam oram praeternavigarent; apud Amynandrum, quum in Athamaniam descendissent; item apud Aetolos Naupacti, et apud Achaeos Aegii in brumali concilio 200 a. Chr. (Polyb. XVI, 27.) Attali, Rhodiorum et Aetolorum, gaudentium utcunque composita cum Philippo pace, Polybius et Livius (XVI, 28. et XXXI, 15.) desidiam in rebus bellicis vituperant. Aetolorum vero quo brevior tum quies, eo maior praedae exspectatio, si ad eorum partes transissent, quibus favere fortuna videretur. Haec iis, quae Lucas (l. c. p. 123.) scripsit, obmovemus. Philippus congreditur cum M. Aemilio, Romanorum legato, in castris ad Abydum (Polyb. XVI, 27, 5. c. 34. Liv. XXXI, 18.).

Capta praesidioque firmata Abydo, quum Philippus in regnum rediisset, advenit Rhodum legatio Achaeorum populum hortans ad pacem cum rege faciendam. Inter haec vero quum Roma supervenissent legati in eam disserentes sententiam, inconsultis Romanis nequaquam cum Philippo esse transigendum, visum est populo, habendam

esse Romanorum rationem eorumque amicitiam respiciendam (Polyb. XVI, 35.).

C. Claudius Centho, quum Athenas obsidione liberasset, Chalcidem, ab exulibus regiorum iniuriis inde pulsis eo clam deductus, sine certamine ullo occupavit, occupatam diruit (Liv. XXXI, 23. 24, 3.). Demetriade tum Philippus erat. Quo quum esset nunciata clades sociae urbis, rex ultionem petens in Atheniensium agro, quidquid sancti amoenive circa urbem erat, incendit diruitque non tecta solum, sed etiam sepulcra, nec divini humanive iuris quidquam prae impotenti ira servavit. Inde Megaram ac protinus Corinthum profectus est, et, quum Argis Achaeorum concilium esse audisset (ante Maium 199 a. Chr.), inopinantibus Achaeis, quos iam antea quavis ratione Romanis infensos reddere studuerat (Polyb. XVI, 38. et Schweigh. ad h. l. Liv. XXXI, 25. coll. XXXII, 5. et c. 19. Lucas l. c. p. 123. fin.), concioni ipsi supervenit.

Consultabant de bello adversus Nabin, tyrannum Lacedaemoniorum, qui translato imperio a Philopoemene ad Cycliadem, nequaquam parem illi ducem, dilapsa cernens Achaeorum auxilia, redintegraverat bellum agrosque finitimorum vastabat et iam urbibus quoque erat terribilis. Adversus hunc hostem quum, quantum ex quaque civitate militum scriberetur, consultarent, Philippus, demturum se eis curam, quod ad Nabin et Lacedaemonios attineret, pollicitus, nec tantum agros sociorum populationibus prohibiturum, sed terrorem omnem belli in ipsam Laconicam ducto eo extemplo exercitu translaturum. Haec oratio quum ingenti hominum assensu acciperetur: Ita tamen aequum est, inquit, me vestra meis armis tutari, ne mea interim nudentur praesidiis. Itaque, si vobis videtur, tantum parate militum, quantum ad Oream et Chalcidem (quam diruerant quidem Romani, neque tamen praesidio firmaverant spectaculumque illud semirutae ac fumantis sociae urbis ipse habuit rex, quum Demetriade profectus eo venisset; Liv. XXXI, 24, 3.) et Corinthum tuenda satis sit, ut meis ab tergo tutis securus bellum

Nabidi inferam et Lacedaemoniis. Non fefellit Achaeos, quo spectasset tam benigna pollicitatio auxiliumque oblatum adversus Lacedaemonios; id quaeri, ut obsidem Achaeorum iuventutem educeret ex Peloponneso ad illigandam Romano bello gentem; et id quidem coarguere Cycliades, praetor Achaeorum, nihil attinere ratus, id modo quum dixisset, non licere legibus Achaeorum de aliis rebus referre, quam propter quas convocati essent, decreto de exercitu parando adversus Nabin facto, concilium fortiter ac libere habitum dimisit, inter assentatores regios ante eam diem habitus.

Erant enim bello Romano flagrante Macedonia, ut per totam Graeciam, sic etiam tres factiones in ipsa Achaia; una res trahentium ad Philippum regem principem habebat Cycliadem; altera Romanorum partium Aristaenum; Philopoemen solam rem publicam et libertatem complectebatur. Philippus rex ut tanquam mercede delinitis Achaeis magis obnoxiam sibi eorum rempublicam haberet Cycliade praetore conditiones tulit de bello Spartano suis opibus conficiendo. Promissa regis insidiosa erant eaque caussa ab ipso Cycliade sunt reiecta. Paulo tamen post Cycliades ab Achaeis pulsus in Philippi rursus clientelam abiit (Liv. XXXII, 19.).

Philippus magna spe depulsus voluntariis paucis militibus conscriptis Corinthum atque in Atticam terram rediit; qua iterum cum Philocle vastata in Boëotiam excessit, nec aliud quidquam dignum memoria in Graecia gessit (Liv. XXXI, 25. 26.).

P. Sulpicius consul eo tempore (ante Idus Martias 555 U. C. = 199 a. Chr.) inter Apolloniam ac Dyrrhachium ad Apsum flumen habebat castra (similia his in bello Caesaris adversus Pompeium narrantur B. Civil. III, a capite sexto), quo arcessitum L. Apustium legatum cum parte copiarum ad depopulandos hostium fines mittit (Liv. XXXI, 27.). Hac satis felici expeditione bello commisso reguli ac principes accolae Macedonum in castra Romana veniunt, Pleuratus, Scerdilaedi filius, et Amynander, Athamanum rex, et ex Dardanis Bato, Longari

filius. Pollicentibus auxilia respondit consul, Dardanorum et Pleurati opera, quum exercitum in Macedoniam induceret, se usurum. Amynandro Aetolos concitandos ad bellum attribuit. (Cf. Lucas l. c. p. 124.) Attali legatis mandat, ut Aeginae rex, ubi hibernabat, classem Romanam opperiretur; qua adiuncta bello maritimo, sicut ante, Philippum urgeret. Ad Rhodios quoque missi legati, ut capesserent partem belli.

Nec Philippus, iam enim in Macedoniam pervenerat, segnius apparabat bellum. Filium Persea, puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui aetatem eius regerent, cum parte copiarum ad obsidendas angustias, quae ad Pelagoniam sunt, mittit. Sciathum et Peparethum, haud ignobiles urbes, ne classi hostium praedae ac praemio essent, diruit. Ad Aetolos mittit legatos, ne gens inquieta (quum inquieti esse solerent hoc Polybius Liviusque eos epitheto quasi perpetuo ornavere; cf. Lucas l. c. p. 124.) adventu Romanorum fidem mutaret (Liv. XXXI, 28.).

Concilium Aetolorum statuta die, verno tamen tempore, 199 a. Chr. (nam de auctumnali et anni 200, et 199 a. Chr. cogitari nequit, praesertim quum nec Panaetolicum nec Pylaicum esset concilium, Liv. XXXI, 32.) habetur, ad quod et ab consule missus L. Furius Purpureo legatus venit, et Atheniensium quoque legati occurrerunt. Ubi quum singulorum sententiae essent dictae Damocritus, praetor Aetolorum, pecunia, ut fama est, ab rege accepta (quod ipsum sine caussa addubitat Lucas l. c. p. 124.) nihil aut huic aut illi parti assensus et dimissis suspensa re legatis egregie consultum genti aiebat; nam utrius partis melior fortuna belli esset, ad eius societatem inclinaturos (Liv. XXXI, 29—32.). Postea quum Romani ad Octolophum vicissent, Dardani, Pleuratus et Illyrii in Macedoniam irrupissent, idem Damocritus Aetolos ad Romanorum partes concivit (Liv. XXXI, 40. fin. Haec contra Lucam, illud „aiebat“ addubitantem, simul dicta sunto.).

Aestatis principio (L. Cornelio Lentulo, P. Villio Tappulo Coss. 555 U. C. = 199 a. Chr.) P. Sulpicius, prioris anni consul, ad fines Macedoniae in Dassaretiis, Eordaea, Lyncestide levibus' certaminibus cum Philippo pugnat, aliquot oppida capit, classe L. Apustius cum Attalo rege et Rhodiis maris imperium obtinent (Liv. XXXI, 33—47. inprimis c. 43. et 47.).

P. Villius consul quum sero in provinciam venisset eumque ibi atrox seditio militum iam ante irritata nec satis in principio compressa excepisset Corcyrae hibernavit (Liv. XXXII, 3.). Ea re factum est, ut T. Livius res hoc anno gestas (555 U. C. = 199 a. Chr.) lib. XXXI. inde a cap. 31. falso ad priorem annum retulerit. (Zumpt. in Annalib. p. 75. Bene etiam Manso l. c. III, 2. p. 275. sqq. quorum neutrum recte intellexit Schorn. l. c. p. 228. N. Helvingius, ubi de temporum ratione sermo est, vix dignus, qui commemoretur, has res, neglectis antecessoribus omnibus, attribuit 554 U. C. p. 267.)

Philippus interim a Thaumacum obsidione per Aetolos, duce Archidamo, eodemque praetore ab auctumno 199 ad auctumnum 198 a. Chr. gentis, depellitur. Hiems quoque iam instabat quum inde abscessit et in Macedoniam in hiberna copias reduxit (Liv. XXXII, 4.).

§. 74.

Quae sequuntur. — Achaeorum concilium Sicyone. Philocles occupat Argos.

Ibi ceteri quidem, data quantacunque quiete temporis, simul animos corporaque remiserant. Philippum quantum ab assiduis laboribus itinerum pugnarumque laxaverat annus, tanto magis intentum in universum eventum belli curae angunt, non hostes modo timentem, qui terra marique urgebant, sed nunc sociorum, nunc etiam popularium animos, ne et illi ad spem amicitiae Romanorum deficerent, et Macedonas ipsos cupido novandi res caperet. Itaque et in Achaiam legatos misit, simul qui

iusiurandum (ita enim pepigerant quotannis iuraturos in verba Philippi) exigerent, simul qui redderent Achaeis Orchomenon et Heraeam et Triphyliam, Megalopolitis (sic pro Eleis, quod etiam Schorn. l. c. p. 236. vidit) Alipheram contendentibus nunquam eam urbem fuisse ex Triphylia, sed sibi debere restitui, quia una esset ex iis, quae ad condendam Megalopolin ex concilio Arcadum attributae forent. Et cum Achaeis quidem per haec societatem firmabat (Liv. XXXII, 5. coll. XXVIII, 8. supra §. 69. Breitenbauch. l. c. p. 93. et 106.).

P. Villius primo vere consilia ingrediendae Macedoniae agitat, quum T. Quinctius Flamininus (ex aedilitate consul factus; Plut. in Flamin. c. 2. etiam δημαρχίαν nominat, sed Livii auctoritate XXXII, 7. iam a Xylandro emendatus est) consul belli gerendi cupidus maturato itinere supervenit, 556 U. C. = 198 a. Chr.

Is magistratum inierat Idibus Martiis. Iam licet eo tempore tanta προέμπτωσις anni Romani, quantam Iosephus Scaliger et Dionysius Petavius (Doctr. tempp. II, 78. p. 128. et IV, 1. p. 160. 7. Calvisius in Opp. chronolog. p. 76. Bayer. l. c. p. 326. Manso l. c. III, 2. p. 275. sqq.) quoque statuerunt, ut Ianuarius congruerit cum Septembri Iuliano, non fuit, expunxit enim hanc opinionem Ismael Bulialdus in epistola ad Gronovium patrem, tamen unius mensis aut paulo amplius confusionem fuisse nemo negare ausit. Revera igitur initio Februarii Iuliani ipsiusque veris a. Varroniano 556 (= 198 a. Chr.) consulatum iniit T. Quinctius. Venit autem Brundisio cum classe in Epirum maturius, ut ait Patavinus ille pater historiarum, quam ante eum soliti fuerant consules (XXXII, 7. cf. Plut. Flamin. c. 1. et 2.). Delectus et prodigia procuranda non ita multos dies eum retinere potuerunt Romae. Solverit extremo mense Februario Iuliano et post navigationem, ut is habet (XXXII, 10. Plut. l. c. Auct. de viris illustrib. c. 51.), quadraginta dies moratus, uno collocutus (Liv. l. c. c. 10. Quae Gastius l. c. p. 450. N. 13. de hoc colloquio a Plutarcho non commemorato ideoque non habito scripsit redolent iudicium raptim praecipita-

tum.), tertio post hunc diem in faucibus Epiri ad Aoum amnem (quem Plut. Flam. c. 3. falso Apsum vocat; cf. Palmer. Graec. Antiq. I, 26. Gast. l. c. p. 450. N. 12.) summo proelio decertaverit, ante Idus Maias Iulianas poterat victor discedere. Non assentior equidem Mansoni (l. c. III, 2. p. 276.), Flamininum non XL dies solum, sed totam per hiemem (hoc scilicet tribuni plebis ipsi amici dicunt) nihil gessisse contra Philippum contendenti.

Eodem anno a Maio mense (198 a. Chr.) ad eundem mensem 197 a. Chr. fuit Aristaenus Achaeorum praetor primum (Liv. XXXII, 19, 2.).

Consul Philippo pulso in Thessaliam procedit, adiunctis Athamanum et Aetolorum copiis. Philippus in Macedoniam recedit. Dum classis Romana L. Quinctio duce, fratre consulis, coniuncta cum Attali regis Rhodiorumque, Agesimbroto duce, navibus Eretriam summa vioppugnatam capit, Locride Phocideque in potestatem redactis Romanorum, Elatiam Maio etiamnum mense obsidenti consuli rei maioris spes affulsit, Achaeorum gentem ab societate regia ad Romanam amicitiam avertendi (Liv. XXXII, 10—15. 19—23. Plut. Flamin. c. 4. et 5. Polyb. XVII, 13. Paus. VII, 8, 1. App. Maced. Ecl. 5. minus accurate Zonaras in Annalib. IX, 16.). Cycliadam, principem factionis ad Philippum trahentium res, expulerant. Aristaenus, qui Romanis gentem iungi volebat, praetor erat. Classis Romana cum Attalo et Rhodiis Cenchreis stabat parabantque communi omnes consilio Corinthum oppugnare. Optimum igitur ratus est, priusquam eam rem aggrederentur, legatos ad gentem Achaeorum mitti, pollicentes; si ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum iis contributuros in antiquum gentis concilium. Auctore consule legati a fratre eius L. Quinctio et Attalo et Rhodiis et Atheniensibus ad Achaeos missi. Nulli Aetolorum legati, non quia inimicitiarum quaedam Aetolis caussae cum Romanis exstiterint, ut opinatur Lucas (l. c. p. 125.), sed quia Aetolorum perfidia Achaeis erat odiosissima.

Sicyone datum iis est concilium. Erat autem non admodum simplex habitus animorum inter Achaeos. Terrebat eos Lacedaemonius, gravis et assiduus hostis; horrebant Romana arma; Macedonum beneficiis et veteribus et recentibus obligati erant; regem ipsum suspectum habebant pro eius crudelitate perfidiaque, neque ex iis, quae tum ad tempus faceret, aestimantes, graviorem post bellum dominum futurum cernebant; neque solum, quid in senatu quisque civitatis suae, aut in communibus conciliis gentis pro sententia dicerent, ignorabant; sed ne ipsis quidem secum cogitantibus, quid vellent, aut quid optarent, satis constabat. Ad homines ita incertos introductis legatis potestas dicendi facta est. (Brevius haec Appianus l. c. brevissime Iustinus XXX, 3. Paus. VII, 8, 1. pro Villio non solum Atilium nominat, sed totam temporum rationem etiam pervertit. Cf. Schorn. l. c. p. 240. N. et infra §. 83.)

Romanus primum legatus L. Calpurnius, deinde Attali regis legati, post eos Rhodii disseruerunt. Philippi deinde legatis dicendi potestas facta est. Postremi Athenienses, ut refellerent Macedonum dicta, auditi sunt. Ii fere atrocissime in regem, quia nulli nec plura, nec tam acerba passi erant, invecti sunt. Et illa quidem concio sub occasum solis tot legatorum perpetuis orationibus die absumto dimissa est.

Postero die advocatur concilium. Ubi quum per praeconem, sicut Graecis mos est, suadendi, si quis vellet, potestas a magistratibus facta esset, nec quisquam prodiret, diu silentium aliorum alios intuentium fuit; neque mirum, si, quibus sua sponte volutantibus res inter se pugnantes obtorpuerant quodammodo animi, eos orationes quoque insuper turbaverant, utrinque quae difficilia essent promendo admonendoque per totum diem habitae. Tandem Aristaenus praetor Achaeorum, ne tacitum concilium dimitteret, Ubi, inquit, illa certamina animorum, Achaei, sunt, quibus in conviviis et circulis, quum de Philippo et Romanis mentio incidit, vix manibus temperabatis? Nunc in concilio ad eam rem unam indicto quum lega-

torum utrinque verba audieritis, quum referant magistratus, quum praeco ad suadendum vocet, obmutuistis. Si non cura communis salutis, ne studia quidem, quae in hanc aut illam partem animos vestros inclinarunt, vocem cuiquam possunt exprimere? quum praesertim nemo tam hebes sit, qui ignorare possit, dicendi ac suadendi, quod quisque aut velit, aut optimum putet, nunc occasionem esse, priusquam quidquam decernamus. Ubi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus ante displicuerit, pro bono atque utili foedere defendendum. Haec adhortatio praetoris non modo quemquam unum elicuit ad suadendum, sed ne fremitum quidem aut murmur concionis tantae, ex tot populis congregatae, movit.

Tum Aristaenus praetor rursus: Non magis consilium vobis, principes Achaeorum, deest, quam lingua, sed suo quisque periculo in commune consultum non vult. Forsitan ego quoque tacerem, si privatus essem. Nunc praetor video, aut non dandum concilium legatis fuisse, aut inde sine responso eos dimittendos non esse. Respondere autem, nisi ex vestro decreto, qui possum? Et quando nemo vestrum, qui in hoc concilium advocati estis, pro sententia quidquam dicere vult, aut audet, orationes legatorum hesterno die dictas pro sententiis percenseamus, perinde ac non postulaverint, quae e re sua essent, sed suaserint, quae nobis censerent utilia esse. Romani Rhodiique et Attalus societatem amicitiamque nostram petunt, et in bello, quod adversus Philippum gerunt, se a nobis adiuvari aequum censent. Philippus societatis secum admonet et iurisiurandi et modo postulat, ut secum stemus, modo ne intersimus armis contentum ait se esse. Nulline venit in mentem, cur, qui nondum socii sunt, plus petant, quam socius? Non fit hoc neque modestia Philippi neque impudentia Romanorum. Achaei portus et dant fiduciam postulantibus et demunt. Philippi praeter legatum videmus nihil. Romana classis ad Cenchreas stat urbium Euboeae spolia prae se ferens, consulem legionesque eius exiguo maris spatio disiunctas Phocidem ac Locridem pervagantes videmus. Miramini,

cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi, ut pro rege arma caperemus adversus Romanos, modo egerit, qui, si ex eodem foedere ac iureiurando, cuius nobis religionem iniiciebat, rogemus eum, ut nos Philippus et ab Nabide ac Lacedaemoniis et ab Romanis defendat, non modo praesidium, quo nos tueatur, sed ne quid respondeat quidem nobis, sit inventurus. Non, Hercle, magis, quam ipse Philippus priore anno, qui pollicendo se adversus Nabidem bellum gesturum, quum tentasset nostram iuventutem hinc in Euboeam extrahere, postquam nos neque decernere id sibi praesidium, neque velle illigari Romano bello vidit, oblitus societatis eius, quam nunc iactat, vastandos depopulandosque Nabidi ac Lacedaemoniis reliquit. Ac mihi quidem minime conveniens inter se oratio Cleomedontis visa est. Elevabat Romanum bellum eventumque eius eundem fore, qui prioris belli, quod cum Philippo gesserint, dicebat. Cur igitur nostrum ille auxilium absens petit potius, quam praesens nos veteres socios simul ab Nabide ac Romanis tueatur? Nos dico? quid ita passus est Eretriam Carystumque capi? quid ita tot Thessaliae urbes? quid ita Locridem Phocidemque? quid ita nunc Elatiam oppugnari patitur? cur excessit faucibus Epiri claustrisque illis inexpugnabilibus super Aoum amnem, aut vi, aut metu, aut voluntate, relictoque, quem insidebat, saltu, penitus in regnum abiit? Si sua voluntate tot socios reliquit hostibus diripiendos, quid recusare potest, quin et socii sibi consulant? si metu, nobis quoque ignoscat timentibus; si victus armis cessit, Achaei arma Romana sustinebimus, Cleomedon, quae vos Macedones non sustinuistis? An tibi potius credamus, Romanos non maioribus copiis nec viribus nunc bellum gerere, quam antea gesserint, potius quam res ipsas intueamur? Aetolos tum classe adiuverunt, nec duce consulari, nec exercitu bellum gesserunt, sociorum Philippi maritimae urbes in terrore ac tumultu erant, mediterranea adeo tuta ab Romanis armis fuerunt, ut Philippus Aetolos, nequidquam opem Romanorum implorantes, depopularetur. Nunc autem defuncti bello Punico Romani, quod per sex-

decim annos velut intra viscera Italiae toleraverunt, non praesidium Aetolis bellantibus miserunt, sed ipsi duces belli arma terra marique simul Macedoniae intulerunt. Tertius iam consul summa vi gerit bellum. Sulpicius in ipsa Macedonia congressus fudit fugavitque regem, partem opulentissimam regni eius depopulatus; nunc Quinctius tenentem claustra Epiri, natura loci, munimentis exercituque fretum castris exuit, fugientem in Thessaliam persecutus praesidia regia sociasque eius urbes prope in conspectu regis ipsius expugnavit. Ne sint vera, quae Athenienses modo legati de crudelitate, avaritia, libidine regis dixerunt; nihil ad nos pertineant, quae in terra Attica scelera in superos inferosque Deos sunt admissa, multo minus, quae Ciani Abydenique, qui procul a nobis absunt, passi sunt; nostrorum ipsi vulnerum, si vultis, obliviscamur: caedes direptionesque bonorum Messenae in media Peloponneso factas et hospitem Cyparissiae Garitenem contra ius omne ac fas inter epulas prope ipsas occisum, et Aratum patrem filiumque Sicyonios, quum senem infelicem parentem etiam appellare solitus esset, interfectos, filii etiam uxorem libidinis caussa in Macedoniam asportatam, cetera stupra virginum matronarumque oblivioni dentur; ne sint cum Philippo res, cuius crudelitatis metu obmutuistis omnes (nam quae alia tacendi advocatis in concilium caussa est?), cum Antigono, mitissimo ac iustissimo rege et de nobis omnibus optime merito, existimemus disceptationem esse, num id postularet facere nos, quod tum fieri non posset? Peninsula est Peloponnesus angustis Isthmi faucibus continenti adhaerens, nulli aptior neque opportunior quam navali bello; si centum tectae naves et quinquaginta leviores apertae et triginta Issaici lembi maritimam oram vastare et expositas prope in ipsis litoribus urbes coeperint oppugnare, in mediterraneas scilicet nos urbes recipiemus? tanquam non intestino et haerente in ipsis visceribus uramur bello? Quum terra Nabis et Lacedaemonii, mari Romana classis urgebunt, unde regiam societatem et praesidia Macedonum implorem? an ipsi nostris armis ab hoste Romano

tutabimur urbes, quae oppugnabuntur? egregie enim Dymas priore bello sumus tutati. Satis exemplorum nobis alienae clades praebent, ne quaeramus, quemadmodum ceteris exemplo simus. Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id, quod optandum vobis ac summa ope petendum erat, fastidire; metu enim videlicet compulsi in aliena terra, quia sub umbra auxilii vestri latere volunt, in societatem vestram confugiunt, ut portubus vestris recipiantur, ut commeatibus utantur. Mare in potestate habent, terras, quascunque adeunt, extemplo ditionis suae faciunt. Quod rogant, cogere possunt; quia pepercisse volunt, committere vos, cur pereatis, non patiuntur. Nam quod Cleomedon modo tanquam mediam et tutissimam vobis viam consilii, ut quiesceretis abstineretisque armis, ostendebat, ea non media, sed nulla via est. Etenim, praeterquam quod aut accipienda, aut aspernanda vobis Romana societas est, quid aliud quam nusquam gratia stabili, velut qui eventum exspectaverimus, ut fortunae applicaremus nostra consilia, praeda victoris erimus? Nolite, si, quod omnibus votis petendum erat, ultro offertur, fastidire. Non, quemadmodum hodie utrumque vobis licet, sic semper liciturum est; nec saepe, nec diu eadem occasio erit. Liberare vos a Philippo iam diu magis vultis, quam audetis. Sine vestro labore et periculo qui vos in libertatem vindicarent, cum magnis classibus exercitibusque mare traiecerunt. Hos si socios aspernamini, vix sanae mentis estis, sed, aut socios, aut hostes habeatis, oportet.

Proditoris nomen nequaquam in Aristaenum conferendum esse contendit Polybius XVII, 13, 8—11. Nisi enim Aristaenus ab Philippi societate Achaeos ad amicitiam populi Romani opportune tunc traduxisset, actum erat de gente Achaeorum. At nunc praeter securitatem, quam singulis Achaeis ea tempestate praestitit, inter omnes constat, ei viro atque huic eius consilio incrementum reipublicae Achaeorum deberi. Itaque is non ut proditor, sed ut optime meritus ac servator gentis ab omnibus colebatur.

Secundum orationem praetoris murmur ortum aliorum cum assensu, aliorum inclementer assentientes increpantium; et iam non singuli tantum, sed populi universi inter se altercabantur; tum inter magistratus gentis, quos damiurgos vocant, certamen nihilo segnius, quam inter multitudinem, esse; quinque ex numero decem damiurgorum relaturos se de societate Romana aiebant suffragiumque daturos, quinque lege cautum testabantur, ne quid, quod adversus Philippi societatem esset, aut referre magistratibus, aut decernere concilio ius esset. Hic quoque dies iurgiis est consumtus.

Supererat unus iusti concilii dies (tertio enim lex iubebat decretum fieri), in quem adeo exarsere studia, ut vix parentes ab liberis temperaverint. Rhisiasus Pellenensis filium damiurgum, nomine Memnonem, habebat partis eius, quae decretum recitari perrogarique sententias prohibebat. Is diu obtestatus filium, ut consulere Achaeos communi saluti pateretur, neu pertinacia sua gentem universam perditum iret, postquam parum sufficiebant preces, iuratus se eum sua manu interemturum, nec pro filio, sed pro hoste, habiturum, minis pervicit, ut postero die coniungeret iis se, qui referebant. Qui quum plures facti referrent, omnibus fere populis haud dubie approbantibus relationem ac prae se ferentibus, quid decreturi essent; Dymaei ac Megalopolitani et quidam Argivorum, priusquam decretum fieret, consurrexerunt ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo, neque improbante. Nam Megalopolitanos, avorum memoria pulsos ab Lacedaemoniis, restituerat in patriam Antigonus; et Dymaeis, captis nuper direptisque ab exercitu Romano, quum redimi eos, ubicunque servirent, Philippus iussisset, non libertatem modo, sed etiam patriam reddiderat. Iam Argivi, praeterquam quod Macedonum reges ab se oriundos credunt, privatis etiam hospitiis familiarique amicitia plerique illigati Philippo erant. Ob haec concilio, quod inclinaverat ad Romanam societatem iubendam, excesserunt, veniaque iis huius secessionis fuit et magnis et recentibus obligatis beneficiis.

Ceteri populi Achaeorum quum sententias perrogarentur societatem cum Attalo ac Rhodiis praesenti decreto confirmarunt, cum Romanis, quia iniussu populi non poterat rata esse, in id tempus, quo Romam mitti legati possent, dilata est. In praesentia tres legatos ad L. Quinctium mitti placuit et exercitum omnem Achaeorum ad Corinthum admoveri, captis Cenchreis iam urbem ipsam Quinctio oppugnante. Et hi quidem e regione portae, quae fert Sicyonem, posuerunt castra. Romani ad Cenchreas versam partem urbis, Attalus traducto per Isthmum exercitu ab Lechaeo, alterius maris portu, oppugnabant; primo segnius, sperantes seditionem intus fore inter oppidanos ac regium praesidium. Postquam uno animo omnes, et Macedones tanquam communem patriam tuebantur, et Corinthii ducem praesidii Androsthenem, haud secus quam civem et suffragio creatum suo, imperio iusto patiebantur, omnis inde spes pugnantibus in vi et armis et operibus erat. Undique aggeres haud facili aditu ad moenia admovebantur. Aries ex ea parte, quam Romani oppugnabant, aliquantum muri diruerat; in quem locum, quia nudatus munimento erat, protegendum armis quum Macedones concurrissent atrox proelium inter eos ac Romanos ortum est. Ac primo multitudine facile expellebantur Romani, assumtis deinde Achaeorum Attalique auxiliis aequabant certamen, nec dubium erat, quin Macedonas Graecosque facile loco pulsuri fuerint. Transfugarum Italicorum magna multitudo erat; pars ex Hannibalis exercitu metu poenae a Romanis Philippum secuti, pars navales socii relictis nuper classibus ad spem honoratioris militiae transgressi; hos desperata salus, si Romani vicissent, ad rabiem magis quam audaciam accendebat. Promontorium est adversus Sicyonem Iunonis, quam vocant Acraeam, in altum excurrens, traiectus inde Corinthum septem millia ferme passuum. Eo Philocles, regius et ipse praefectus, mille et quingentos milites per Boeotiam duxit. Praesto fuere ab Corintho lembi, qui praesidium id acceptum Lechaeum traiicerent. Auctor erat Attalus incensis operibus omittendae extemplo oppu-

gnationis. Pertinacius Quinctius in incepto perstabat; is quoque ut pro omnibus portis disposita vidit praesidia regia, nec facile erumpentium impetus sustineri posse, in Attali sententiam concessit. Ita irrito incepto dimissis Achaeis reditum ad naves est. Attalus Piraeeum, Romani Corcyram petierunt.

Dum haec ab navali exercitu geruntur, consul in Phocide Elatia urbe potitur; qua direpta, missis in arcem, qui vitam regiis, si abire vellent inermes, libertatem Elatiensibus pollicerentur, fideque in haec data post paucos dies arcem recepit (Liv. XXXII, 24.).

Ceterum adventu in Achaiam Philoclis regii praefecti non Corinthus tantum liberata obsidione, sed Argivorum quoque civitas per quosdam principes Philocli prodita est tentatis prius animis plebis. Mos erat comitiorum die primo velut ominis caussa praetores pronuntiare Iovem, Apollinemque, et Herculem. Additum legi erat, ut iis Philippus rex adiiceretur; cuius nomen post pactam cum Romanis societatem quia praeco non adiecit fremitus primo multitudinis ortus, deinde clamor subiicientium Philippi nomen iubentiumque legitimum honorem usurpare, donec cum ingenti assensu nomen recitatum est. Huius fiducia favoris Philocles arcessitus nocte occupat collem imminentem urbi (Larissam eam arcem vocant) positoque ibi praesidio quum lucis principio signis infestis ad subiectum arci forum vaderet instructa acies ex adverso occurrit. Praesidium erat Achaeorum nuper impositum, quingenti fere iuvenes delecti omnium civitatum. Aenesidemus Dymaeus praeerat. Adhortator a praefecto regio missus, qui excedere urbe iuberet (neque enim pares eos oppidanis solis, qui idem quod Macedones sentirent, nedum adiunctis Macedonibus, esse, quos ne Romani quidem ad Corinthum sustinuissent), primo nihil, nec ducem, nec ipsos movit; post paulo, ut Argivos quoque armatos ex parte altera venientes magno agmine viderunt, certam perniciem cernentes, omnem tamen casum, si pertinacior dux fuisset, videbantur subituri. Aenesidemus, ne flos iuventutis Achaeorum simul cum urbe amitteretur, pactus

cum Philocle, ut abire illis liceret, ipse, quo loco steterat armatus, cum paucis clientibus non excessit. Missus a Philocle, qui quaereret, quid sibi vellet? nihil fatus, tantummodo, quum proiecto prae se clypeo staret, in praesidio creditae urbis moriturum se armatum, respondit. Tum iussu praefecti a Thracibus coniecta tela interfectique omnes. Et post pactam inter Achaeos et Romanos societatem duae nobilissimae civitates, Argi et Corinthus, in potestate regis erant.

Haec ab Romanis ea aestate (556 U. C. = 198 a. Chr.) in Graecia terra marique gesta (Liv. XXXII, 25., 28.).

§. 75.

Colloquium T. Quinctii cum Philippo.

Hiems erat quum capta Elatia Quinctius in Phocide hiberna disposita haberet (Liv. XXXII, 32, 1.). Hac vero hieme non incipit Romanorum annus 557, sed Ianuario potius mense anni 197 a. Chr. (Cf. Manso l. c. III, 2. p. 276.)

Opuntiorum urbs, quae regio tenebatur praesidio, consuli proditur. (Cf. Plut. Flamin. c. 5.) Mora, cur non extemplo oppugnaretur, ea fuit, quod caduceator ab rege venerat, locum ac tempus petens colloquio. Id gravate concessum regi est; non quin cuperet Quinctius per se partim armis, partim conditionibus confectum videri bellum; necdum enim sciebat, utrum successor sibi alter ex novis consulibus mitteretur, an, quod summa vi ut tenderent amicis et propinquis mandaverat, imperium prorogaretur; aptum autem fore colloquium credebat, ut sibi liberum esset, vel ad bellum manenti, vel ad pacem decedenti rem inclinare. In sinu Maliaco prope Nicaeam litus elegere. Eo rex ab Demetriade cum quinque lembis et una nave rostrata (πρίστει) venit. Erant cum eo principes Macedonum, Apollodorus et Demosthenes, regii scribae, e Boeotia Brachylles (quem Plut. Flam. c. 6. mendose vocat Brachyllelem; cf. Vales. ap. Schweigh. ad Polyb. XX, 5, 5. coll. XVIII, 26. et XX, 7, 3. Liv.

XXXIII, 27—29.) et Achaeorum exul, vir insignis, Cycliades. Cum imperatore Romano rex Amynander erat et Dionysodorus, Attali legatus, et Agesimbrotus, praefectus Rhodiae classis, et Phaeneas, Aetolorum princeps idemque praetor (ab auctumno 198 ad auctumnum 197 a. Chr.), et Achaei duo, Aristaenus, etiamnum praetor (ad Maium usque mensem anni 197 a. Chr.), et Xenophon (Liv. XXXII, 32. Polyb. XVII, 1, 1—10. sqq.).

Habitum igitur illud colloquium esse mense Ianuario vel Februario anni 197 a. Chr. colligo.

Quum Romanus eum aequum censeret priorem dicere, qui petisset colloquium; rex eius esse priorem orationem, qui daret pacis leges, non qui acciperet; tum Romanus, simplicem suam orationem esse; ea enim se dicturum, quae ni fiant, nulla sit pacis conditio. Deducenda ex omnibus Graeciae civitatibus regi praesidia esse; captivos et transfugas sociis populi Romani reddendos; restituenda Romanis ea Illyrici loca, quae post pacem in Epiro factam occupasset. Ptolemaeo regi Aegypti reddendas urbes, quas post Philopatoris Ptolemaei mortem occupasset. Suas populique Romani conditiones has esse; ceterum et sociorum audiri postulata verum esse. Attali regis legatus, naves captivosque, quae ad Chium navali proelio capta essent, et Nicephorium Venerisque templum, quae spoliasset evastassetque, pro incorruptis restitui. Rhodii Peraeam repetebant postulabantque praesidia deduci ab Iasso (ridiculam de Iassiis fabulam narrat Strabo XIV. p. 453.) et Bargyliis et Euromensium urbe et in Hellesponto, Sesto atque Abydo et Panopolin Byzantiis in antiqui formulam iuris restitui et liberari omnia Asiae emporia portusque. Achaei Corinthum et Argos repetebant. Praetor Aetolorum quum eadem fere, quae Romani, ut Graecia decederetur, postulassent redderenturque Aetolis urbes, quae quondam iuris ac ditionis eorum fuissent; [1])

1) Quod si omnes Graeci eadem postulassent cum Romanis, ridicula sane eiusmodi videri debebat postulatio; neque tamen sui ipsorum commodi immemores Aetoli erant. Quare non assen-

excepit orationem eius princeps Aetolorum Alexander, cognomine Isius, vir, ut inter Aetolos, facundus (ἀνὴρ δοκῶν πραγματικὸς εἶναι καὶ λέγειν ἱκανός, Polyb. XVII, 3, 1. ubi quae notavit Lucas l. c. p. 125. et 126. aut intellectu difficilia, aut prorsus sunt falsa).

Alexander igitur Philippum acriter quum perstrinxisset eiusque perfidiam et crudelitatem non inhumana sed prava paene ratione depinxisset (quam aegre tulerunt iam Humius in Essay 14. et Gastius l. c. p. 462 sq. N. 24. Lucas tamen inculpatam praetermisit; cf. Liv. XXXII, 33. Polyb. XVII, 1—3.), regem in Aetolos maxime dicere orsum violenter Phaeneas interfatus est. Philippum vero in oculorum valetudinem Phaeneae iocatum Livius his verbis vituperat: et erat dicacior natura, quam regem decet, et ne inter seria quidem risu satis temperans. Iam hinc, opinor, Polybium nemo falsae vel iniustae ac minus verae coarguet narrationis. (Cf. Lucas l. c. p. 126.) Flaminini risum merito vituperat Gastius (l. c.). Extrema Philippi oratio adversus Achaeos fuit; in qua orsus ab Antigoni primum, suis deinde erga eam gentem meritis, recitari decreta eorum iussit, omnes divinos humanosque honores complexa; atque ad ea adiecit recens de exercitu, quo ab se descivissent; invectusque graviter in perfidiam eorum, Argos tamen se redditurum iis dixit; de Corintho cum imperatore Romano deliberaturum esse. Quae, vel invito quaestio tamen oboritur, cur Lucas falsa non iudicaverit; Achaeorum enim non tam perfidia erat perstringenda, quam rerum conditio, qua coacti ad Romanorum partes transierant, spectanda atque animo ponderanda.

Postero die ad Nicaeam convenerunt Romanus imperator cum App. Claudio, tribuno militum, ceteris submotis, ne altercando tempustereretur, et Philippus rex cum duobus comitibus. Ibi quum aliquamdiu secréto locuti

---

tior iis, quae Lucas l. c. p. 125. dedit, scilicet ut lectores Aetolis benevolos redderet.

essent, quae acta Philippus ad suos retulerit, minus compertum est. Quinctius haec retulit ad suos: Romanis eum cedere tota Illyrici ora, perfugas remittere ac si qui essent captivi; Attalo naves et cum iis captos navales socios; Rhodiis regionem, quam Peraeam vocant, reddere, Iasso et Bargyliis non cessurum; Aetolis Pharsalum Larissamque reddere, Thebas non reddere; Achaeis non Argis modo, sed etiam Corintho cessurum. Nulli omnium placere partium, quibus cessurus, aut non cessurus esset, destinatio; plus enim amitti in iis, quam acquiri; nec unquam, nisi tota deduxisset Graecia praesidia, caussas certaminum deponere.

Tertio die quum ad Thronium convenissent, quia hiems instabat (i. e. etiamnum erat, adhuc non excesserat), induciis in duos menses datis, singulos mittere legatos ad senatum placuit. Ab Achaeis missus est Xenophon Aegiensis. Infecta pace regii a senatu dimissi. Quinctio liberum arbitrium pacis ac belli permissum. Quod ut satis apparuit, non taedere belli senatum, et ipse victoriae, quam pacis avidior, neque colloquium postea Philippo dedit, neque legationem aliam, quam quae omni Graecia decedi nunciaret, admissurum dixit (Liv. XXXII, 34—38. Polyb. XVII, 4—13. App. Maced. Ecl. 6. de Legat.).

Sic T. Quinctio mirifice omnia ex animi sententia succedebant, fortuna quidem eius consilia nonnihil adiuvante, sed multo magis, quod singulari prudentia omnia essent ab ipso administrata. Nam si quis alius Romanorum hic profecto vir sollers cum primis fuit. Et tamen iuvenis admodum erat, non maior tum annorum triginta, idemque primus Romanorum cum exercitu in Graeciam traiecerat.

§. 76.

De Argivorum civitate disceptatio.

Philippus quum acie decernendum videret et undique ad se contrahendas vires maxime de Achaiae urbibus, regionis ab se diversae, et magis tamen de Argis, quam

de Corintho sollicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedaemoniorum tyranno velut fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret; si quid adversi accidisset, ipse haberet. Philocli, qui Corintho Argisque praeerat, scribit, ut tyrannum ipse conveniret. Philocles, praeterquam quod iam veniebat cum munere adiicit ad pignus futurae regi cum tyranno amicitiae, filias suas regem Nabidis filiis matrimonio coniungere velle. Tyrannus primo negare, aliter urbem eam se accepturum, nisi Argivorum ipsorum decreto arcessitus ad auxilium urbis esset; deinde, ut frequenti concione non aspernatos modo, sed abominatos etiam nomen tyranni audivit, caussam se spoliandi eos nactum ratus, tradere, ubi vellet, urbem Philoclem iussit. Nocte ignaris omnibus acceptus in urbem est tyrannus; prima luce occupat superiora omnia loca, portaeque clausae. Paucis principum tumultum inter primum elapsis, eorum absentium direptae fortunae; praesentibus aurum atque argentum ablatum; pecuniae imperatae ingentes. Qui non cunctanter contulere sine contumelia et laceratione corporum sunt dimissi; quos occulere aut retrahere aliquid suspicio fuit, in servilem modum lacerati atque extorti. Concione inde advocata rogationem promulgavit, unam de tabulis novis, alteram de agro viritim dividendo; duas faces novantibus res ad plebem in optimates accendendam.

Postquam in postestate Argivorum civitas erat nihil eius memor tyrannus, a quo eam civitatem et quam in conditionem accepisset, legatos Elatiam ad Quinctium et Attalum Aeginae hibernantem mittit, qui nunciarent, Argos in postestate sua esse; eo si veniret Quinctius ad colloquium, non diffidere, sibi omnia cum eo conventura. Quinctius, ut eo quoque praesidio Philippum nudaret, quum annuisset se venturum, mittit ad Attalum, ut ab Aegina Sicyonem sibi occurreret; ipse ab Anticyra decem quinqueremibus, quas iis forte ipsis diebus L. Quinctius frater eius adduxerat ex hibernis Corcyrae, Sicyonem transmisit. Iam ibi Attalus erat; qui quum tyranno ad Romanum imperatorem, non Romano ad tyrannum eundum

diceret in sententiam suam Quinctium traduxit, ne in urbem ipsam Argos iret. Haud procul urbe Mycenica vocatur; in eo loco ut congrederentur convenit. Quinctius cum fratre et tribunis militum paucis, Attalus cum regio comitatu, Nicostratus Achaeorum praetor (a Vergiliarum ortu 197 ad Maium mensem 196 a. Chr. hunc praetorem fuisse, simulque colloquium illud habitum esse mense Aprili ante Kal. Maias intelligitur. Liv. XXXII, 39, 7. c. 40, 4. Manso l. c.) cum auxiliaribus paucis venit. Tyrannum ibi cum omnibus copiis opperientem invenerunt. Progressus armatus cum satellitibus armatis est in medium fere interiacentis campi; inermis Quinctius cum fratre et duobus tribunis militum; inermi item regi praetor Achaeorum et unus ex purpuratis latus cingebant. Initium sermonis ab excusatione tyranni ortum, quod armatus ipse armatisque septus, quum inermes Romanum imperatorem regemque cerneret, in colloquium venisset; neque enim se illos timere, dixit, sed exules Argivorum. Inde ubi de conditionibus amicitiae coeptum agi est; Romanus duas postulare res; unam, ut bellum cum Achaeis finiret; alteram, ut adversus Philippum mitteret secum auxilia. Ea se missurum dixit; pro pace cum Achaeis induciae impetratae, donec bellum cum Philippo finiretur.

De Argis quoque disceptatio ab Attalo rege est nata quum fraude Philoclis proditam urbem vi ab eo teneri argueret, ille ab ipsis Argivis, ut se defenderet, accitum. Concionem Argivorum rex postulabat, ut id sciri posset. Nec tyrannus abnuere, sed deductis ex urbe praesidiis liberam concionem, non immixtis Lacedaemoniis, declaraturam, quid Argivi vellent, praeberi debere dicebat rex. Tyrannus negavit deducturum. Haec disceptatio sine exitu fuit.

De colloquio discessum, sexcentis Cretensibus ab tyranno datis Romano, induciisque inter Nicostratum praetorem Achaeorum et Lacedaemoniorum tyrannum in quattuor menses factis. Inde Quinctius Corinthum est profectus, et ad portam cum Cretensium cohorte accessit,

ut Philocli praefecto urbis appareret, tyrannum a Philippo descisse. Philocles et ipse ad imperatorem Romanum in colloquium venit hortantique, ut extemplo transiret urbemque traderet, ita respondit, ut distulisse rem magis, quam negasse, videretur. A Corintho Quinctius Anticyram traiecit; inde fratrem ad tentandam Acarnanum gentem misit.

Attalus ab Argis Sicyonem est profectus. Ibi et civitas novis honoribus veteres regis honores auxit et rex ad id, quod sacrum Apollinis agrum grandi quondam pecunia redemerat eis, tum quoque, ne sine aliqua munificentia praeteriret civitatem sociam atque amicam, decem talenta argenti dono dedit et decem millia medimnum frumenti; atque ita Cenchreas ad naves rediit (Polyb. XVII, 16.).

Et Nabis firmato praesidio duce Timocrate Pellenensi, cuius fide atque opera in gravissimis negotiis utebatur, Argis Lacedaemonem regressus quum ipse viros spoliasset ad feminas spoliandas uxorem (Apegam, Polyb. XVII, 6.) Argos remisit. Ea nunc singulas illustres, nunc simul plures genere inter se iunctas domum arcessendo blandiendoque ac minando, non aurum modo iis, sed postremo vestem quoque mundumque omnem muliebrem ademit (Polyb. XVII, 17. Liv. XXXII, 38-40.).

Haec per hiemem gesta, A. U. C. 556 et 557 (Liv. XXXIII, 1.).

§. 77.

Belli cum Philippo secundi finis.

Veris initio (197 a. Chr. post Kal. Maias tamen) Boeotis quoque, sicut prius Achaeis, Aristaeni (non Achaeorum praetoris, sed viri praetorii, cf. quae notavimus sub finem §. 72.) hortatu, ad societatem adscitis, T. Quinctius Elatiam, unde profectus erat, redit, omnibus iam cogitationibus in Philippum, et quod reliquum belli erat, conversis (Liv. XXXIII, 1. 2.).

Philippus quoque primo vere, postquam legati ab Roma nihil pacati retulerant (cf. Plut. Flamin. c. 7.),

delectum per omnia oppida regni habere instituit in magna inopia iuniorum; absumserant enim per multas iam aetates continua bella Macedonas, ipso quoque regnante, et navalibus bellis adversus Rhodios Attalumque, et terrestribus adversus Romanos ceciderat magnus numerus. Ita et tirones ab sedecim annis milites scribebat, et emeritis quidam stipendiis, quibus modo quidquam roboris erat, ad signa revocabantur. Ita suppleto exercitu secundum vernum aequinoctium omnes copias Dium contraxit; ibique stativis positis exercendo quotidie milite hostem opperiebatur.

T. Quinctius proconsul, assumtis Aetolorum sex millibus [1]) peditum cum trecentis equitibus, Phaenea duce, ceterisque sociis, adversus Philippum in Thessaliam movet. Ibi dum ambo Scotussam petunt (Polyb. XVIII, 2—4. Liv. XXXIII, 5. 6. Plutarchus Flam. c. 7. primo die abstinuisse regem pugna scribit.), in tumulis Cynoscephalis praecursorum certamen contrahitur, quibus quum utrinque copiae submittantur, tandem iusto proelio confligitur, quo Macedones prorsus vincuntur, Aetolis in ea re haud contemnendum auxilium praestantibus. (Cf. Polyb. XVIII, 2, 9—12. 4, 5—8. 5, 4—6. Liv. XXXIII, 8—7. Plut. Flamin. c. 7. Zonar. l. c. IX, 16. qui Aetolis victoriae gloriam falso attribuit. Cf. Lucas l. c. p. 126. extr.) Romani victores in castra hostium spe praedae irruunt, verum ea magna iam ex parte direpta ab Aetolis inveniunt. (Cf. Plut. Flamin. c. 8. extr.) Philippus Tempis cum proconsule collocutus inducias impetrat, quibus legatos de pace Romam mittat (Polyb. XVIII, 5—11.

---

1) Plutarchus enim (Flamin. c. 7.) tot convenisse Aetolos proconsuli narrat. Livius contra (XXXIII, 3.) duo millia peditum et quadringentos equites. Ac Livius quidem quum (XXXVI, 15.) ante pugnam ad Thermopylas commissam aliquanto Aetolorum pauciores quam unquam antea convenisse et quattuor tamen eorum fuisse millia scribat, iam Plutarchi numerum accuratiorem existimamus esse eumque apud Livium reponendum.

Liv. XXXIII, 7—13. Plut. Flam. c. 8. Iust. XXX, 4. Paul. Oros. IV, 20.).

Haec pugna ad Cynoscephalas commissa est paulo ante messem Ol. 145, 3 exeunte vel 4 ineunte (Polyb. XVIII, 3. Liv. XXXIII, 6.), quum Philippus ab anno quarto Olympiadis 139 viginti tres annos et novem menses regnasset (Euseb. Interpret. Armen. p. 38. falso ibid. p. 39. Niebuhrius corrigens 22 pro 23 scribit.). Clinton vero (l. c. ad annum 197 a. Chr.) hanc pugnam auctumno anni 197 a. Chr. attribuit (Liv. XXXIII, 2.). Certe inter utrumque numerum non multum temporis intercedit. Nuncius huius victoriae Romam venit auctumno eiusdem anni.

Caussa Romano imperatori non alia maior fuisse dicitur pacis maturandae, quam quod Antiochum bellum transitumque in Europam moliri constabat (Polyb. XVIII, 21. 22. Liv. XXXIII, 13.). Appianus tamen addit (Maced. Ecl. 7.): τάχα δ᾽ αὐτὸν (Flamininum) καὶ τὸ παράδοξον τῆς νίκης ἀγαπᾶν ἐποίει. (Cf. Plut. Flam. c. 9.)

Eodem tempore, atque, ut quidam tradidere, eodem die ad Corinthum Achaei ducem regium Androsthenem iusto proelio fuderunt. Eam urbem pro arce habiturus Philippus adversus Graeciae civitates et principes inde evocatos per speciem colloquendi, quantum equitum dare Corinthii ad bellum possent, retinuerat pro obsidibus et praeter quingentos Macedonas mixtosque ex omni genere auxiliorum octingentos, quod iam ante ibi fuerat, mille Macedonum eo miserat et mille ac ducentos Illyrios Thracasque et Cretenses, qui in utraque parte militabant, octingentos. His additi Boeoti Thessalique et Acarnanes mille, scutati omnes, et ex ipsorum Corinthiorum iuventute, impleta ut essent sex millia armatorum, fiduciam Androstheni fecerunt acie decernendi. Nicostratus, praetor Achaeorum, Sicyone erat cum duobus millibus peditum, centum equitibus, sed imparem se et numero et genere militum cernens moenibus non excedebat. Regiae copiae peditum equitumque vagae Pellenensem et Phliasium et Cleonaeum agrum depopulabantur.

Postremo exprobrantes metum hosti in fines Sicyoniorum transcendebant, navibus etiam circumvecti omnem oram Achaiae vastabant. Quum id effusius hostes et, ut fit ab nimia fiducia, negligentius etiam facerent, Nicostratus spem nactus necopinantes eos aggrediendi circa finitimas civitates nuncium occultum mittit, qua die et quot ex quaque civitate armati ad Aplaurum (Stymphaliae terrae is locus est) convenirent. Omnibus ad diem edictam paratis profectus inde extemplo per Phliasiorum fines nocte Cleonas insciis omnibus, quid pararet, pervenit. Erant autem cum eo quinque millia peditum, ex quibus armaturae levis, et trecenti equites, cum iis copiis dimissi, qui specularentur, quam in partem hostes effunderent sese, opperiebantur.

Androsthenes omnium ignarus Corintho profectus ad Nemeam amnem castra locat. Ibi parte dimidia exercitus dimissa dimidiam trifariam divisit et omnes equites discurrere ad depopulandos simul Pellenensium Sicyoniumque agros et Phliasium iubet. Haec tria diversa agmina discessere. Quod ubi Cleonas ad Nicostratum perlatum est, extemplo validam mercenariorum manum praemissam ad occupandum saltum, per quem transitus in Corinthium est agrum, ante signa equitibus, ut praegrederentur, locatis ipse confestim agmine duplici sequitur. Parte una mercenarii milites ibant cum levi armatura, altera clypeati, dein aliarum gentium exercitus robur erat. Iam haud procul castris aberant pedites equitesque et Thracum quidam in vagos palatosque per agros hostes impetum fecerunt quum repens terror castris infertur. Trepidare dux, ut qui hostes nusquam, nisi raro in collibus ante Sicyonem, non audentes agmen demittere in campos, vidisset, ad Cleonas quidem accessuros nunquam credidisset; revocari tuba iubet vagos a castris dilapsos. Ipse raptim capere arma iussis militibus infrequenti agmine porta egressus super flumen instruit aciem. Ceterae copiae vix colligi atque instrui quum potuissent primum hostium impetum non tulerunt. Macedones et maxime omnium frequentes ad signa fuerant et diu ancipitem vi-

ctoriae spem fecerunt; postremo fuga ceterorum nudati quum duae iam acies hostium ex diverso, levis armatura ab latere, clypeati cetratique a fronte urgerent, et ipsi re inclinata primo retulere pedem, deinde impulsi terga vertunt et plerique abiectis armis nulla spe castrorum tenendorum relicta Corinthum petierunt. Nicostratus mercenariis militibus ad hos persequendos, equitibus Thracumque auxiliis in populatores agri Sicyonii missis magnam ubique caedem edidit, maiorem prope, quam in proelio ipso. Ex iis quoque, qui Pellenen Phliuntaque depopulati erant, incompositi partim omniumque ignari ad castra revertentes in hostium stationes, tanquam in suas, illati sunt, partim ex discursu id, quod erat, suspicati ita se in fugam passim sparserunt, ut ab ipsis agrestibus errantes circumvenirentur. Ceciderunt eo die mille et quingenti, capti trecenti. Achaia omnis magno liberata metu (Liv. XXXIII, 14. 15.).

Priusquam dimicaretur ad Cynoscephalas L. Quinctius Corcyram excitis Acarnanum principibus, quae sola Graeciae gentium in societate Macedonum manserat, initium quoddam ibi motus fecit. Duae autem maxime caussae eos tenuerant in amicitia regis, una fides insita genti, altera metus odiumque Aetolorum. Audito autem proelio, quod ad Cynoscephalas pugnatum erat, captaque a Romanis Leucade, omnes populi Acarnaniae in deditionem legati venerunt (Liv. XXXIII, 16. 17.).

Iisdem diebus omnia simul inclinante fortuna Rhodii quoque ad vindicandam a Philippo continentis regionem, quam Peraeam vocant, possessam a maioribus suis, Pausistratum praetorem cum octingentis Achaeis peditibus, mille et nongentis fere armatis, ex vario genere auxiliorum collectis, miserunt. Cum his copiis Pausistratus Tendeba in Stratonicensi agro locum peropportunum ignaris regiis, qui tenuerant, occupavit. In tempore et ad id ipsum excitum auxilium mille Achaei pedites cum centum equitibus supervenerunt. Theoxenus iis praeerat. Ad Alabanda maius aliquanto proelium contra Macedonas duce Dinocrate, quam pro numero, edidere, pugnantium;

nec enim plus terna millia peditum fuere et centeni ferme equites; ceterum non numero tantum, nec armorum genere, sed animis quoque paribus et aequa spe pugnarunt. Diu anceps pugna stetit. Deinde turbati Macedones tumultum primo inter se fecerunt, terga deinde vertunt, postremo abiectis armis in praecipitem fugam effusi Bargylias petentes fugerunt, quo et Dinocrates perfugit. Rhodii Peraeam receperunt. Haec in Thessalia, haec in Achaia, haec in Asia per eosdem dies ferme gesta (Liv. XXXIII, 18.).

Philippus interea in Macedoniam contra Dardanos transgressos fines ab contemtu concussi tum regni profectus erat eosque facili negotio devictos Macedonia excedere coegit, seque Thessalonicam recepit.

Non tam in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne simul et cum Philippo foret bellandum, quam opportune iam Antiocho in Syria moliente bellum Philippus est superatus; nam praeterquam quod facilius cum singulis, quam si in unum ambo simul contulissent vires, bellatum est, Hispania quoque sub idem tempus magno tumultu ad bellum contra Romanos consurrexit.

Multa tum egregia Rhodii pro fide erga populum Romanum proque universo nomine Graecorum terra marique ausi sunt, nihil magnificentius, quam quod ea tempestate non territi tanta mole imminentis belli legatos ad Antiochum regem miserunt Nephelida, si eo non contineret copias suas, se obviam ituros; non ab odio ullo, sed ne coniungi cum Philippo paterentur et impedimento esse Romanis liberantibus Graeciam; neque alteram curam omiserunt, tuendae libertatis civitatum sociarum Ptolemaei, quibus bellum ab Antiocho imminebat; nam alias auxiliis iuverunt, alias providendo ac praemonendo conatus hostis. Verum operae non est persequi, ut quaeque acta in his locis sint, quum ad ea, quae proprie Achaeorum historiae sunt, vix sufficiam (Liv. XXXIII, 19. 20.).

Eodem tempore et Attalus rex aeger Thebis Pergamum advectus moritur altero et septuagesimo anno, quum

quattuor et quadraginta annos regnasset (Liv. XXXIII, 21. Polyb. XVIII, 24. Plut. vit. Flamin. c. 6. extr.).

Quinctius consul hibernabat Athenis (Liv. XXXIII, 27.).

§. 78.

Pax. Isthmia.

L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello hieme anni 557 U. C. = 197 a. Chr. Coss. creatis exitu eius anni literae a T. Quinctio Romam venerunt, se signis collatis cum rege Philippo in Thessalia pugnasse, hostium exercitum fusum fugatumque. Brevi post legati et a T. Quinctio et ab rege venerunt. Senatus ad aedem Bellonae est habitus. Haud multa verba facta quum Macedones, quaecunque senatus censuisset, id regem facturum esse, dicerent. Decem legati more maiorum, quorum ex consilio T. Quinctius imperator leges pacis Philippo daret, decreti adiectumque, ut in eo numero legatorum P. Sulpicius et P. Villius essent, qui consules provinciam Macedoniam obtinuissent. Facta vero etiam in senatu mentio societatis est ab Achaeorum legato, Damoxeno Aegiensi. Sed quum orta statim esset altercatio; Elei namque coram praesentes litem Achaeis movebant de Triphylia, Messenii de Asine et Pylo, qui populi socii tunc Romanorum erant, Aetoli denique de Heraea; propterea reiectum est negotium ad decemviros (Polyb. XVIII, 25. Liv. XXXIII, 24. Lucas p. 127. putat quidem Livium ibi a Polybio in caussis legationis expositis paululum recedere; ego vero deprehendere non possum varietatem illam persuasus nonnulla a Livio esse praetermissa.).

Hibernabat eo tempore Athenis Quinctius cum duabus legionibus provinciam eodem exercitu obtinere iussus Proconsul (Liv. XXXIII, 25.), a quo quum multa socii peterent, Boeoti petierunt impetraveruntque, ut hi, qui suae gentis militassent apud Philippum, sibi restituerentur. Id a Quinctio facile impetratum; non quia satis dignos eos credebat, sed quia, Antiocho rege iam suspecto, favor conciliandus nomini Romano apud civitates erat.

Restitutis confestim apparuit, quam nulla inita apud Boeotos gratia esset. Latrocinia enim exercebant militesque Romanos opprimebant, neque tantum odio, sed etiam aviditate praedae id faciebant. Quum primo pauci, deinde in dies plures desiderarentur, infamis esse Boeotia omnis coepit, et timidius, quam in hostico, egredi castris miles.

Tum Quinctius legatos ad quaerendum de latrociniis per civitates mittit; multa facinora Acraephiae et Coroneae facta inveniebantur. Quinctius primo noxios tradi sibi iussit et pro quingentis militibus (tot enim intercepti erant) quingenta talenta Boeotos conferre. Quorum neutrum quum fieret, verbis tantum civitates excusarent, nihil publico consilio factum esse; missis Athenas et in Achaiam legatis, [1]) qui testarentur sociis, iusto pioque bello se persecuturum Boeotos, et cum parte copiarum P. Claudio Acraephiam ire iusso, cum parte Coroneam circumsedit, evastatis prius agris, qua ab Elatia duo diversa agmina iere. Hac perculsi clade Boeoti, quum omnia terrore ac fuga complessent, legatos mittunt; qui quum in castra non admitterentur, Achaei Atheniensesque supervenerunt. Plus auctoritatis Achaei habuerunt, deprecantes; ac, ni impetrassent pacem Boeotis, bellum simul gerere decreverunt. Per Achaeos et Boeotis copia adeundi alloquendique Romanum facta est, iussisque tradere noxios et mulctae nomine triginta talenta conferre, pax data et ab oppugnatione recessum (Polyb. XVIII, 26. Liv. XXXIII, 27—29.). [2])

---

1) Er rief *nicht* die Aetoler auf, die bedeutendste Macht Griechenlands, wir wissen freilich nicht, ob aus absichtlicher Verachtung, oder weil Alexamenes mitgewirkt hatte, sic Lucas l. c. p. 128. Aetoli autem Flaminini offenderant animum et propterea eorum auxiliis usus non videtur esse, praesertim quum vel soli Romani ad debellandos Boeotos suffecissent; socios vero nonnullos excivit, ne omnia pro arbitrio gerere existimaretur.

2) Lucas l. c. Auch bei diesem Vorfalle sehn wir, ait, selbst bei dem Angriffe der Böotischen Parteigänger gegen das Römische

Post paucos dies decem legati ab Roma venerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est. Omnes Graecorum civitates, quae in Europa quaeque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent; quae earum sub ditione Philippi fuissent, praesidia ex his Philippus deduceret; his, quae in Asia essent, Euromo, Pedasisque, et Bargyliis, et Iasso, et Myrina, et Abydo, et Thaso, et Perintho, eas quoque enim placere liberas esse. De Cianorum libertate Quinctius Prusiae, Bithynorum regi, scriberet, quid senatui et decem legatis placuisset. Captivos transfugasque reddere Philippum Romanis, et naves omnes tectas tradere, quin et regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant. Ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum. Bellum extra Macedoniae fines ne iniussu senatus gereret. Mille talentum daret populo Romano, dimidium praesens, dimidium pensionibus decem annorum. Valerius Antias, quaternum millium pondo argenti vectigal in decem annos, triginta quaterna

---

Heer, dass die Aetoler nicht berücksichtigt wurden, obwohl Flamininus zweideutig und, wenn wir an bessere Zeiten denken, unrömisch ihre Hilfe nicht verschmäht hatte, um durch ihren Führer ausführen zu lassen, was er unmittelbar zu bewirken sich schämte. (Aetoli vero eiusmodi flagitium perpetrare non horrebant, et Romanus imperator suos iam nosse deprehenditur ad quamvis infamiam exsequendam paratos homines.) Athen und der Achäische Bund, möchte man schon bei diesem Vorspiel der Schandthat des Bäbius vermuthen, sollten als Hauptmächte Griechenlands hervorgehoben und den zu mächtigen Aetolern schon jetzt entgegengestellt werden. (Et recte quidem ita opinatur auctor doctissimus, ea enim erat Romanorum socios tractandi ratio.) Dies Betragen scheint in den wichtigen Folgen, die es haben musste, von Polybius und natürlich auch von Livius ganz an die Seite gestellt zu sein, um der ὀργή Platz zu machen. (Istam vero ὀργήν, quam nos dicimus indignationem, quae quidem iusta Aetolorum in Romanos erat, Lucas alia videtur, huic certe loco prorsus inconvenienti significatione accepisse ac nimium torsisse, ut vel ab omni prorsus macula puros redderet Aetolos, velut heroes suos.)

millia pondo et ducenta, praesens viginti millia pondo. Idem nominatim adiectum scribit, ne cum Eumene, Attali filio, (novus is tum rex erat) bellum gereret. In haec obsides accepti, inter quos Demetrius, Philippi filius. Adiicit Valerius Antias, Attalo absenti Aeginam insulam elephantosque dono datos et Rhodiis Stratoniceam Cariae atque alias urbes, quas Philippus tenuisset; Atheniensibus insulas datas, Parum, Imbrum, Delum, Scyrum. (Cf. App. Maced. Ecl. VII, 2. unde apparet Aetolorum criminationes, quibus carpebant Flamininum, quod pecunia se corrumpi passus fuisset, vanas fuisse. Cf. Plut. Flamin. c. 9. Liv. XXXIII, 11. sqq. Polyb. XVIII, 17. 19. 20. §. 10—12. c. 21, 4—10. App. l. c. Dio Cass. Fragm. Ursin. ex lib. 34 priorib. c. 157. Male Lucas l. c. p. 127.)

Omnibus Graeciae civitatibus hanc pacem approbantibus soli Aetoli id decretum decem legatorum clam mussantes carpebant: literas inanes vana specie libertatis adumbratas esse. Cur enim alias Romanis tradi urbes, nec nominari eas, alias nominari et sine traditione iuberi liberas esse? nisi ut, quae in Asia sint, liberentur, longinquitate ipsa tutiores; quae in Graecia sint, ne nominatae quidem intercipiantur, Corinthus, et Chalcis, et Oreum cum Eretria et Demetriade. Nec tota ex vano criminatio erat; dubitabatur enim de Corintho, et de Chalcide, et de Demetriade, quia in senatusconsulto, quo missi decem legati ab urbe erant, ceterae Graeciae atque Asiae urbes haud dubie liberabantur; de his tribus urbibus legati, quod tempora reipublicae postulassent, id e republica fideque sua facere, statuere iussi erant. Antiochus rex erat, quem transgressurum in Europam, quum primum ei res suae placuissent, non dubitabant; ei tam opportunas ad occupandum patere urbes nolebant. Ab Elatia Anticyram cum decem legatis, inde Corinthum traiecit. Ibi consilia decem legatorum tractabantur. Identidem Quinctius liberandam omnem Graeciam, si Aetolorum linguas retundere, si veram caritatem, maiestatem, apud omnes nominis Romani vellent esse, si fidem facere ad liberandam Graeciam, non ad transferendum a Philippo ad se imperium,

se mare traiecisse. Nihil contra ea de libertate urbium alii dicebant; ceterum ipsis tutius esse, manere paulisper sub tutela praesidii Romani, quam pro Philippo Antiochum dominum accipi. Postremo ita decretum est: Corinthus redderetur Achaeis, ut in Acrocorintho tamen praesidium esset, Chalcidem ac Demetriadem retineri, donec cura de Antiocho decessisset (Polyb. XVIII, 27. 28. Liv. XXXIII, 30. 31. Plut. vit. Flamin. c. 10. App. Maced. Ecl. VII.).[3])

Isthmiorum statum ludicrum aderat; semper quidem et alias frequens quum propter spectaculi studium insitum genti, quo certamina omnis generis artium viriumque ac pernicitatis visuntur, tum quia propter opportunitatem loci per duo diversa maria omnium Graecorum undique conventus erat. Sed exspectatione erecti, qui deinde status futurus Graeciae, quae sua fortuna esset, alii non taciti solum opinabantur, sed sermonibus etiam ferebant. Romani ad spectaculum consederunt, et praeco cum tubicine, ut mos est, in mediam arenam, unde solemni certamine ludicrum indici solet, processit et tuba silentio facto ita pronunciat: *Senatus Romanus et T. Quinctius imperator Philippo rege Macedonibusque devictis liberos, immunes, suis legibus esse iubet Corinthios, Phocenses, Locrensesque omnes, et insulam Euboeam, et Magnetas, Thessalos, Perrhaebos, Achaeos Phthiotas.* Percensuerat omnes gentes, quae sub ditione Philippi regis fuerant.[4]) Audita voce praeconis maius gaudium fuit, quam quod universum homines caperent. Vix satis credere se quisque audisse, alii alios intueri, mirabundi velut somnii vanam speciem,

---

3) Iam considerata rerum, ut tum erant, conditione, neminem profecto fugiet, Aetolos, ubi cum Achaeis comparaveris, ingratos, iniustos nimiumque apparere feroces, deceptos vero, damno affectos nec pro meritis suis, qua par erat, gratia atque honore condonatos a Romanis; quare quae Lucas p. 128. et 129. monuit, bene habent. Nonnulla tamen mera nituntur coniectura.

4) Diese Worte, inquit Lucas p. 129., müssen in weiterm Sinne genommen werden, so dass die Aetolischen Enklaven, wie z. B.

quod ad quemque pertineret suarum aurium fidei minimum credentes proximos interrogabant. Revocatus praeco quum unusquisque non audire, sed vidére libertatis suae nuncium averet, iterum pronunciaret eadem. Tum ab certo iam gaudio tantus cum clamore plausus est ortus totiesque repetitus, ut facile appareret, nihil omnium bonorum multitudini gratius, quam libertatem esse. Ludicrum deinde ita raptim peractum est, ut nullius nec animi, nec oculi spectaculo intenti essent. Adeo unum gaudium praeoccupaverat omnium aliarum sensum voluptatum.

Ludis vero dimissis cursu prope omnes tendere ad imperatorem Romanum, ut, ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque iacientium, haud procul periculo fuerit. Sed erat trium ferme et triginta annorum, et cum robur iuventae, tum gaudium ex tam insigni gloriae fructu vires suppeditabant. Nec praesens omnium modo effusa laetitia est, sed per multos dies gratiis et cogitationibus et sermonibus revocata: Esse aliquam in terris gentem, quae sua impensa, suo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum; nec hoc finitimis, aut propinquae vicinitatis hominibus, aut terris continenti iunctis praestet, maria traiiciat, ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, et ubique ius, fas, lex potentissima sint. Una voce praeconis liberatas omnes Graeciae atque Asiae urbes. Hoc spe concipere audacis animi fuisse, ad effectum adducere virtutis et fortunae ingentis (Liv. XXXIII, 32. 33.

Larissa, Kremaste und Echinus mit darunter begriffen waren. Uebrigens wurden die Aetoler mit ihrem Ansprüche auf den Besitz von Pharsalus (in Folge des frühern Bündnisses mit den Römern) und von Leukas (Heräa erhielten die Achäer, das Phthiotische Theben blieb frei) von den zehn Abgeordneten an den Senat verwiesen (Liv. XXXIII, 34. Polyb. XVIII, 30, 10.). Die Phokeer und Lokrer aber durften sie wie früherhin in ihrem Bunde haben. Hier treten also die Römer schon offen als Herren ihrer früheren Bundesgenossen, der Aetoler, auf. Dolopes etiam apud Polybium XVIII, 29. et Liv. XXXIII, 32. omissi sunt, qui sub Macedonum imperio fuerant. Polyb. XVIII, 30.

Polyb. XVIII, 29. Plut. Flamin. c. 11. Appian. l. c. Valer. Max. mem. IV, 8, 5. Romanae liberalitatis coelestem spiritum nullae literae satis dignis laudibus prosequentur. Cf. Flor. II, 7.).

Secundum ista iam Quinctius et decem legati legationes regum, gentium, civitatumque audivere. [illegible] omnium regis Antiochi vocati legati sunt. His n[illegible]am perplexe, ut ante, quum dubiae res incolumi Philippo erant, sed aperte pronunciatum, ut excederet Asiae urbibus, quae aut Philippi, aut Ptolemaei regum fuissent; abstineret liberas omnesque Graecas. Ante omnia denunciatum, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias traiiceret. Dimissis regis legatis, conventus gentium civitatumque est haberi coeptus, eoque maturius peragebatur, quod decreta decem legatorum civitates nominatim pronunciabant. Orestis, quod primi ab rege defecissent, suae leges redditae. Magnetes et Perrhaebi et Dolopes liberi quoque pronunciati. Thessalorum genti praeter libertatem concessam Achaei Phthiotae dati, Thebis Phthioticis et Pharsalo excepta. Aetolos de Pharsalo et Leucade postulantes, ut ex foedere sibi restituerentur, ad senatum reiecerunt. Phocenses, Locrenses et quae sicut ante fuerant adiecta decreti auctoritate his contribuerunt. Corinthus et Triphylia et Heraea (Peloponnesi et ipsa urbs est) reddita Achaeis. Oreum et Eretriam decem legati Eumeni regi, Attali filio, dabant; dissentiente Quinctio venit res in arbitrium senatus; senatus libertatem his civitatibus dedit, Carysto adiecta. Pleurato Lycus et Parthini dati; Illyriorum utraque gens sub ditione Philippi fuerat. Amynandrum tenere iusserunt castella, quae per belli tempus Philippo capta ademisset.

Dimisso conventu decem legati partiti munia inter se ad liberandas suae quisque regionis civitates discesserunt: P. Lentulus Bargylias, L. Stertinius Hephaestiam et Thasum et Thraciae urbes, P. Villius et L. Terentius ad regem Antiochum, Cn. Cornelius ad Philippum, et Aetolos, quos in concilio Pylaico praecipue monuit, ut constanter et fideliter in amicitia populi Romani permanerent.

Adversus Aetolorum querelas et incusationes respondere (ne in altercationem excederet res) quum supersedisset Romanus, omnia eos aequa impetraturos, si Romam misissent, dixit.

Hunc finem bellum cum Philippo habuit, 558 U. C. = 196 a. Chr. (Liv. XXXIII, 34. 35. Polyb. XVIII, 30. 31. Plut. Flamin. c. 12.)

Caput decimum.

Res a pace Quinctii ad Philopoemenis mortem gestae.

§. 79.

Bellum adversus Nabin primum.

Eodem tempore suspectis non solum Antiocho et Aetolis (Liv. XXXIII, 38—41. Polyb. XVIII, 32—35.) sed etiam Nabide, Lacedaemoniorum tyranno, prorogatum in annum imperium est, duas legiones ut haberet, L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone Coss. 559 U. C. = 195 a. Chr. quo anno apud Achaeos iterum praetor erat Aristaenus (a Maio mense 195 ad Maium 194 a. Chr. Liv. XXXIV, 24—26. cf. Iustin. XXXI, 1.)

Decem legati, quum Romam rediissent, exposuerunt, praeter Aetolos haerere et aliud in visceribus Graeciae ingens malum, Nabin, nunc Lacedaemoniorum, mox, si liceat, universae Graeciae futurum tyrannum, avaritia et crudelitate omnes fama celebratos tyrannos aequantem. Cui si Argos, velut arcem Peloponneso impositam, tenere liceat, deportatis in Italiam Romanis exercitibus, nequidquam liberatam a Philippo Graeciam fore; pro rege, si nihil aliud, longinquo vicinum tyrannum dominum habituram. Patres vero, quorum omnes curae utique in Antiochum regem conversae erant, permiserunt T. Quinctio, quod ad Nabin Lacedaemonium attineret, faceret, quae e republica censeret esse; eam rem esse rati, quae ma-

turata dilatave non tam magni momenti ad summam rem populi Romani esset. Magis id animadvertendum esse, quid Hannibal et Carthaginienses, si cum Antiocho ortum foret bellum, acturi essent. (Cf. Iust. XXXI, 1. 2.)

Aetolorum quoque eodem tempore alienati ab societate Romana animi sunt; quorum legatos [illegible]um et Leucadem et quasdam alias civitates ex prisco foedere petentes senatus ad Quinctium reiecit (Liv. XXXIII, 43—49.).

T. Quinctio in Graecia ita hibernis actis, ut exceptis Aetolis, quibus nec pro spe victoriae praemia contigerant, nec diu quies placere poterat, universa Graecia simul pacis libertatisque perfruens bonis egregie statu suo gauderet, nec magis in bello virtutem Romani ducis, quam in victoria temperantiam iustitiamque et moderationem miraretur, senatusconsultum, quo bellum adversus Nabin Lacedaemonium decretum erat, affertur. Quo lecto Quinctius conventu Corinthum omnium sociarum civitatum legationibus in diem certam edicto, ubi frequentes undique principes convenerunt, ita ut ne Aetoli quidem abessent, tali oratione est usus: Bellum adversus Philippum non magis communi animo consilioque Romani et Graeci gesserunt, quam utrique suas caussas belli habuerunt. Nam et Romanorum amicitiam, nunc Carthaginienses hostes eorum iuvando, nunc his sociis nostris oppugnandis, violaverat, et in vos talis fuit, ut nobis, etiamsi nostrarum oblivisceremur iniuriarum, vestrae iniuriae satis dignae caussae belli fuerint. Hodierna consultatio tota ex vobis pendet. Refero enim ad vos, utrum Argos, sicut scitis ipsi, ab Nabide occupatos pati velitis sub ditione eius esse, an aequum censeatis, nobilissimam vetustissimamque civitatem in media Graecia sitam repeti in libertatem et eodem statu, quo ceteras urbes Peloponnesi et Graeciae, esse. Haec consultatio, ut videtis, tota de re pertinente ad vos est; Romanos nihil contingit, nisi quatenus liberatae Graeciae unius civitatis servitus non plenam nec integram gloriam esse sinit. Ceterum si vos nec cura eius civitatis, nec exemplum, nec periculum movet, ne serpat latius contagio eius mali, nos aequi bonique facere

De hac re vos consulo staturus eo, quod plures censueritis.

Post orationem Romani imperatoris percenseri aliorum sententiae coeptae sunt. Quum legatus Atheniensium, quantum poterat gratiis agendis, Romanorum in Graeciam merita extulisset, imploratos auxilium, adversus Philippum tulisse opem; non rogatos, ultro adversus tyrannum Nabin offerre auxilium; indignatusque esset, haec tanta merita sermonibus tamen aliquorum carpi futura calumniantium, quum fateri potius praeteritorum gratiam deberent; apparebat incessi Aetolos. Igitur Alexander princeps gentis, invectus primum in Athenienses, libertatis quondam duces et auctores, assentationis propriae gratia communem caussam prodentes, questus deinde, Achaeos, Philippi quondam milites, postremum ab inclinata eius fortuna transfugas, et Corinthum recepisse, et id agere, ut Argos habeant; Aetolos, primos hostes Philippi, semper socios Romanorum, pactos in foedere suas urbes agresque fore devicto Philippo, fraudari Echino et Pharsalo; insimulavit fraudis Romanos, quod vano titulo libertatis ostentato Chalcidem et Demetriadem praesidiis tenerent, qui Philippo, cunctanti deducere inde praesidia, obiicere semper soliti sint, nunquam donec Demetrias Chalcisque et Corinthus tenerentur liberam Graeciam fore; postremo, quia remanendi in Graecia retinendique exercitus Argos et Nabin caussam facerent. Deportarent legiones in Italiam. Aetolos polliceri, aut conditionibus et voluntate sua Nabin praesidium Argis deducturum, aut vi atque armis coacturos in potestate consentientis Graeciae esse.

Haec vaniloquentia primum Aristaenum praetorem Achaeorum excitavit. Ne istuc, inquit, Iuppiter optimus maximus sirit, Iunoque regina, cuius in tutela Argi sunt, ut illa civitas inter tyrannum Lacedaemonium et latrones Aetolos praemium sit posita, in eo discrimine, ut miserius a nobis recipiatur, quam ab illo capta est. Mare interiectum ab istis praedonibus non tuetur nos, T Quincti. Quid, si in media Peloponneso arcem sibi fecerint, futu-

rum nobis est? Linguam tantum Graecorum habent, sicut speciem hominum. Moribus ritibusque efferatioribus, quam ulli barbari, immo quam immanes belluae vivunt. Itaque vos rogamus, Romani, ut et ab Nabide Argos recuperetis et ita res Graeciae constituatis, ut ab latrocinio quoque Aetolorum satis pacata haec relinquatis. Romanus, cunctis undique increpantibus Aetolos, responsurum se fuisse iis, dixit, nisi ita infensos omnes in eos videret, ut sedandi potius, quam irritandi essent. Contentum itaque opinione ea, quae de Romanis Aetolisque esset, referre se, dixit, quid de Nabidis bello placeret, nisi redderet Achaeis Argos? Quum omnes bellum decressent; auxilia ut pro viribus suis quaeque civitates mitterent est hortatus. Ad Aetolos legatum etiam misit, magis ut nudaret animos, id quod evenit, quam spe impetrari posse (Liv. XXXIV, 22 — 24.).

Tribunis militum, ut exercitum ab Elatia arcesserent, imperavit. Per eosdem dies et Antiochi legatis de societate agentibus respondit, Nihil se absentibus decem legatis sententiae habere; Romam eundum ad senatum iis esse. Ipse copias adductas ab Elatia ducere Argos pergit; atque ei circa Cleonas Aristaenus praetor cum decem millibus Achaeorum, equitibus mille occurrit, et haud procul inde iunctis exercitibus posuerunt castra. Postero die in campum Argivorum descenderunt et quattuor ferme millia ab Argis locum castris capiunt. Praefectus praesidio Laconum erat Pythagoras, gener idem tyranni et uxoris eius frater, qui sub adventum Romanorum et utrasque arces (nam duas habent Argi) et loca alia, quae aut opportuna, aut suspecta erant, validis praesidiis firmavit. Sed inter agenda haec pavorem iniectum adventu Romanorum dissimulare haudquaquam poterat, et ad externum terrorem intestina etiam seditio accessit. Damocles erat Argivus, adolescens maioris animi, quam consilii, qui primo iureiurando interposito de praesidio expellendo cum idoneis collocutus, dum vires adiicere coniurationi studet, incautior fidei aestimator fuit. Colloquentem eum cum suis satelles a praefecto missus quum

arcesseret sensit proditum consilium esse, hortatusque coniuratos, qui aderant, ut potius, quam extorti morerentur, arma secum caperent, atque ita cum paucis in forum ire pergit clamitans, ut qui salvam rempublicam vellent auctorem et ducem se libertatis sequerentur. Haud sane movit quemquam, quia nihil usquam spei propinquae, nedum satis firmi praesidii, cernebant. Haec vociferantem eum Lacedaemonii circumventum cum suis interfecerunt; comprehensi deinde quidam et alii; ex iis occisi plures, pauci in custodiam coniecti; multi proxima nocte funibus per murum demissi ad Romanos transfugerunt.

Quinctius affirmantibus iis, si ad portas Romanus exercitus fuisset, non sine effectu futurum eum motum fuisse, et, si propius castra admoverentur, non quieturos Argivos, misit expeditos pedites equitesque, qui circa Cylarabin (gymnasium id est minus trecentos passus ab urbe) cum erumpentibus a porta Lacedaemoniis proelium commiserunt atque eos haud magno certamine compulerunt in urbem; et castra eo ipso loco, ubi pugnatum erat, imperator Romanus posuit. Diem inde unum in speculis fuit, si quid novi motus oriretur. Postquam oppressam metu civitatem vidit advocat concilium de oppugnandis Argis. Omnium principum Graeciae, praeter Aristaenum, eadem sententia erat; quum caussa belli non alia esset, inde potissimum ordiundi bellum. Quinctio id nequaquam placebat, sed Aristaenum contra omnium consensum disserentem cum haud dubia approbatione audivit; et ipse adiecit, quum pro Argivis adversus tyrannum bellum susceptum sit, quid minus conveniens esse, quam omisso hoste Argos oppugnari? Se vero caput belli Lacedaemonem et tyrannum petiturum. Et dimisso concilio frumentatum expeditas cohortes misit. Quod maturi erat circa, demessum et convectum est; viride, ne hostes mox haberent, protritum et corruptum.

Castra deinde movit et Parthenio superato monte praeter Tegeam tertio die ad Caryas posuit castra. Ibi priusquam hostium intraret agrum sociorum exspectavit auxilia. Venerunt Macedones a Philippo mille quingenti

et Thessalorum equites quadringenti; nec iam auxilia, quorum affatim erat, sed commeatus finitimis urbibus imperati morabantur Romanum. Navales quoque magnae copiae conveniebant. Iam ab Leucade L. Quinctius quadraginta navibus venerat; iam Rhodiae decem et octo tectae naves; iam Eumenes rex circa Cycladas insulas erat cum decem tectis navibus, triginta lembis mixtisque aliis minoris formae navigiis; ipsorum quoque Lacedaemoniorum exules permulti, tyrannorum iniuria pulsi, spe recuperandae patriae in castra Romana convenerant. Multi autem erant iam per aliquot aetates, ex quo tyranni tenebant Lacedaemonem, alii ab aliis pulsi. [1]) Princeps erat exulum Agesipolis, cuius iure gentis regnum Lacedaemone erat, pulsus infans ab Lycurgo tyranno post mortem Cleomenis, qui primus, ut falso Livius autumat, tyrannus Lacedaemone fuit.

Quum terra marique tantum belli circumstaret tyrannum et prope nulla spes esset vere suas hostiumque aestimanti vires, non tamen omisit bellum, sed et a Creta mille delectos iuventutis eorum excivit, quum mille iam haberet, et tria millia mercenariorum militum, decem millia popularium cum castellanis agrestibus in armis habuit, et fossa valloque urbem communivit; et, ne quid intestini motus oriretur, metu et acerbitate poenarum tenuit animos, quoniam, ut salvum vellent tyrannum, sperare non poterat. Quum suspectos quosdam civium haberet, eductis in campum omnibus copiis (Dromon ipsi vocant) positis armis ad concionem vocari iussit Lacedaemonios, atque eorum concioni satellites armatos cir-

1) Hoc contra chronologiam pugnat; nam post Cleomenis mortem non erant aliquot aetates elapsae. Est vero haec iam ab aliis et nuperrime a Lachmanno l. c. p. 95. notata Livii incuria. Nam quum aliquid *eodem tempore* aut *brevi post*, aut patrum memoria factum dicit, non semper accurate locutus est. Quod h. l. dicit *per aliquot aetates* nonnisi XL anni fuerunt, quibus plures deinceps tyranni exstiterant, Cleomenes, Lycurgus, Machanidas, Nabis.

cumdedit; et pauca praefatus, Cur sibi omnia timenti caventique ignoscendum in tali tempore foret, et ipsorum referre, si quos suspectos status praesens rerum faceret, prohiberi potius, ne quid moliri possint, quam puniri molientes. Itaque quosdam se in custodia habiturum, donec ea, quae instet, tempestas praetereat. Hostibus repulsis, (a quibus, si modo proditio intestina satis caveatur, minus periculi esse) extemplo eos emissurum. Sub haec citari nomina octoginta ferme principum iuventutis iussit, atque eos, ut quisque ad nomen responderat, in custodiam tradidit; nocte insequenti omnes interfecti. Ilotarum deinde quidam (hi sunt iam inde antiquitus castellani, agreste genus) transfugere voluisse insimulati per omnes vicos sub verberibus acti necantur. Hoc terrore obstupuerant multitudinis animi ab omni conatu novorum consiliorum. Intra munitiones copias continebat, nec parem se ratus, si dimicare acie vellet, et urbem relinquere tam suspensis et incertis omnium animis metuens.

Quinctius satis iam omnibus paratis profectus ab stativis die altero ad Sellasiam super Oenunta fluvium pervenit, quo in loco Antigonus, Macedonum rex, cum Cleomene, Lacedaemoniorum rege, signis collatis dimicaverat. Inde quum audisset ascensum difficilis et arctae viae esse brevi per montes circuitu praemissis, qui munirent viam, lato satis et patenti limite ad Eurotam amnem, sub ipsis prope fluentem moenibus, pervenit. Ubi castra metantes Romanos Quinctiumque ipsum cum equitibus atque expeditis praegressum auxiliares tyranni adorti in terrorem ac tumultum coniecerunt, nihil tale exspectantes, quia nemo his obvius toto itinere fuerat ac veluti pacato agro transierant. Aliquamdiu peditibus equites, equitibus pedites vocantibus quum in se cuique minimum fiduciae esset, trepidatum est. Tandem signa legionum supervenerunt, et quum primi agminis cohortes inductae in proelium essent, qui modo terrori fuerant, trepidantes in urbem compulsi sunt. Romani quum tantum a muro recessissent, ut extra ictum teli essent, acie directa paulisper steterunt. Postquam nemo hostium contra exibat, redierunt in castra.

Postero die Quinctius prope flumen praeter urbem sub ipsas Menelaii montis radices ducere copias instructas pergit. Primae legionariae cohortes ibant, levis armatura et equites agmen cogebant. Nabis intra murum instructos paratosque sub signis habebat mercenarios milites (in quibus omnis fiducia erat), ut ab tergo hostem aggrederetur. Postquam extremum agmen praeteriit, tum ab oppido, eodem quo pridie eruperant tumultu, pluribus simul locis erumpunt. Ap. Claudius agmen cogebat, qui ad id, quod futurum erat, ne inopinatum accideret, praeparatis suorum animis, signa extemplo convertit totumque in hostem agmen circumegit. Itaque, velut rectae acies concurrissent, iustum aliquamdiu proelium fuit; tandem Nabidis milites in fugam inclinarunt, quae minus infida ac trepida fuisset, ni Achaei locorum prudentes institissent. Hi et caedem ingentem ediderunt et dispersos passim fuga plerosque armis exuerunt. Quinctius prope Amyclas posuit castra. Inde quum perpopulatus omnia circumiecta urbi frequentis et amoeni agri loca esset, nullo iam hostium porta excedente, movit castra ad flumen Eurotam. Inde vallem Taygeto subiectam agrosque ad mare pertinentes evastat (Liv. XXXIV, 25—29.).

§. 80.

Quae sequuntur.

Eodem fere tempore L. Quinctius maritimae orae oppida partim voluntate, partim metu aut vi recepit. Certior deinde factus, Gythium oppidum omnium maritimarum rerum Lacedaemoniis receptaculum esse, nec procul a mari castra Romana abesse, omnibus id copiis aggredi constituit. Erat eo tempore valida urbs et multitudine civium incolarumque et omni bellico apparatu instructa. In tempore Quinctio rem haud facilem aggredienti rex Eumenes et classis Rhodiorum supervenerunt. Ingens multitudo navalium sociorum, e tribus contracta classibus, intra paucos dies omnia, quae ad oppugnationem urbis terra marique munitae facienda opera erant, effecit. Iam

testudinibus admotis murus subruebatur, iam arietibus quatiebatur. Itaque una crebris ictibus eversa est turris, quodque circa muri erat, casu eius prostratum, et Romani simul a portu, unde aditus planior erat, ut distenderent ab apertiore loco hostes, simul per patefactum ruina iter irrumpere conabantur; nec multum abfuit, quin, qua intenderant, penetrarent; sed tardavit impetum eorum spes obiecta dedendae urbis, mox deinde eadem turbata. Dexagoridas et Gorgopas pari imperio praeerant urbi. Dexagoridas miserat ad legatum Romanum, traditurum se urbem; et quum ad eam rem tempus et ratio convenisset, a Gorgopa proditor interficitur; intentiusque ab uno urbs defendebatur, et difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quinctius cum quattuor millibus delectorum militum supervenisset. Is quum supercilio haud procul distantis tumuli ab urbe instructam aciem ostendisset et ex altera parte L. Quinctius ab operibus suis terra marique instaret, tum vero desperatio Gorgopam quoque coegit id consilii, quod in altero morte vindicaverat, capere; et pactus, ut abducere inde milites, quos praesidii caussa habebat, liceret, tradidit Quinctio urbem. Priusquam Gythium traderetur Pythagoras, praefectus Argis relictus, tradita custodia urbis Timocrati Pellenensi cum mille mercenariis militibus et duobus millibus Argivorum Lacedaemonem ad Nabin venit.

Nabis, sicut primo adventu Romanae classis et traditione oppidorum maritimae orae conterritus erat, sic parva spe quum acquievisset Gythio ab suis retento, postquam id quoque traditum Romanis audivit esse, quum ab terra omnibus circa hostibus nihil spei esset, a mari quoque toto se interclusum, cedendum fortunae ratus, caduceatorem primum in castra misit ad explorandum, si paterentur legatos ad se mitti. Qua impetrata re Pythagoras ad imperatorem venit nullis cum aliis mandatis, quam ut tyranno colloqui cum imperatore liceret. Consilio advocato quum omnes dandum colloquium censuissent dies locusque constituitur. In mediae regionis tumulos modicis copiis sequentibus quum venissent relictis

ibi in statione conspecta utrimque cohortibus, Nabis cum delectis custodibus corporis, Quinctius cum fratre et Eumene rege et Sosilao Rhodio et Aristaeno, Achaeorum praetore, tribunisque militum paucis descendit.

Ibi permisso, ut seu dicere prius, seu audire mallet, ita coepit tyrannus: Si ipse per me, T. Quincti, vosque, qui adestis, caussam excogitare, cur mihi aut indixissetis bellum, aut inferretis, possem, tacitus eventum fortunae meae exspectassem; nunc imperare animo nequivi, quin, priusquam perirem, cur periturus essem, scirem. Et, Hercule, si tales essetis, quales esse Carthaginienses fama est, apud quos nihil societatis fides sancti haberet, in me quoque vobis quid faceretis minus pensi esse, non mirarer. Nunc quum vos intueor Romanos esse video, qui rerum divinarum foedera, humanarum fidem socialem sanctissimam habeatis. Quum me ipse respexi eum esse spero, cui et publice, sicut ceteris Lacedaemoniis, vobiscum vetustissimum foedus sit, et meo nomine privatim amicitia ac societas nuper Philippi bello renovata. At enim ego eam violavi et everti, quod Argivorum civitatem teneo. Quomodo hoc tuear? re, an tempore? Res mihi duplicem defensionem praebet; nam et ipsis vocantibus ac tradentibus urbem eam accepi, non occupavi, et accepi quum Philippi partium, non in vestra societate esset. Tempus autem eo me liberat, quod quum iam Argos haberem societas mihi vobiscum convenit, et ut vobis mitterem ad bellum auxilia, non ut Argis praesidium deducerem, pepigistis. At, Hercle, in ea controversia, quae de Argis est, superior sum et aequitate rei, quod non vestram urbem, sed hostium, quod volentem, non vi coactam, accepi; et vestra confessione, quod in conditionibus societatis mihi Argos reliquistis. Ceterum nomen tyranni et facta me premunt, quod servos ad libertatem voco, quod in agros inopem plebem deduco. De nomine hoc respondere possum, me, qualiscunque sum, eundem esse, qui fui quum tu ipse mecum, T. Quincti, societatem pepigisti. Tum me regem appellari a vobis memini, nunc tyrannum vocari video. Itaque si ego

nomen imperii mutassem, mihi meae inconstantiae, quum vos mutetis, vobis vestrae reddenda ratio est. Quod ad multitudinem servis liberandis auctam et egentibus divisum agrum attinet, possum quidem et in hoc me iure temporis tutari. Iam feceram haec, qualiacunque sunt, quum societatem mecum pepigistis et auxilia in bello adversus Philippum accepistis. Sed si nunc ea fecissem non dico, quid in eo vos laesissem, aut vestram amicitiam violassem? sed illud, me more atque instituto maiorum fecisse. Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quae Lacedaemone fiunt. Nihil comparare singula necesse est; vos a censu equitem, a censu peditem legitis, et paucos excellere opibus, plebem subiectam esse illis, vultis. Noster legumlator non in paucorum manu rempublicam esse voluit, quem vos senatum appellatis, nec excellere unum aut alterum ordinem in civitate, sed per aequationem fortunae ac dignitatis fore credidit, ut multi essent, qui arma pro patria ferrent. Pluribus me peregisse, quam pro patriae sermone brevitatis, fateor. Et breviter peroratum esse potuit, nihil me, postquam vobiscum amicitiam institui, cur eius vos poeniteret, commisisse.

Ad haec imperator Romanus: Amicitia et societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope, rege Lacedaemoniorum iusto ac legitimo,[1]) facta est. Cuius ius tyranni quoque, qui postea per vim tenuerunt Lacedaemone imperium, (quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupaverant) usurparunt, sicut tu quoque hoc Macedonico bello fecisti. Nam quid minus conveniret, quam eos, qui pro libertate Graeciae adversus Philippum

1) Manso (Sparta III, 1. p. 389. Not. y.) Offenbar, inquit, eine blosse Ausflucht von Seiten des Quinctius. Schöpfte indess Livius, wie wohl zu glauben ist, aus dem Polybius, so erhellet, dass Pelops damals noch lebte und nicht, wie man aus Diodor in Excerpt. p. 570. vermuthen sollte, von Nabis, gleich beim Anfange seiner tyrannischen Regierung, umgebracht worden war. Cf. supra §. 69.

gereremus bellum, cum tyranno instituere amicitiam? et tyranno quam, qui unquam, saevissimo et violentissimo in suos? Nobis vero, etiamsi Argos nec cepisses per fraudem, nec teneres, liberantibus omnem Graeciam Lacedaemon quoque vindicanda in antiquam libertatem erat atque in leges suas, quarum modo, tanquam aemulus Lycurgi, mentionem fecisti. An, ut ab Iasso et Bargyliis praesidia deducantur, curae erit nobis? Argos et Lacedaemonem, duas clarissimas urbes, lumina quondam Graeciae, sub pedibus tuis relinquemus; quae titulum nobis liberatae Graeciae servientes deforment? At enim cum Philippo Argivi senserunt. Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris. Satis compertum habemus duorum, aut summum trium in ea re, non civitatis, culpam esse, tam, Hercle, quam in te tuoque praesidio arcessendo accipiendoque in arcem nihil sit publico consilio actum. Thessalos et Phocenses et Locrenses consensu omnium scimus partium Philippi fuisse; tamen quum ceteram liberaverimus Graeciam, quid tandem censes in Argivis, qui insontes publici consilii sint, facturos? Servorum ad libertatem vocatorum et egentibus hominibus agri divisi crimina tibi obiici dicebas; non quidem nec ipsa mediocria, sed quid ista sunt prae iis, quae a te tuisque quotidie alia super alia facinora eduntur? Exhibe liberam concionem vel Argis, vel Lacedaemone, si audire iuvat vera dominationis impotentissimae crimina. Ut omnia alia vetustiora omittam, quam caedem Argis Pythagoras iste gener tuus paene in oculis meis edidit? quam tu ipse, quum iam prope in finibus Lacedaemoniorum essem? Agedum quos in concione comprehensos omnibus audientibus civibus tuis in custodia te habiturum esse pronunciasti, iube vinctos produci, ut miseri parentes, quos falso lugent, vivere sciant. At enim, ut iam ita sint haec, quid ad vos, Romani? Hoc tu dicas liberantibus Graeciam? hoc iis, qui, ut liberare possent, mare traiecerunt, terra marique gesserunt bellum? Vos tamen, inquis, vestramque amicitiam ac societatem proprie non violavi. Quoties vis te id arguam fecisse? Sed nolo

pluribus, summam rem complectar. Quibus igitur rebus amicitia violatur? Nempe his maxime duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si cum hostibus te coniungas. Utrum non a te factum est? nam et Messenen, uno atque eodem iure foederis, quo et Lacedaemonem, in amicitiam nostram acceptam, socius ipse sociam nobis urbem vi atque armis cepisti, et cum Philippo, hoste nostro, non societatem solum, sed, si Diis placet, affinitatem etiam per Philoclem, praefectum eius, pepigisti, et bellum adversus nos gerens mare circa Maleam infestum navibus piraticis fecisti, et plures prope cives Romanos, quam Philippus, cepisti atque occidisti, tutiorque Macedoniae ora, quam promontorium Maleae commeatus ad exercitus nostros portantibus navibus fuit. Proinde parce sis fidem ac iura societatis iactare, et omissa populari oratione tanquam tyrannus et hostis loquere.

Sub haec Aristaenus nunc monere Nabin, nunc etiam orare, ut, dum liceret, dum occasio esset, sibi ac fortunis suis consuleret. Referre deinde nominatim tyrannos civitatum finitimarum coepit, qui deposito imperio restitutaque libertate suis non tutam modo, sed etiam honoratam inter cives senectutem egissent. His dictis invicem auditisque nox prope diremit colloquium. Postero die Nabis, Argis se cedere ac deducere praesidium, quando ita Romanis placeret, et captivos et perfugas redditurum, dixit. Aliud si quid postularent, scriptum ut ederent, petiit, ut deliberare cum amicis posset. Ita et tyranno ad consultandum tempus datum est, et Quinctius sociorum etiam principibus adhibitis habuit consilium. Maximae partis sententia erat: Perseverandum in bello esse et tollendum tyrannum; nunquam aliter tutam libertatem Graeciae fore. Satius multo fuisse, non moveri bellum adversus eum, quam omitti motum; et ipsum velut comprobata dominatione firmiorem futurum auctore iniusti imperii assumto populo Romano, et exemplo multos in aliis civitatibus ad insidiandum libertati civium suorum incitaturum. Ipsius imperatoris animus ad pacem inclinatior erat; videbat enim compulso intra moenia hoste nihil

praeter obsidionem restare. Eam autem fore diuturnam. Non enim Gythium, quod ipsum tamen traditum, non expugnatum esset, sed Lacedaemonem, validissimam urbem viris armisque, oppugnaturos. Unam spem fuisse, si qua admoventibus exercitum dissensio inter ipsos ac seditio excitari posset; quum signa portis prope inferri cernerent, neminem se movisse. Adiiciebat, et cum Antiocho infidam pacem Villium legatum inde redeuntem nunciare; multo maioribus, quam ante, terrestribus navalibusque copiis in Europam eum transisse. Si occupasset obsidio Lacedaemonis exercitum, quibus aliis copiis adversus regem tam validum ac potentem bellum gesturos? Haec propalam dicebat; illa tacita suberat cura, ne novus consul Graeciam provinciam sortiretur, et inchoati belli victoria successori tradenda esset. (Liv. XXXIV, 29—34. Quae Plutarchus in vita Flaminihi c. 13. et Philopoemenis c. 14. et 15. refert ad hoc, de quo supra egimus, tempus non quadrare, sed ad secundum contra Nabin bellum ab Achaeis gestum removenda esse, iam Baumgarten. in Allgem. Weltgesch. Tom. VI. p. 68. sq. Not. 61. notavit.)

Quum adversus tendendo nihil moveret socios simulando se transire in eorum sententiam omnes in assensum consilii sui traduxit. Bene vertat, inquit, quando ita placet, obsideamus Lacedaemonem. Illud modo ne fallat ceterum, quum res tam lenta, quam ipsi scitis, oppugnatio urbium sit, et obsidentibus prius saepe, quam obsessis, taedium afferat, iam nunc hoc ita proponere vos animis oportet, hibernandum circa Lacedaemonis moenia esse. Quae mora si laborem tantum ac periculum haberet, ut et animis et corporibus ad sustinenda ea parati essetis, hortarer vos. Nunc impensa quoque magna eget in opera, in machinationes et tormenta, quibus tanta urbs oppugnanda est, in commeatus vobis nobisque in hiemem expediendos. Itaque ne aut repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter destituatis, scribendum ante vestris civitatibus censeo explorandumque, quid quaeque animi, quid virium habeat. Auxiliorum satis superque habeo, sed, quo plures sumus, pluribus rebus egebimus. Nihil

iam praeter nudum solum ager hostium habet. Ad hoc hiems accedit ad comportandum ex longinquo difficilis.

Haec oratio primum animos omnium ad respicienda cuique domestica mala convertit; segnitiam, invidiam et obtrectationem domi manentium adversus militantes, libertatem difficilem ad consensum, inopiam publicam, malignitatem conferendi ex privato. Versis itaque subito voluntatibus facere, quod e republica populi Romani sociorumque esse crederet imperatori permiserunt.

Inde Quinctius adhibitis legatis tantum tribunisque militum conditiones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripsit: 'Sex mensium induciae ut essent Nabidi Romanisque et Eumeni regi et Rhodiis. Legatos extemplo mitterent Romam T. Quinctius et Nabis, ut pax ex auctoritate senatus confirmaretur. Ex qua die scriptae conditiones pacis editae Nabidi forent, ea dies ut induciarum principium esset, et ut ex ea die intra decimum diem ab Argis ceterisque oppidis, quae in Argivorum agro essent, praesidia omnia deducerentur vacuaque et libera traderentur Romanis; et ne quod inde mancipium regium publicumve aut privatum educeretur, et si qua ante educta forent dominis recte restituerentur. Naves, quas civitatibus maritimis ademisset, redderet, neve ipse navem ullam, praeter duos lembos, qui non plus quam sexdecim remis agerentur, haberet. Perfugas et captivos omnibus sociis populi Romani civitatibus redderet et Messeniis omnia, quae comparerent quaeque domini cognoscerent. Exulibus quoque Lacedaemoniis liberos et coniuges restitueret, quae earum viros sequi voluissent, invita ne qua exulis comes esset. Mercenariorum militum Nabidis, qui aut in civitates suas, aut ad Romanos transissent, iis res suae omnes recte redderentur. In Creta insula ne quam urbem haberet; quas habuisset redderet Romanis. Ne quam societatem cum ullo Cretensium aut quoquam alio institueret, neu bellum gereret. Civitatibus omnibus, quas ipse restituisset, quaeque se suaque in fidem ac ditionem populi Romani tradidissent, omnia praesidia de-

duceret, seque ipse suosque ab his abstineret.[2]) Ne quod oppidum, ne quod castellum in suo alienòve agro conderet. Obsides, ea ita futura, daret quinque, quos imperatori Romano placuisset, filium in his suum, et talenta centum argenti in praesenti, et quinquaginta talenta in singulos annos per annos octo.

Haec conscripta castris propius urbem motis Lacedaemonem mittuntur; nec sane quidquam eorum satis placebat tyranno, nisi quod, praeter spem, reducendorum exulum mentio nulla facta erat; maxime autem omnium ea res offendebat, quod et naves et maritimae civitates ademtae erant. Fuerat autem ei magno fructui mare, omnem oram Maleae praedatoriis navibus infestam habenti; iuventutem praeterea civitatum earum ad supplementum longe optimi generis militum habebat. Has conditiones quamquam ipse in secreto volutaverat cum amicis, vulgo tamen omnes fama ferebant; vanis, ut ad ceteram fidem, sic ad secreta tegenda, satellitum regiorum ingeniis. Non tam omnia universi, quam ea, quae ad quemque pertinerent, singuli carpebant; qui exulum coniuges in matrimonio habebant, aut ex bonis eorum aliquid possederant, tanquam amissuri, non redditturi, indignabantur; servis liberatis a tyranno non irrita modo futura libertas, sed multo foedior, quam fuisset ante, servitus redeuntibus in iratorum dominorum potestatem ante oculos obversabatur; mercenarii milites et pretia militiae casura in pace aegre ferebant, et reditum sibi nullum

2) Manso l. c. p. 391. Not. d. Livius, ait, spricht von Städten überhaupt, und so könnte er freilich blos diejenigen, welche Nabis noch, ausser Argos, im Argiver-Gebiete besass, gemeint haben. Dass er jedoch nicht an diese allein, sondern zugleich an Gythium und andere Lacedämonische, am Meere liegende, Oerter dachte, erhellt deutlich aus 26, 2. vergl. XXXV, 13, 2. Die letztern wurden also damals schon, nicht, wie man gewöhnlich glaubt, erst unter Cäsar August, für frei und unabhängig von Sparta erklärt.

esse in civitates videbant, infensas non tyrannis magis, quam satellitibus eorum.

Haec inter se primo in circulis serentes fremere, deinde ad arma subito discurrerunt. Quo tumultu quum per se satis irritatam multitudinem cerneret tyrannus concionem advocari iussit. Ubi quum ea, quae imperarentur a Romanis, exposuisset et graviora atque indigniora quaedam falso affinxisset et ad singula nunc ab universis, nunc a partibus concionis, acclamaretur interrogavit, Quid se respondere ad ea, aut quid facere vellent? Prope una voce omnes, Nihil respondere, bellum geri iusserunt; et pro se quisque, qualia multitudo solet, bonum animum habere et bene sperare iubentes, fortes fortunam adiuvare aiebant. His vocibus incitatus tyrannus et Antiochum Aetolosque adiuturos pronunciat et sibi ad obsidionem sustinendam copiarum affatim esse. Exciderat pacis mentio ex omnium animis et in stationes non ultra quieturi discurrunt. Paucorum lacessentium excursio et emissa iacula extemplo et Romanis dubitationem, quin bellandum esset, exemerunt. Levia inde proelia per quatriduum primum sine ullo satis certo eventu commissa; quinto die prope iusta pugna adeo paventes in oppidum Lacedaemonii compulsi sunt, ut quidam milites Romani terga fugientium caedentes per intermissa, ut tunc erant, moenia urbem intrarint.

Et tunc quidem Quinctius satis eo terrore coercitis excursionibus hostium nihil praeter ipsius oppugnationem urbis superesse ratus missis, qui omnes navales socios a Gythio arcesserent, ipse interim cum tribunis militum ad visendum urbis situm moenia circumvehitur. Fuerat quondam sine muro Sparta; tyranni nuper locis patentibus planisque obiecerant murum (cf. Paus. VII, 8, 3.), altiora loca et difficiliora aditu stationibus armatorum pro munimento obiectis tutabantur. Ubi satis omnia inspexit corona oppugnandum ratus omnibus copiis (erant autem Romanorum sociorumque simul peditum equitumque, simul terrestrium ac navalium copiarum ad quinquaginta millia hominum) urbem cinxit. Alii scalas, alii ignem, alii alia,

quibus non oppugnarent modo, sed etiam terrerent, portabant. Iussi clamore sublato subire undique omnes, ut, qua primum occurrerent, quave opem ferrent, ad omnia simul paventes Lacedaemonii ignorarent. Quod roboris in exercitu erat trifariam divisum; parte una a Phoebeo, altera a Dictynneo, tertia ab eo loco, quem Heptagonias appellant (omnia autem haec aperta sine muro loca sunt) aggredi iubet. Quum tantus undique terror urbem circumvasisset, primo tyrannus et ad clamores repentinos et ad nuncios trepidos motus, ut quisque maxime laboraret locus, aut ipse occurrebat, aut aliquos mittebat. Deinde circumfuso undique pavore ita obtorpuit, ut nec dicere, quod in rem esset, nec audire posset; nec inops modo consilii, sed vix mentis compos esset.

Romanos primo sustinebant in angustiis Lacedaemonii, ternaeque acies tempore uno locis diversis pugnabant; deinde crescente certamine nequaquam erat proelium par; missilibus enim Lacedaemonii pugnabant, a quibus se et magnitudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles, et quod alii vani, alii leves admodum ictus erant; nam propter angustias loci confertamque turbam non modo ad emittenda cum procursu, quo plurimum concitantur tela, spatium habebant, sed ne ut de gradu quidem libero ac stabili conarentur. Itaque ex adverso missa tela, nulla in corporibus, rara in scutis haerebant; a circumstantibus ex superioribus locis quidam vulnerati sunt, mox progressos iam etiam ex tectis non tela modo, sed tegulae quoque, inopinantes perculerunt. Sublatis deinde supra capita scutis, continuatisque ita inter se, ut non modo ad coecos ictus, sed ne ad inserendum quidem ex propinquo telum loci quidquam esset, testudine facta subibant; et primae angustiae paulisper sua hostiumque refertae turba tenuerunt, postquam in patentiorem viam urbis paulatim urgentes hostem processere, non ultra vis eorum atque impetus sustineri poterant. Quum terga vertissent Lacedaemonii et effusa fuga superiora peterent loca, Nabis quidem ut capta urbe trepidans, quanam ipse evaderet circumspectabat. Pythagoras cum ad cetera

animo officioque ducis fungebatur, tum vero unus, ne caperetur urbs, caussa fuit; succendi enim aedificia proxima muro iussit. Quae quum momento temporis arsissent, ut adiuvantibus ignem, qui alias ad exstinguendum opem ferre solent, ruere in Romanos tecta, nec tegularum modo fragmenta, sed etiam ambusta tigna ad armatos pervenire et flamma late fundi, fumus terrorem etiam maiorem, quam periculum facere. Itaque et qui extra urbem erant Romanorum, tum maxime impetus facientes, recessere a muro, et qui iam intraverant, ne incendio ab tergo oriente intercluderentur ab suis, receperunt sese; et Quinctius postquam quid rei esset vidit receptui canere iussit; ita iam a capta prope urbe revocati redierunt in castra.

Quinctius plus ex timore hostium, quam ex re ipsa, spei nactus per triduum insequens territavit eos; nunc proeliis lacessendo, nunc operibus intersepiendo quaedam, ne exitus ad fugam esset. His comminationibus compulsus tyrannus Pythagoram rursus oratorem misit, quem Quinctius primo aspernatum excedere castris iussit; deinde suppliciter orantem advolutumque genibus tandem audivit. Prima oratio fuit omnia permittentis arbitrio Romanorum, dein, quum ea velut vana et sine effectu nihil proficerent, eo deducta res est, ut his conditionibus, quae ex scripto paucis ante diebus editae erant, induciae fierent, pecuniaque et obsides (inter quos Armenes etiam, Nabidis filius erat, cf. Liv. XXXIV, 52, 9.) accepti. Dum oppugnatur tyrannus Argivi nunciis aliis prope super alios afferentibus, tantum non iam captam Lacedaemonem esse, erecti et ipsi, simul eo quod Pythagoras cum parte validissima praesidii excesserat, contemta paucitate eorum, qui in arce erant, duce Archippo quodam praesidium expulerunt. Timocratem Pellenensem, quia clementer praefuerat, vivum fide data emiserunt. Huic laetitiae Quinctius supervenit pace data tyranno, [3]) dimissisque ab La-

3) Plutarchus in Flamin. c. 13. Ὁ δὲ Τίτος, inquit, τότε καλλίστου καὶ δικαιοτάτου τοῦ πρὸς Νάβιν ἀρξάμενος πολέμου, τὸν

cedaemone Eumene et Rhodiis et L. Quinctio fratre ad classem (Liv. XXXIV, 34—41. cf. infra §. 83. fin. Plut. Flamin. c. 13. cf. vit. Philop. c. 14. Paus. VII, 8, 3. coll. VIII, 50, 5.).

§. 81.

Nemea, Ol. 146, 2.

Haec Nemea sunt hiberna, anno primo Olympiadis exeunte, mensis hiemalis secundi die XII. At Livius testatur, die stata propter belli mala praetermissum ludicrum in adventum Romani exercitus ducisque fuisse indictum. Aderat autem Quinctius Ol. 146, 2. ineunte anno Argis, anno etiamnum 195 a. Chr. 559 U. C. (Cf. Manso l. c. III, 2, p. 286. qui recte refutat Corsinium. cf. Bayer l. c. p. 327. sq.)

Laeta civitas celeberrimum festorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum, die stata propter belli mala praetermissum, in adventum Romani exercitus ducisque indixerunt, praefeceruntque ludis ipsum imperatorem. (Cf. Plut. vit. Flamin. c. 12.) Multa erant, quae gaudium cumularent; reducti cives ab Lacedaemone erant, quos nuper Pythagoras quosque ante Nabis abduxerant; redie-

---

Λακεδαιμονίων ἐξωλέστατον καὶ παρανομώτατον τύραννον, ἐν τῷ τέλει διεψεύσατο τὰς τῆς Ἑλλάδος ἐλπίδας, ἐλεῖν παρασχὸν, οὐκ ἐθελήσας, ἀλλὰ σπεισάμενος καὶ προέμενος τὴν Σπάρτην ἀναξίως δουλεύουσαν· εἴτε δείσας, μὴ τοῦ πολέμου μῆκος λαμβάνοντος ἄλλος ἀπὸ Ῥώμης ἐπελθὼν στρατηγὸς ἀνέληται τὴν δόξαν, εἴτε cet. quae huc non pertinent. Ceterum Plutarchus temporis rationem habuit nullam. Cf. Manso Sparta III, 1. p. 395. Not. k. Sunt, qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum tradant, sed castris adversus Romana castra positis diuque cunctatum, quum Aetolorum auxilia exspectasset, coactum ad extremum acie confligere, impetu in pabulatores suos ab Romanis facto, eo proelio victum castrisque exutum pacem petisse; quum cecidissent quindecim millia militum, capta plus quattuor millia essent (Liv. XXXIV, 41, 8—10.). Iustinus (XXXI, 3.) Nabidem tyrannum duobus continuis proeliis subactum et graviter fractum, velut exsanguem in regno relictum esse scribit.

rant, qui post compertam a Pythagora coniurationem et caede iam coepta effugerant; libertatem ex longo intervallo libertatisque auctores Romanos, quibus caussa bellandi cum tyranno ipsi fuissent, cernebant; testata quoque ipso Nemeorum die voce praeconis libertas est Argivorum. Achaeis quantum restituti Argi in commune Achaiae concilium laetitiae afferebant, tantum serva Lacedaemon relicta lateri adhaerens tyranni non sincerum gaudium praebebat. Aetoli vero eam rem omnibus conciliis lacerare: Cum Philippo non ante desitum bellari, quam omnibus excederet Graeciae urbibus. Tyranno relictam Lacedaemonem, regem autem legitimum, qui in Romanis fuerat castris (incertum num iste Eurysthenidarum fuerit familiae Agesipolis, an Pelops; quem tamen posteriorem innuit Manso l. c. p. 395. Not. l. ex Livii lib. XXXIV, 26, 14.), ceterosque nobilissimos cives in exilio victuros. Nabidis dominantis satellitem factum populum Romanum.[1])

Quinctius ab Argis Elatiam, unde ad bellum Spartanum profectus erat, copias reduxit (Liv. XXXIV, 41.).

---

1) Manso l. c. p. 395. Wie unzulänglich, inquit, sich Quinctius in einer Zusammenkunft der Griechen, die er das Frühjahr darauf zu Korinth hielt, gegen diese Vorwürfe vertheidigte, ist deutlich zu lesen bei Livius c. 49, 1—3. Auch würde er schwerlich, wie damals geschah (50, 8.), die Besatzung aus der Akropolis Korinths gezogen und die Stadt, nebst Chalcis, Demetrias und andern (51.) in Freiheit gesetzt haben, wenn er es nicht zu tief gefühlt hätte, dass er seiner und seines Volkes verletzten Ehre eine Genugthuung schuldig sei. Auch Plutarch, der ihn recht sichtbar begünstigt, kann ihm doch (vit. 13.) den Frieden mit Nabis nicht verzeihen. Lucas l. c. p. 130. sqq. accuratissime exposuit caussas Aetolorum adversus Romanos sensim crescentis inimicitiae tandemque moti belli. Selbst, pergit Lucas, wenn in diesen Stellen die gefährliche Lage der Aetoler sich nicht klar zeigte, würden schon die von Livius (K. 52.) erwähnten 114 goldenen Kronen, die Flamininus nach Rom mitbrachte, daran erinnern, wie sehr sich die Aetoler vor der Römischen Freundschaft zu hüten hatten.

Romae quum eodem fere tempore et a T. Quinctio de rebus ad Lacedaemonem gestis et ab M. Porcio consule ex Hispania literae allatae essent, utriusque nomine in dies ternos supplicatio in senatu decreta est (Liv. XXXIV, 42.).

Principio anni, quo P. Scipio Africanus iterum et Ti. Sempronius Longus consules fuerunt (qui est annus 560 U. C. = 194 a. Chr. quorum patres a. 218 a. Chr. Coss. fuerant), legati Nabidis tyranni Romam venerunt; pax, quae cum T. Quinctio convenisset, ut rata esset, petierunt, impetraveruntque (Liv. XXXIV, 43.).

T. Quinctius eodem hoc anno Elatiae, quo in hiberna reduxerat copias, totum hiemis tempus iure dicundo consumsit mutandisque iis, quae aut ipsius Philippi, aut praefectorum eius licentia in civitatibus facta erant, quum suae factionis hominum vires augendo ius ac libertatem aliorum deprimerent (Liv. XXXIV, 48.).

§. 82.

Conventus Corinthi edictus. Quinctii triumphus.

Anni 560 U. C. = 194 a. Chr. veris initio Corinthum conventu edicto venit. Ibi omnium civitatum legationes in concionis modum circumfusas est allocutus; orsus ab inita primum Romanis amicitia cum Graecorum gente, et imperatorum, qui ante se in Macedonia fuissent, suisque rebus gestis. Omnia cum approbatione ingenti sunt audita; praeterquam quum ad mentionem Nabidis ventum esset, id minime conveniens liberanti Graeciam videbatur, tyrannum reliquisse, non suae solum patriae gravem, sed omnibus circa civitatibus metuendum, haerentem visceribus nobilissimae civitatis.

Nec ignarus huius habitus animorum Quinctius, si sine excidio Lacedaemonis fieri potuisset, fatebatur, pacis cum tyranno mentionem admittendam auribus non fuisse; nunc quum aliter, quam ruina gravissima civitatis, opprimi non posset, satius visum esse, tyrannum debilitatum ac totis prope viribus ad nocendum cuiquam ademtis

relinqui, quam intermori vehementioribus, quam quae pati posset, remediis civitatem sinere in ipsa vindicta libertatis perituram. Praeteritorum commemorationi subiecit, Proficisci sibi in Italiam atque omnem exercitum deportare in animo esse. Demetriadis Chalcidisque praesidia intra decimum diem audituros deducta, Acrocorinthum ipsis extemplo videntibus vacuam Achaeis traditurum, ut omnes scirent, utrum Romanis, an Aetolis, mentiri mos esset, qui male commissam libertatem populo Romano sermonibus distulerint et mutatos pro Macedonibus Romanos dominos. Sed illis, nec quid dicerent, nec quid facerent, quidquam unquam pensi fuisse. Reliquas civitates monere, ut ex factis, non ex dictis, amicos pensent intelligantque, quibus credendum et a quibus cavendum sit. Libertate modice utantur; temperatam eam salubrem et singulis et civitatibus esse; nimiam et aliis gravem et ipsis, qui habeant, effrenatam et praecipitem esse. Concordiae in civitatibus, principes et ordines inter se et in commune omnes civitates consulerent; adversus consentientes nec regem quemquam satis validum, nec tyrannum fore. Discordiam et seditionem omnia opportuna insidiantibus facere, quum pars, quae domestico certamine inferior sit, externo potius se applicet, quam civi cedat. Alienis armis partam, externa fide redditam libertatem sua cura custodirent servarentque; et populus Romanus dignis datam libertatem ac munus suum bene positum sciret. [1])

Has velut parentis voces quum audirent manare omnibus gaudio lacrimae, adeo ut ipsum quoque confunderent dicentem. Paulisper fremitus approbantium dicta fuit mo-

---

1) De hac liberalitate humanitateque Romanorum Diodorus Siculus (ed. Wessel. Tom. IX. p. 387) recte hoc adnotat: *ἡ σύγκλητος διήκουσε τῶν ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος πρεσβειῶν καὶ ταύταις φιλανθρώπως προσεφώνει βουλομένη προθύμους αὐτοὺς ἔχειν πρὸς τὸν Ἀντιοχικὸν πόλεμον, ὃν ταχέως προσεδόκα.* Cf. Liv. XXXV, 31. 39. 43. Quod vero Quinctius in oratione sua Aetolos mendacii coarguit, hoc nec Polybio nec Livio imputari debet. Cf. Liv. XXXV, 13. et Lucas l. c. p. 131.

nentiumque aliorum alios, ut eas voces, velut oraculo missas, in pectora animosque demitterent. Silentio deinde facto petiit ab iis, ut cives Romanos, si qui apud eos in servitute essent, conquisitos intra duos menses mitterent ad se in Thessaliam. Ne ipsis quidem honestum esse in liberata terra liberatores eius servire. Omnes acclamarunt, gratias se inter cetera etiam ob hoc agere, quod admoniti essent, ut tam pio, tam necessario officio fungerentur. Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Hannibal, quum a suis non redimerentur, venumdederat. Multitudinis eorum argumentum sit, quod Polybius (sine dubio libro XIX.) scribit, centum talentis eam rem Achaeis stetisse, quum quingentos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent. Mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit. (Falso Plutarchus in Flamin. c. 13. ἐν δὲ τῇ Ἑλλάδι χίλιοι καὶ διακόσιοι τὸ πλῆθος ἦσαν; Graeciam enim pro Achaia posuit.) Adiice nunc pro portione, quot verisimile sit totam Graeciam habuisse.

Nondum conventus dimissus erat quum respiciunt praesidium ab Acrocorintho descendens protinus ad portam duci atque abire. Quorum agmen imperator secutus prosequentibus cunctis servatorem liberatoremque acclamantibus salutatis dimissisque eis, eadem, qua venerat, via Elatiam rediit. Inde cum omnibus copiis Ap. Claudium legatum dimittit; per Thessaliam atque Epirum ducere Oricum iubet atque ibi se opperiri; inde namque in animo esse, exercitum in Italiam traiicere; et L. Quinctio fratri, legato et praefecto classis, scribit, ut onerarias ex omni Graeciae ora eodem contraheret.

Ipse Chalcidem profectus deductis non a Chalcide solum, sed etiam ab Oreo atque Eretria praesidiis conventum ibi Euboicarum civitatum habuit, commonitosque in quo statu rerum accepisset eos et in quo relinqueret dimisit. Demetriadem inde proficiscitur, deductoque praesidio prosequentibus cunctis, sicut Corinthi et Chalcide, pergit ire in Thessaliam, ubi non liberandae modo civi-

tates erant, sed ex omni colluvione et confusione in aliquam tolerabilem formam redigendae.

Ita quum percensuisset Thessaliam per Epirum in Oricum, unde erat traiecturus, venit. Ab Orico copiae omnes Brundisium transportatae; inde per totam Italiam ad urbem prope triumphantes, non minore agmine rerum captarum, quam suo, prae se acto, venerunt. Postquam Romam ventum est senatus extra urbem Quinctio ad res gestas edisserendas datus est triumphusque meritus ab lubentibus decretus. Triduum triumphavit (Liv. XXXIV, 48—53. Plut. Flam. c. 12—15. Iust. XXXI, 2. 3. Flor. II, 7.).

§. 83.

Alterum adversus Nabin bellum.

Dum populus Romanus ad omnes Antiochi conatus se praeparat (Liv. XXXV, 25. coll. lib. XXXIV, 57—59. Iust. XXXI, 5.) Aetolorum gens Romanis inimica infestaque, novos excitavit motus, auctore inprimis Thoante, gentis praetore (ab auctumno 193 ad auctumnum 192 a. Chr.). Et legatis quidem dimissis, Damocrito ad Nabin, Nicandro ad Philippum, Dicaearcho, praetoris fratre, ad Antiochum, per totum simul orbem terrarum Aetoli Romanis concitabant bellum. Reges (Philippus et Antiochus) tamen aut non moti, aut tardius moti sunt. (Cf. Iust. XXX, 4. App. Syriac. c. 12. Liv. XXXV, 45. extr. et c. 32. de legatorum reditu.) [1]) Tyranno Lacedaemonio Damocritus, ademtis maritimis civitatibus enervatam tyrannidem, dicere; inde militem, inde naves navalesque socios habuisse; inclusum suis prope muris Achaeos videre dominantes in Peloponneso; nunquam habiturum re-

1) Livius Dicaearchum de Philippo et Nabide apud Antiochum libero abusum esse mendacio scribit, et recte quidem; Nabin enim loca maritima infestasse (Liv. XXXV, 13.) nesciebat, missus ille quidem, quum res in Peloponneso adhuc essent pacatae (Alia Lucas l. c. p. 131.)

cuperandi sua occasionem, si eam, quae tum esset, praetermisisset; nec propter Gythium, aut maritimos alios Laconas, dignam caussam existimaturos Romanos, cur legiones in Graeciam rursus transmittant. Haec ad incitandum animum tyranni dicebantur, ut, quum in Graeciam Antiochus traiecisset, conscientia violatae per sociorum iniurias Romanae amicitiae coniungeret se cum Antiocho.

Nabis igitur extemplo (vere ineunte 192 a. Chr.) circa omnes vicos maritimos dimisit ad seditiones in iis miscendas, et alios principum donis ad suam caussam perduxit, alios pertinaciter in societate Romana manentes occidit. Achaeis omnium maritimorum Laconum tuendorum a T. Quinctio cura mandata erat. Itaque extemplo et ad tyrannum legatos miserunt, qui admonerent foederis eum Romani, denunciarentque, ne pacem, quam tantopere petisset, turbaret; et auxilia ad Gythium, quod iam oppugnabatur a tyranno, et Romam, qui ea nunciarent, legatos miserunt (Liv. XXXV, 12. 13, 1—3. et c. 22. Plut. Flam. c. 15. Philop. c. 14.).

Atilius praetor cum classe mittitur in Graeciam ad socios tuendos (Liv. l. c. Paus. VII, 8, 1. quae quidem Schornius l. c. p. 240. N. ubi Pausaniam negligentiae recte accusat, respicere debebat; cf. supra §. 74.).

Interim Philopoemen e Creta advenerat in patriam quum Nabin T. Quinctius et Achaei debellassent; ἐφ' ὂν εὐθὺς αἱρεθεὶς ἄρχων Plutarchus ait (in vit. Flam. c. 14.). At non ita festinavere Achaei in legendo duce Philopoemene, quod eorum animos profectione Cretica offendisset. T. Livius (XXXV, 25.) P. Cornelio Scipione Nasica, M'. Acilio Glabrione praetorem Philopoemenem navali proelio a Nabide victum scribit; is enim Antiochi regis adventu elatus rebellaverat. Sed superiori aestate haec gesta fuisse et a Livio duarum aestatum res coniungi manifestum est. Nam quum M'. Acilium Cos. traiecisse refert, tum vero rebus istis inserit Diophanem praetorem (XXXVI, 31.), qui res adversus Messenios gesserit. Illis consulibus quoque Nabidem tyrannum cecidisse scribit

Livius (XXXV, 35.), tum vero Philopoemen audita caede tyranni profectus Lacedaemonem, quum omnia turbata metu invenisset, societati Achaeorum Lacedaemonios adiunxit. Plutarchus quidem refert, cum exercitu eum venisse Spartam et partim vi, partim gratia effecisse, ut Achaici corporis esse vellent cives, ut eum tunc fuisse praetorem tibi persuadeas. At Pausanias (VIII, 51, 1.) facit rem planissimam. Commemorata enim Nabidis nece scribit, Philopoemenem advolasse Spartam et coegisse Lacedaemonios, ut se attribui concilio Achaico paterentur, non multo post Titum (T. Quinctium dicit, qui tum legatione fungebatur (Liv. XXXV, 23, 5. cf. Manso l. c. III, 1. p. 409. N.), minime vero, ut Pausanias habet (VIII, 51, 1.) et Plutarchus (Philop. c. 16.), dux Romanorum eo bello fuit), et Diophanem, Diaei filium, Megalopolitanum, ἄρχειν ἐν τῷ τότε ᾐρημένον τῶν Ἀχαιῶν, Lacedaemonem invasisse. Philopoemen vero, inquit, καίπερ ἐν τῷ παρόντι ἰδιώτης ὤν, portas urbis claudi iussit.

Fuit igitur Philopoemen quartum Achaeorum praetor a Maio mense 192 ad eundem mensem 191 a. Chr. et post eum Diophanes a Maio mense 191—190 a. Chr.

Nabis iam non differebat bellum, sed summa vi Gythium oppugnabat, et infensus Achaeis, quod miserant obsessis praesidium, agros eorum vastabat. Achaei non antea ausi capessere bellum, quam ab Roma revertissent legati, ut, quid senatui placeret, scirent, post reditum legatorum et Sicyonem concilium edixerunt, et legatos ad T. Quinctium (quem L. Quinctium Manso Sparta III, 1. p. 396. falso vocat) miserunt, qui consilium ab eo peterent. In concilio omnium ad bellum extemplo capessendum inclinatae sententiae erant; literae T. Quinctii cunctationem iniecerunt, quibus auctor erat praetorem classemque Romanam exspectandi. Quum principum alii in sententia permanerent, alii utendum eius, quem ipsi consuluissent, consilio censerent, multitudo Philopoemenis, in Peloponnesum iam tum reversi, quum Philippus a T. Quinctio devictus pressusque Achaeorum et Romanorum

armis Nabis erat, sententiam exspectabat. Praetor is tum quartum erat (Plut. in vit. Philop. c. 14.), et omnes eo tempore et prudentia et auctoritate anteibat. (Cf. Iust. XXXI, 3. Diod. Sic. Fragm. lib. XXIX. ad annum 183 a. Chr.) Is praefatus, Bene comparatum apud Aetolos esse, ne praetor, quum de bello consuluissent, ipse sententiam diceret, statuere quam primum ipsos, quid vellent, iussit; praetorem decreta eorum cum fide et cura exsecuturum, annisurumque, ut, quantum in consilio humano positum esset, nec pacis eos poeniteret, nec belli. Plus ea oratio momenti ad incitandos ad bellum habuit, quam si aperte suadendo cupiditatem res gerendi ostendisset. Itaque ingenti consensu bellum decretum est, tempus et ratio administrandi eius libera praetori permissa sunt. Philopoemen, praeterquam quod ita Quinctio placeret, et ipse existimabat classem Romanam exspectandam, quae a mari Gythium tueri posset, sed metuens, ne dilationem res non pateretur, et non Gythium solum, sed praesidium quoque missum ad tuendam urbem amitteretur, naves Achaeorum deduxit.

Comparaverat et tyrannus modicam classem ad prohibenda, si qua obsessis mari submitterentur, praesidia, tres tectas naves et lembos pristesque, tradita vetere classe ex foedere Romanis. Harum novarum tum navium agilitatem ut experiretur, simul ut omnia satis apta ad certamen essent, provectos in altum quotidie remigem militemque simulacris navalis pugnae exercebat, in eo ratus verti spem obsidionis, si praesidia maritima interclusisset. Praetor Achaeorum, sicut terrestrium certaminum arte quemvis clarorum imperatorum vel usu vel ingenio aequabat, ita rudis in re navali erat; Arcas mediterraneus homo, externorum etiam omnium, nisi quod in Creta praefectus auxiliorum militaverat, ignarus. Navis erat quadriremis (τριήρους ἔλαθεν ἐπιβὰς ῥεούσης, Paus. VIII, 50, 5. μὴ στεγούσης, ut ait Plutarchus Philop. c. 14.) vetus, capta annis octoginta ante (ναῦν τινὰ παλαιὰν μὲν, ἔνδοξον δὲ δι' ἐτῶν τεσσαράκοντα κατασκευάσας ἐπλήρωσεν, Plut. in vit. Philop. c. 14.), quum Crateri

(filii sine dubio, quod vocabulum ibi intercidisse videtur; Nicaea enim uxor erat Alexandri, filii Crateri iunioris, Corinthi principis, cf. Plut. Arat. c. 17. quae quidem navis in bello ab Antigono Gonata adversus Alexandrum gesto Ol. 128 a Macedonibus, Ol. 134, 2 autem ab Achaeis capta videtur esse annis octoginta ante, sed quadraginta ante ea navi Achaei non erant usi; sic concordant Livius et Plutarchus.) uxorem Nicaeam ab Naupacto Corinthum veheret. Huius fama motus (fuerat enim nobile in classe regia quondam navigium) deduci ab Aegio putrem iam admodum et vetustate dilabentem iussit. Hac tum praetoria nave praecedente classem, quum in ea Patrensis Tiso praefectus classis veheretur, occurrerunt a Gythio Laconum naves; et primo statim incursu ad novam et firmam navem vetus, quae per se ipsa omnibus compagibus aquam acciperet, divulsa est, captique omnes, qui in nave erant.[2] Cetera classis praetoria nave amissa, quantum quaeque remis valuit, fugerunt. Ipse Philopoemen in levi speculatoria nave fugit, nec ante fugae finem, quam Patras ventum est, fecit. Nihil ea res animum militaris viri et multos experti casus imminuit; quin contra, si in re navali, cuius esset ignarus, offendisset, eo plus in ea, quorum usu calleret, spei nactus, breve id tyranno gaudium se effecturum affirmabat.[3])

---

2) Paus. VIII, 50, 5: *ὥστε*, inquit, *καὶ ἐσῆλθε Ῥωμαίους καὶ τὸ ἄλλο συμμαχικὸν μνήμη τῶν ἐπῶν, ὧν ἐν καταλόγῳ* (Il. II, 612.) *πεποίηκεν Ὅμηρος ἐπὶ τῇ Ἀρκάδων ἀμαθίᾳ τῇ ἐς θάλασσαν.*

3) Plutarchus in Philop. c. 14. *καὶ ναυμαχίᾳ παραβαλόμενος*, inquit, *τὶ τοῦ Ἐπαμεινώνδου παθεῖν ἔδοξε, πολὺ τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς καὶ δόξης ἀφαιρεθεὶς, ἐν τῇ θαλάσσῃ κάκιον ἀγωνισάμενος· πλὴν Ἐπαμεινώνδαν μὲν ἔνιοι λέγουσιν ὀκνοῦντα γεῦσαι τῶν κατὰ θάλασσαν ὠφελειῶν τοὺς πολίτας, ὅπως αὐτῷ μὴ λάθωσιν ἀντὶ μονίμων ὁπλιτῶν, κατὰ Πλάτωνα* (lib. IV. de legibus), *ναῦται γενόμενοι καὶ διαφθαρέντες, ἄπρακτον ἐκ τῆς Ἀσίας καὶ τῶν νήσων ἀπελθεῖν ἑκουσίως. Φιλοποίμην δὲ τὴν ἐν τοῖς πεζοῖς ἐπιστήμην καὶ διὰ θαλάττης ἀρκέσειν αὐτῷ πρὸς τὸ καλῶς ἀγωνίσασθαι πεπεισμένος, ἔγνω τὴν ἄσκησιν, ἡλίκον μέρος ἐστὶ τῆς ἀρετῆς, καὶ πόσην ἐπὶ πάντα τοῖς ἐθισθεῖσι δύναμιν προστίθησιν.*

Nabis, cum prospera elatus re, tum spem etiam haud dubiam nactus, nihil iam a mari periculi fore, et terrestres aditus claudere opportune positis praesidiis voluit. Tertia parte copiarum ab obsidione Gythii abducta ad Pleias posuit castra. Imminet is locus et Leucis et Acriis, qua videbantur hostes exercitum admoturi. Quum ibi stativa essent et pauci tabernacula haberent, multitudo alia casas ex arundine textas fronde, quae umbram modo praeberet, texissent, priusquam in conspectum hostium veniret Philopoemen necopinantem eum improviso genere belli aggredi statuit. Navigia parva in stationem occultam agri Argivi contraxit; in ea expeditos milites, cetratos plerosque, cum fundis et iaculis et alio levi genere armaturae imposuit. Inde litora legens quum ad propinquum castris hostium promontorium venisset, egressus callibus notis nocte Pleias pervenit, et sopitis vigilibus, ut in nullo propinquo metu, ignem casis ab omni parte castrorum iniecit. Multi prius incendio absumti sunt, quam hostium adventum sentirent, et qui senserant nullam opem ferre potuerunt. Ferro flammaque omnia absumta; perpauci tamen ex tam ancipiti peste ad Gythium in maiora castra perfugerunt.

Ita perculsis hostibus, 4) Philopoemen protinus ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum est, duxit, et magna vi pecorum hominumque inde abrepta, priusquam a Gythio tyrannus praesidium agris mitteret, discessit. 5) Inde Tegeam exercitu

4) Castra incensa sunt paucis diebus post navale proelium: ἡμέραις δὲ ὕστερον τῆς ναυμαχίας οὐ πολλαῖς, ut Pausanias VIII, 50, 5. ὀλίγαις δ' ὕστερον ἡμέραις, ut Plutarchus l. c. narrant. Verum falso scribit Pausanias l. c. castra ad Gythium esse cremata.

5) Manso in Sparta III, 1. p. 401. Not. t. ad hunc Livii locum Livius, ait, erzählt etwas undeutlich. So wie er die Sache vorträgt sollte man glauben, Philopömen wäre, unmittelbar von Gythium aus, in Tripolis, den an Arkadien grenzenden Landesstrich Lakoniens, eingefallen. Aber man darf nur einen Blick auf die Karte werfen, um zu sehn, dass er erst nach

contracto concilioque eodem et Achaeis et sociis indicto,[6]) in quo et Epirotarum et Acarnanum fuere principes, statuit, quoniam satis et suorum a pudore maritimae ignominiae restituti animi, et hostium conterriti essent, ad Lacedaemonem ducere, eo modo uno ratus ab obsidione Gythii hostem abduci posse. Ad Caryas primum in hostium terra posuit castra. Eo ipso die Gythium expugnatum est; cuius rei ignarus Philopoëmen castra ad Barbosthenem (mons est decem millia passuum ab Lacedaemone) promovit. Et Nabis recepto Gythio cum expedito exercitu inde profectus quum praeter Lacedaemonem raptim duxisset Pyrrhi, quae vocant, castra occupavit, quem peti locum ab Achaeis non dubitabat; inde hostibus occurrit. Obtinebant autem longo agmine propter angustias viae prope quinque millia passuum; cogebatur agmen ab equitibus et maxime a parte auxiliorum, quod existimabat Philopoemen, tyrannum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, ab tergo suos aggressurum. Duae res simul inopinatae perculerunt eum: una, praeoccupatus, quem petebat, locus, altera, quod primo agmini occurrisse hostem cernebat, ubi, quum per loca confragosa iter esset, sine levis armaturae praesidio signa ferri non videbat posse.

Erat autem Philopoemen praecipuae in ducendo agmine locisque capiendis solertiae atque usus, nec belli tantum temporibus, sed etiam in pace ad id maxime animum exercuerat. Ubi iter quopiam faceret et ad difficilem transitu saltum venisset contemplatus ab omni parte loci na-

---

Hause ging und von da aus über Megalopolis einbrach. Non assentior de reditu domum, cuius, quia longior est, sine dubio Livius mentionem fecisset, neque hae ambages viarum congruunt cum celeritate expeditionis.

6) Locum Polybii lib. XVI. c. 36. 37. quem huc, auctoritate Schweighaeuseri, ut videtur, trahit Manso l. c. equidem eodem Schweighaeusero suadente Tom. VII. p. 293. sq. supra §. 72. rectius inserui. Mecum, ut video, consentit Schorn. l. c. p. 413. N. ad p. 271. lin. 24.

turam quum solus iret secum ipse agitabat animo, quum comites haberet ab iis quaerebat, Si hostis eo loco apparuisset, quid, si a fronte, quid, si ab latere hoc aut illo, quid, si ab tergo adoriretur, capiendum consilii foret? Posse instructos recta acie, posse inconditum agmen et tantummodo aptum viae occurrere. Quem locum ipse capturus esset cogitando aut quaerendo exsequebatur, aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum enim interesse) usurus; quo impedimenta, quo sarcinas, quo turbam inermem reiiceret, quanto ea, aut quali praesidio custodiret; et utrum pergere, qua coepisset ire via, an eam, qua venisset, repetere melius esset; castris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, qua opportuna aquatio, qua pabuli lignorumque copia esset; qua postero die castra moventi tutum maxime iter, quae forma agminis foret. His curis cogitationibusque ita ab ineunte aetate animum agitaverat, ut nulla ei nova in tali re cogitatio esset. Et tum omnium primum agmen constituit, dein Cretenses auxiliares et quos Tarentinos vocabant equites binos secum trahentes equos ad prima signa misit, et iussis equitibus subsequi super torrentem, unde aquari possent, rupem occupavit. Eo impedimenta omnia et calonum turbam coniectam armatis circumdedit et pro natura loci castra communivit; tabernacula statuere in aspretis et inaequabili solo difficile erat. Hostes quingentos passus aberant. Ex eodem rivo utrinque cum praesidio levis armaturae aquati sunt, et priusquam (qualia in propinquis castris solent) contraheretur certamen nox intervenit. Postero die apparebat pugnandum pro aquatoribus circa rivum esse; nocte in valle a conspectu hostium aversa, quantam multitudinem locus occulere poterat, condidit cetratorum.

Luce orta Cretensium levis armatura et Tarentini equites super torrentem proelium commiserunt. Telemnastus Cretensis popularibus suis, equitibus Lycortas Megalopolitanus praeerat. Cretenses et hostium auxiliares equitumque idem genus Tarentini praesidio aquatoribus erant. Aliquamdiu dubium proelium fuit, ut eodem ex

parte utraque hominum genere et armis paribus. Procedente certamine et numero vicere tyranni auxiliares et quia ita praeceptum a Philopoemene praefectis erat, ut modico edito proelio in fugam inclinarent hostemque ad insidiarum locum pertraherent. Effuse secuti fugientes per convallem, plerique et vulnerati et interfecti sunt, priusquam occultum hostem viderent. Cetrati ita, quantum latitudo vallis patiebatur, instructi sederant, ut facile per intervalla ordinum fugientes suos acciperent. Consurgunt deinde ipsi integri, recentes, instructi, et in hostes inordinatos, effusos, labore etiam et vulneribus fessos impetum faciunt. Nec dubia victoria fuit. Extemplo terga dedit tyranni miles, et haud paulo concitatiore cursu, quam secutus erat, fugiens ad castra est compulsus. Multi caesi captique in ea fuga sunt. Et in castris quoque foret trepidatum, ni Philopoemen receptui cani iussisset, loca magis confragosa et quacunque temere processisset iniqua, quam hostem, metuens. Inde et ex fortuna pugnae et ex ingenio ducis coniectans, in quo tum is pavore esset, unum de auxiliaribus specie transfugae mittit ad eum, qui pro comperto afferret, Achaeos statuisse postero die ad Eurotam amnem, qui prope ipsis affluit moenibus, progredi, ut intercluderent iter, ne aut tyrannus, quum vellet, receptum ad urbem haberet, aut commeatus ab urbe in castra portarentur, simul etiam tentaturus, si quorum animi sollicitari ad defectionem a tyranno possent. Non tam fidem dictis perfuga fecit, quam perculso metu relinquendi castra caussam probabilem praebuit. Postero die Pythagoram cum auxiliaribus et equitatu stationem agere pro vallo iussit; ipse tanquam in aciem cum robore exercitus egressus signa ocius ferri ad urbem iussit.

Philopoemen postquam citatum agmen per angustam et proclivem viam duci raptim vidit equitatum omnem et Cretensium auxiliares in stationem hostium, quae pro castris erat, emittit. Illi ubi hostes adesse et a suis se desertos viderunt primo in castra recipere se conati sunt, deinde postquam instructa acies tota Achaeorum admove-

batur, metu ne cum ipsis castris caperentur, sequi suorum agmen aliquantum praegressum insistunt. Extemplo cetrati Achaeorum in castra impetum faciunt et diripiunt, ceteri ad persequendos hostes ire pergunt. Erat iter tale, per quod vix tranquillum ab hostili metu agmen expediri posset. Ut vero ad postremos proelium ortum est clamorque terribilis a tergo paventium ad prima signa est perlatus, pro se quisque armis abiectis in circumiectas itineri silvas diffugiunt momentoque temporis strage armorum septa via est, maxime hastis, quae pleraeque adversae cadentes velut vallo obiecto iter impediebant. Philopoemen utcunque possent instare et persequi auxiliaribus iussis (utique enim equitibus haud facilem futuram fugam) ipse gravius agmen via patentiore ad Eurotam amnem deduxit. Ibi castris sub occasum solis positis levem armaturam, quam ad persequendum reliquerat hostem, opperiebatur; qui ubi prima vigilia venerunt nunciantes, tyrannum cum paucis ad urbem penetrasse, ceteram multitudinem inermem toto sparsam vagari saltu, corpora curare eos iubet; ipse ex cetera copia militum (qui, quia priores in castra venerant, refecti et cibo sumto, et modica quiete erant) delectos, nihil praeter gladios secum ferentes extemplo educit, et duarum portarum itineribus, quae Pheras, quaeque Barbosthenem ferunt, eos instruxit, qua ex fuga recepturos sese hostes credebat. Nec eum opinio fefellit; nam Lacedaemonii, quoad lucis superfuit quidquam, deviis callibus medio saltu se recipiebant. Primo vespere ut lumina in castris hostium conspexere e regione eorum occultis semitis se tenuerunt; ubi ea sunt praegressi iam tutum rati in patentes vias descenderunt. Ibi excepti ab insidente hoste passim ita multi caesi captique sunt, ut vix quarta pars de toto exercitu evaserit. Philopoemen incluso tyranno in urbem insequentes dies prope triginta vastandis agris Laconum absumsit debilitatisque ac prope fractis tyranni viribus domum rediit, aequantibus eum gloria rerum Achaeis imperatori Romano et, quod ad Laconicum bellum attineret, praeferentibus etiam (Liv. XXXV, 25—30. Paus. VIII, 50, 5. Plut.

Philop. c. 14. 15. Flamin. c. 13. Iust. XXXI.). Plutarchi et Pausaniae, quum primum adversus Nabin bellum gestum ab altero non satis accurate secernant, negligentiam iam notavit Schornius (l. c. p. 273. N. et Manso l. c. III, 1. p. 400. N. cf. supra §. 80. fin.).

§. 84.

Nabidis caedes. — Sparta Achaeis associatur.

Dum inter Achaeos et tyrannum bellum est legati Romanorum circumire sociorum urbes solliciti, ne Aetoli partis alicuius animos ad Antiochum avertissent. Minimum operae in Achaeis adeundis consumserunt, quos, quia Nabidi infesti erant, ad cetera quoque satis fidos censebant esse. Aetoli vero magis in dies defectionem nudabant. Eundum in Aetoliam Quinctio visum est. Aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Aetolos belli culpam esse; Romanos iusta ac prope necessaria sumturos arma. In concilio tamen Thoas ceterique factionis eiusdem cum assensu omnium pervicerunt, ut decretum fieret, quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Graeciam. Huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Damocritus praetor eorum (ab auctumno 192 ad idem anni tempus 191 a. Chr.). Tantus furor illo tempore gentem Aetolorum tantusque magistratus eorum cepit (Liv. XXXV, 31. 32.).

Quinctius legatique Corinthum redierunt. Aetoli vero consilium spei quoque non audacis modo, sed etiam impudentis, ceperunt, Demetriadem, Chalcidem et Lacedaemonem occupandi. Singuli in singulas missi sunt principes: Thoas Chalcidem, Alexamenus (Calydonius Paus. VIII, 50, 5.) Lacedaemonem, Diocles Demetriadem, quam Eurylochi exulis proditione cepit. Lacedaemone autem non urbi vis afferenda, sed tyrannus dolo capiendus erat; quem spoliatum maritimis oppidis a Romanis, tunc intra moenia etiam Lacedaemonis ab Achaeis compulsum, qui occupasset occidere, eum totius gratiam rei apud Lacedaemonios laturum. Caussam mittendi ad eum habuerunt,

quod fatigabat precibus, ut auxilia sibi, quum illis auctoribus rebellasset, mitterentur. Mille pedites Alexameno dati sunt et triginta delecti ex iuventute equites. Iis a praetore Damocrito in consilio arcano gentis, de quo ante dictum est, denunciatum, Ne se ad bellum Achaicum aut rem ullam, quam sua quisque opinione praecipere posset, crederent missos esse; quidquid Alexamenum res monuisset subiti consilii capere, ad id, quamvis inopinatum, temerarium, audax, obedienter exsequendum parati essent ac pro eo acciperent tanquam ad id unum agendum missos ab domo se scirent. Cum his ita praeparatis Alexamenus ad tyrannum venit, quem adveniens extemplo spei implevit. Antiochum iam in Europam transisse, mox in Graecia fore, terras, maria, armis, viris completurum. Non cum Philippo rem esse credituros Romanos; numerum iniri peditum equitumque ac navium non posse; elephantorum aciem conspectu ipso debellaturam. Aetolos toto suo exercitu paratos esse venire Lacedaemonem quum res poscat, sed frequentes armatos ostendere advenienti regi voluisse. Nabidi quoque et ipsi faciendum esse, ut, quas haberet copias, non sineret sub tectis marcescere otio, sed educeret et in armis decurrere cogeret, simul animos acueret et corpora exerceret. Consuetudine leviorem laborem fore et comitate ac benignitate ducis etiam non iniucundum fieri posse. Educi inde frequenter ante urbem in campum ad Eurotam amnem coepere. Satellites tyranni media fere in acie consistebant; tyrannus cum tribus summum equitibus, inter quos plerumque Alexamenus erat, ante signa vectabatur, cornua extrema invisens; in dextro cornu Aetoli erant et qui ante auxiliares tyranni fuerant et qui venerant mille cum Alexameno. Fecerat sibi morem Alexamenus, nunc cum tyranno inter paucos ordines circumeundi monendique eum, quae in rem esse videbantur, nunc in dextrum cornu ad suos adequitandi, mox inde, velut imperato, quod res poposcisset, recipiendi se ad tyrannum. Sed quem diem patrando facinori statuerat eo paulisper cum tyranno vectatus quum ad suos concessisset, tum equiti-

bus ab domo secum missis, Agenda, inquit, res est, iuvenes, audendaque, quam me duce impigre exsequi iussi estis. Parate animos dextrasque, ne quis in eo, quod me viderit facientem, cesset. Qui cunctatus fuerit et suum consilium meo interponet, sciat sibi reditum ad penates non esse. Horror cunctos cepit, et meminerant cum quibus mandatis exissent. Tyrannus ab laevo cornu veniebat. Ponere hastas equites Alexamenus iubet et se intueri; colligit et ipse animum confusum tantae cogitatione rei. Postquam appropinquabat impetum facit et transfixo equo tyrannum deturbat. Iacentem equites confodiunt; multis frustra in loricam ictibus datis tandem in nudum corpus vulnera pervenerunt, et priusquam a media acie succurreretur exspiravit.

Alexamenus cum omnibus Aetolis citato gradu ad regiam occupandam pergit. Corporis custodes quum res in oculis gereretur pavor primo cepit, deinde, postquam abire Aetolorum agmen videre, concurrunt ad relictum tyranni corpus et spectatorum turba ex custodibus vitae mortisque ultoribus est facta. Nec movisset se quisquam, si extemplo positis armis vocata in concionem multitudo fuisset et oratio habita tempori conveniens, frequentes inde retenti in armis Aetoli sine iniuria cuiusquam; sed, ut oportuit in consilio fraude coepto, omnia in maturandam perniciem eorum, qui fecerant, sunt acta. Dux regia inclusus diem ac noctem in scrutandis thesauris tyranni consumsit; Aetoli velut capta urbe, quam liberasse videri volebant, in praedam versi.[1] Simul indignitas rei, simul contemtus, animos Lacedaemoniis ad coëundam fecit;

1) Non dubito fore plerosque, qui eiusmodi Aetolorum facinora non solum vituperent, verum etiam hunc tam rudem et a cultioris vitae ratione institutisque aversum atque abhorrentem populum a Polybio merito castigatum esse mecum consentiant. Quae quidem observatio Lucae quoque videtur impedimento fuisse, quominus hanc narrationem integram reciperet. Vir ille doctus quasi in transgressu Livii locis his indicatis pergit: Mit Parteilichkeit verweilt er bei den Römern, was er freilich auch

alii dicere, exturbandos Aetolos et libertatem quum restitui videretur interceptam repetendam; alii, ut caput agendae rei esset, regii generis aliquem in speciem assumendum. Laconicus eius stirpis erat puer admodum,[2]) educatus cum liberis tyranni. Eum in equum imponunt et armis arreptis Aetolos vagos per urbem caedunt. Tum regiam invadunt. Ibi Alexamenum cum paucis resistentem obtruncant. Aetoli circa Chalcioecon congregati caeduntur. Pauci armis abiectis, pars Tegeam, pars Megalopolim confugiunt; ibi comprehensi a magistratibus sub corona venierunt.

Philopoemen audita caede tyranni profectus Lacedaemonem quum omnia turbata metu invenisset evocatis prin-

---

ohne Polybius' Leitung gethan haben würde, wie die wichtige Bemerkung (K. 40.) zeigt: abstulerunt me velut de spatio Graeciae res immixtae Romanis, non quia ipsas operae pretium esset perscribere, sed quia caussae fuerunt cum Antiocho belli. Daher gewinnen wir auch aus jenen Stellen nichts für Kritik des Polybius, wohl aber die Ueberzeugung, wie dunkel und unsicher für uns die Aetölische Geschichte durch die vorherrschenden Interessen des Polybius und seines Nachfolgers Livius geworden ist. Von Plutarch ist auch nicht immer Aufhellung zu erwarten. So viel ist aber wohl aus dem Ganzen klar (ich erinnere noch an Pol. III, 3, 3. u. f.), dass das Verhältniss der Aetoler zu den Römern von Polybius absichtlich falsch aufgefasst sein möchte: dass die Darstellung unrichtig ist, unterliegt wohl keinem Zweifel. Mea vero sententia ista Romanorum Aetolos tractandi ratio, falsaeque nonnullae caussae, quae Aetolis imputabantur, non Polybio, sed ei potius, quem loquentem resque gerentem inducit ac proponit, sunt imputanda. Optime scilicet ex iis Romanorum quod dicunt elucet atque cognoscitur systema politicon.

2) Quaerit ibi Manso (Sparta III, 1. p. 407. Not. d.), heisst das: Es gab einen Lacedämonier (Spartaner); minime; oder: einen, Namens Laconicus von königlicher Abkunft? sane. Im ersten Falle erwartet man Laco oder Lacedaemonius (recte illud quidem), im zweiten vermisst man das bestimmende quidam; quod equidem necessarium non esse puto; per se enim Livii verba, ut tradidi supra, intelliguntur.

cipibus et oratione habita, qualis habenda ab Alexameno fuerat, societati Achaeorum Lacedaemonios adiunxit, eo etiam facilius, quod forte ad idem tempus A. Atilius cum quattuor et viginti quinqueremibus ad Gythium accessit. Quo facto mirum quantum comparavit apud Achaeos laudis Philopoemen, quod tantae urbem amplitudinis et potentiae iis adiunxisset. Neque enim leve erat partem fieri Achaiae Lacedaemonem. Conciliavit sibi etiam optimates Lacedaemoniorum, qui libertatis se illum custodem habituros sperabant.

Postquam vero anno insequenti (563 U. C. = 191 a. Chr.) Lacedaemonios de integro novare res [3]) nunciato praetor Achaeorum, Diophanes, vindicare in eos intendit, illi autem armis motis Peloponnesum sollicitabant, studebat mollire ac sedare Philopoemen Diophanis bilem, tempus demonstrans postulare rege Antiocho et Romanis in Graecia tantis exercitibus volitantibus, eo ut animum convertat dux neque moveat domestica, sed conniveat in quibusdam peccatis dissimuletque. Cui quum non auscultaret Diophanes, sed Laconiae una cum Quinctio, Romanorum legato (Liv. XXXV, 23, 5. non erat tum T. Quinctius Romanorum in Graecia dux, ut falso narrat Pausanias VIII, 51, 1.), arma inferret ac statim ipsam peterent urbem, indignatus Philopoemen facinus minime civile

3) Ac Lacedaemonii propterea novis rebus studuisse videntur, quod in aliis quoque Peloponnesi urbibus seditiones maximam partem per eos homines ortae erant, qui Antiocho favebant; sic Corinthi, Aegii et Patris motus excitati per Catonem demum et Romanos sunt sedati. Idque factum videtur esse ante pugnam ad Thermopylas commissam, quia Cato post eam nuncius victoriae Romam missus est. Cf. Liv. XXXVI, 21. Plut. in Cat. c. 14. Hic vero Lacedaemoniorum motus et ipse excitatus est vere anni primi Ol. 147 ante pugnam illam. Cf. Plut. Philop. 16. coll. Paus. VIII, 51. Diophanes, qui hac contra Lacedaemonios expeditione gloriam sibi comparare bellicam studebat, hanc postea assequutus est, quum Eumeni adversus Seleucum, Antiochi filium, opem tulisset et pugnae ad Magnesiam commissae interfuisset. Liv. XXXVII, 20. sq. et 39. Polyb. XXI, 7.

neque undequaque officio respondens, verum insigne tamen et insigni designans animo, ingressus est Lacedaemonem praetorique Achaeorum et Romano legato (non consuli, quod Plutarchus vita Philop. c. 16. vocabulo ὕπατον falso dedit) portas privatus clausit, motus urbanos compressit reduxitque Lacedaemonios, sicut initio fuerant, in corpus Achaeorum.

Unde Nabidis domum et bona venumdederunt, ex quibus coacta viginti et centum talenta dono ei suffragiis dare decreverunt atque ad id offerendum ei legatos misere. Enimvero hic effulsit abstinentia eius, qui non videbatur tantum, sed erat integerrimus. Namque primum nemo talem virum sustinebat Spartiatarum de eo capiendo munere appellare, sed verentes detrectantesque hospitem eius nominarunt Timolaum. Qui ut venit Megalopolin ac convivio a Philopoemene exceptus gravitatem sermonis eius et vitae frugalitatem integritatemque animadvertit morum, ad quos haudquaquam aditus propior aut insidiae a pecunia paterent, oppressit mentionem doni ac praetextu adventus sui allegato alio domum est regressus. Iterum missus nihilo plus egit. Tertia legatione vix tandem eius rei mentionem inferens propensum animum declaravit ei civitatis. At Philopoemen grato animo auditis mandatis perrexit ipse Lacedaemonem consuluitque eis, ne bonos amicos, quorum liceret virtute frui gratis, largitionibus instituerent labefactare, sed improbos et eos, qui civitatem in concilio premant, redimerent et corrumperent, ut munere deliniti minus ipsis obstreperent. Quippe inimicis, ait, praestare liberam vocem, quam amicis praecidere. Adeo fuit celso adversus pecuniam animo. (Paus. VIII, 51. cf. Lucht. Excerpt. Polyb. p. 43. sq. Plut. Philop. 15. qui quidem haec statim post Nabidis mortem acta esse falso narrat. Cf. Manso l. c. III, 1. p. 409. N. Assentior Pausaniae, quoniam verba, quibus Spartanos allocutus est, etiamsi ταῦτα δὲ ἐς Τιμόλαον αὐτῷ λέγουσιν ὑποσημαίνεσθαι scribat, inter alios etiam ad Diophanem referri optime possunt.)

§. 85.

Concilium Aegii, auctumno 192 a. Chr.

Exitu anni 562 U. C. (192 a. Chr.) Antiochus rex in Graeciam traiecerat, Aetolis Demetriadem tenentibus. Utrisque placuit Achaeos et Amynandrum, regem Athamanum, tentare (Liv. XXXV, 31—47. coll. XXXVI, 14. App. Syriac. 12. 13. Polyb. XX, 1. et ibid. Schweigh. coll. IV, 5, 9. Iust. XXXI, 6. Flor. II, 8. Breitenbauch. l. c. p. 124. N.).

In Achaia legatis Antiochi Aetolorumque coram T. Quinctio Aegii datum est concilium. Antiochi legatus prior, quam Aetoli, est auditus. Is ut plerique, quos opes regiae alunt, vaniloquus maria terrasque inani sonitu verborum complevit. Equitum innumerabilem vim traiici Hellesponto in Europam, partim loricatos, quos cataphractos vocant, partim sagittis ex equo utentes, et, a quo nihil satis tecti sit, aversos refugiente equo certius figentes. His equestribus copiis quamquam vel totius Europae exercitus in unum coacti obrui possent, adiiciebat multiplices copias peditum et nominibus quoque gentium vix fando auditis terrebat; Dahas, Medos, Elymaeosque et Caddusios appellans. Navalium vero copiarum, quas nulli portus capere in Graecia possent, dextrum cornu Sidonios et Tyrios, sinistrum Aradios et ex Pamphylia Sidetas tenere; quas gentes nullae unquam nec arte, nec virtute navali aequassent. Iam pecuniam, iam alios belli apparatus referre supervacaneum esse; scire ipsos, abundasse semper auro regna Asiae. Itaque non cum Philippo, nec Hannibale rem futuram Romanis, principe altero civitatis, altero Macedoniae tantum regni finibus incluso; sed cum magno Asiae totius partisque Europae rege. Eum tamen, quanquam ab ultimis orientis terminis ad liberandam Graeciam veniat, nihil postulare ab Achaeis, in quo fides eorum adversus Romanos, priores socios atque amicos, laedatur. Non enim ut secum adversus eos arma capiant, sed ut neutri parti sese coniungant,

petere. Pacem utrique parti, quod medios deceat amicos, optent, bello se non interponant.

Idem ferme et Aetolorum legatus Archidamus petiit, ut, quae facillima et tutissima esset, quietem praestarent spectatoresque belli fortunarum alienarum eventum sine ullo discrimine rerum suarum opperirentur. Provectus deinde est intemperantia linguae in maledicta, nunc communiter Romanorum, nunc proprie ipsius Quinctii: ingratos appellans et exprobrans non victoriam modo de Philippo virtute Aetolorum partam, sed etiam salutem, ipsumque et exercitum sua opera servatos; quo enim illum unquam imperatoris functum officio esse? Auspicantem immolantemque et vota nuncupantem sacrificuli vatis modo in acie vidisse, quum ipse corpus suum pro eo telis hostium obiiceret.

Ad ea Quinctius, Coram quibus magis, quam apud quos, verba faceret, dicere, Archidamum rationem habuisse. Achaeos enim probe scire, Aetolorum omnem ferociam in verbis, non in factis, esse, et in conciliis magis concionibusque, quam in acie, apparere; itaque parvi Achaeorum existimationem, quibus notos esse se scirent, fecisse, legatis regis et per eos absenti regi eum se iactasse. Quod si quis antea ignorasset, quae res Antiochum et Aetolos coniunxisset, ex legatorum sermone potuisse apparere, mentiendo invicem iactandoque vires, quas non haberent, inflasse vana spe atque inflatos esse, dum ii ab se Philippum victum, sua virtute protectos Romanos et quae modo audiebatis narrant; vos ceterasque civitates et gentes suam sectam esse secuturos, rex contra peditum equitumque nubes iactat et consternit maria suis classibus. Est autem res simillima coenae Chalcidensis hospitis mei, hominis et boni et sciti convivatoris; apud quem solstitiali tempore comiter accepti quum miraremur, unde illi eo tempore anni tam multa et varia venatio, homo non, quam isti sunt, gloriosus, renidens, condimentis, ait, varietatem illam et speciem ferinae carnis ex mansueto sue factam. Hoc dici apte in copias regis, quae paulo ante iactatae sint, posse. Varia enim

genera armorum et multa nomina gentium inauditarum, Dahas et Medos et Caddusios et Elymaeos, Syros omnes esse, haud paulo mancipiorum melius propter servilia ingenia, quam militum genus. Et utinam subiicere oculis vestris, Achaei, possem concursationem regis magni ab Demetriade, nunc Lamiam in concilium Aetolorum, nunc Chalcidem! Videretis vix duarum male plenarum legiuncularum instar in castris regis; videretis regem, nunc mendicantem prope frumentum ab Aetolis, quod militi admetiatur, nunc mutuas pecunias foenore in stipendium quaerentem, nunc ad portas Chalcidis stantem, et mox inde exclusum, nihil aliud quam Aulide et Euripo spectatis, in Aetoliam redeuntem. Male crediderunt et Antiochus Aetolis et Aetoli regiae vanitati. Quo minus vos decipi debetis, sed expertae potius spectataeque Romanorum fidei credere. Nam quod optimum esse dicant, non interponi vos bello, nihil immo tam alienum rebus vestris est. Quippe sine gratia, sine dignitate praemium victoris eritis.

Nec absurde adversus utrosque respondisse visus est et facile erat orationem apud faventes aequis auribus accipi; nulla enim nec disceptatio, nec dubitatio fuit, quin omnes, eosdem genti Achaeorum hostes et amicos, quos populus Romanus censuisset, iudicarent bellumque et Antiocho et Aetolis nunciari iuberent. [1]) Auxilia etiam, quo censuit Quinctius, quingentorum militum Chalcidem, quingentorum Piraeeum extemplo miserunt. Erat enim haud procul seditione Athenis res trahentibus ad Antiochum quibusdam spe largitionum venalem pretio multitudinem; donec ab iis, qui Romanae partis erant, Quinctius est

---

1) Achaeos auctore Philopoemene atque approbatore nondum transgressis in Graeciam Romanis bellum Antiocho atque Aetolis indixisse tradit Polybius XL, 8, 8: *μετασχόντα* (Philopoemenem) *τοῦ δόγματος τοῖς Ἀχαιοῖς, ἐν ᾧ γεγραμμένῳ πρότερον τῆς Ῥωμαίων διαβάσεως Ἀντιόχῳ καὶ τοῖς Αἰτωλοῖς τὸν ἀπὸ τῆς χώρας πόλεμον ἐξήνεγκαν, τῶν ἄλλων Ἑλλήνων σχεδὸν ἁπάντων ἀπηλλοτριωμένων τῆς Ῥωμαίων φιλίας.*

accitus et accusante Leonte quodam Apollodorus auctor defectionis damnatus atque in exilium est eiectus. Et ab Achaeis quidem cum tristi responso legatio ad regem rediit. Boeoti nihil certi responderunt: quum Antiochus in Boeotiam venisset, tum, quid sibi faciendum esset, se deliberaturos esse. (Cf. Polyb. XX, 2. cum not. Schweighaeus. Tom. VII. p. 404.)

Antiochus Chalcidem occupat. Priores Achaei et Eumenis milites pacti, ut sine fraude liceret abire, praesidio excesserunt; pertinacius Romani Euripum tuebantur. Hi quoque tamen non tulere obsidionem (Liv. XXXV, 49—51. Plut. Flam. c. 15. App. Syr. 11. cc.).

§. 90.

Bellum Antiochenum et Aetolicum.

Antiochus Chalcide, ne cessaret per hibernorum tempus, partim ipse sollicitabat civitatum animos mittendis legatis, partim ultro ad eum veniebant; sicut Epirotae et Elei. Hi auxilium adversus Achaeos petebant, quos post bellum non ex sua sententia indictum Antiocho (cf. tamen §. praeced. Not.) primum civitati suae arma illaturos credebant. Mille iis pedites cum duce Cretensi Euphane sunt missi.

Haec acta sunt τοῦ χειμῶνος καταρχομένου anni 192 a. Chr. At Livius hanc rem ad annum 563 U. C. (= 191 a. Chr.) retulit, quum novi consules eius anni magistratum iam iniissent. Sed hieme tamen etiamnum haec gesta esse significat Polybius (XX, 3. Schweighaeus. ibid.).

Deinde Boetorum quoque gente adiuncta (Polyb. XX, 4—7.) Demetriadem ad diem indictam concilio, quod cum Aetolorum principibus habiturus erat, profectus est. Et Amynander accitus ad consultandum ex Athamania, et Hannibal Poenus iam diu non adhibitus interfuit ei concilio. (Cf. Iust. XXXI, 6.) Consultatum de Thessalorum gente est, quorum omnibus, qui aderant, voluntas tentanda videbatur; in eo modo diversae sententiae erant,

quod alii extemplo agendum, alii ex hieme, quae tum ferme media erat (fortasse mense Ianuario anni 563 U. C. = 191 a. Chr.), differendum in veris principium, et alii legatos tantummodo mittendos, alii cum omnibus copiis eundum censebant terrendosque metu, si cunctarentur. Hannibal censuit in Italiam traiiciendum (App. Syr. c. 14. Liv. XXXVI, 5—8.).

Hinc Pheras progressus Antiochus, dum legenda ossa Macedonum circa Cynoscephalas curat, nullam gratiam ad Macedonas, odium ingens ad Philippum movit tumulus ille ossibus in unum coacervatis. Itaque Philippus M. Baebium propraetorem de adventu Antiochi in Thessalia certiorem fecit. Expugnatis deinde urbibus nonnullis Chalcidem recessit magnoque ibi apparatu nuptias, captus amore virginis Chalcidensis Cleoptolemi filiae, celebravit. Quem quum residem videret Philopoemen puellae amoribus praeter aetatem implicatum, Syros autem absque ulla disciplina et imperio per urbes palantes in luxuriamque effusos, afflictabat se, quod in praesens non foret praetor Achaeorum ferebatque, invidere se illam victoriam Romanis. Ego enim, inquit, si praetor essem, omnes hos in lustris concidissem (Liv. XXXVI, 8—10. Plut. Philop. c. 17. App. Maced. 8. Syr. 14. 15. Polyb. XX, 8.). Patet igitur ex his nuptias istas tum esse celebratas, quum Philopoemen iam praeturam quartam suam deposuerit, novusque praetor Achaeorum Diophanes creatus sit circa Pleiadum ortum 191 a. Chr. Abiit quidem Chalcide Chaeroneam Antiochus, quo convenire omnem undique exercitum iusserat, principio veris, mox tamen rediit Chalcidem, quum consulem mare traiecisse comperisset.

Eodem anno, P. Cornelio Scipione, M'. Acilio Glabrione Coss. bellum adversus Antiochum Aetolosque susceperunt Romani. Acilio Graecia evenerat. C. Livius praetor, cui classis evenerat, traiicere in Graeciam primo quoque tempore iussus et ab Atilio naves accipere. M'. Acilius a. d. V. Non. Maias paludatus urbe egressus est, militibusque omnibus, quos L. Quinctius conscripserat,

Idibus Maiis Brundisii assumtis, in Graeciam traiecit (Liv. XXXVI, 1—3.). Duxit Acilius decem millia peditum, duo millia equitum, quindecim elephantos. (Cf. Liv. XXXVI, 14. XXXV, 41. XXXVI, 1, 3.) Appianus vero (Syr. 17.) eum viginti millia peditum, duo millia equitum secum habuisse narrat. Hic tamen numerus tum demum exiit, quum consul Baebii copias quoque adscivisset. (Cf. Liv. XXXVII, 2.) Veriora igitur tradit Livius (XXXVI, 14.), neque est corrigendus, ut I. Fr. Gronovius et Drakenborchius censuerunt; idemque iam Schornius (l. c. p. 282. N.) vidit. Neque erant M. Porcius Cato et L. Valerius Flaccus consulares legati, ut tradit T. Livius (XXXVI, 17.), quem Phlegon (de Mirab. c. 3.) secutus est, sed tribuni militum. (Cf. Polyb. XX, 10. Plut. in Cat. c. 12. App. Syr. 18. Cic. de senect. c. 10.)

Consuli M'. Acilio advenienti quum se iunxisset Philippus, exercitus Romanus Athamania in potestatem redacta per Thessaliam ad saltum Thermopylarum pergit, quem rex insederat, sed praesidiis Aetolorum per M. Catonem, tribunum militum, Callidromo deiectis, etiam regiae copiae profligantur et delentur. Rex praecipiti fuga Chalcidem et inde Asiam repetit, victores Phocidem, Boeotiam, Euboeam peragrant, inde reversi, Heraclea expugnata, Naupactum, Aetoliae caput, obsident. Aetolis obsecrantibus, auctore T. Quinctio, induciae dantur, quibus Romam legatos de pace mittant (Liv. XXXVI, 18—30. Polyb. XX, 9—11. Iust. XXXI, 6. App. Syr. 15—21. Plut. Flam. c. 15—17.). Ibi quae de ἀπατηθῆναι et ἀγνοίᾳ disputavit Lucas (l. c. p. 132. 133.), quam obiecerit Aetolis Polybius, ita sunt comparata, ut de industria contorqueant Polybii narrationem, neque adducimur, ut fidem eis habeamus.

Aetolorum legati infecta pace revertuntur, liberum de se arbitrium senatui permittere nolentes (Polyb. XXI, 1. Liv. XXXVII, 1.). Eaque acta sunt 190 a. Chr. ineunte, L. Cornelio Scipione (Asiatico), C. Laelio Coss. quum iam T. Quinctius Romam redisset et de navali proelio ad-

versus Antiochum ad Chium ad Corycum portum, qui super Cyssuntem portum Erythraeorum est (Liv. XXXVI, 41—45. XXXVII, 8. Schweigh. ad Polyb. XXI, 1, 1. ubi Reiskii exposuit sententiam; Iust. XXXI, 6.), commisso Romam nuncius esset allatus.

§. 87.

Res in Peloponneso gestae.

Dum Naupactus ab Romanis obsidione cincta tenetur et Messene in Peloponneso ab Achaeis, quod concilii eorum recusaret esse, oppugnari coepta est. Etenim duae civitates, Messene et Elis, extra concilium Achaicum erant, cum Aetolis sentiebant. Elei tamen post fugatum ex Graecia Antiochum legatis Achaeorum lenius responderant, dimisso praesidio regio cogitaturos se, quid sibi faciendum esset. Messenii sine responso dimissis legatis moverant bellum trepidique rerum suarum quum iam ager effuso exercitu passim ureretur castraque prope urbem poni viderent legatos Chalcidem ad T. Quinctium, auctorem libertatis, miserunt, qui nunciarent, Messenios Romanis, non Achaeis, et aperire portas et dedere urbem paratos esse. Auditis legatis extemplo profectus Quinctius a Megalopoli ad Diophanem praetorem Achaeorum misit, qui extemplo reducere eum a Messene exercitum et venire ad se iuberet. Dicto paruit Diophanes et soluta obsidione expeditus ipse praegressus agmen circa Andaniam, parvum oppidum inter Megalopolim Messenenque positum, Quinctio occurrit et quum caussas oppugnationis exponeret castigatum leniter, quod tantam rem sine auctoritate sua conatus esset, dimittere exercitum iussit nec pacem omnium bono partam turbare. Messeniis imperavit, ut exules reducerent et Achaeorum concilii essent; si qua haberent, de quibus aut recusare, aut in posterum caveri sibi vellent, Corinthum ad se venirent. (Cf. Liv. XXXVI, 5, 2. 31. coll. 35, 7. et Polyb. XX, 3, 5. Ol. 147, 2.) Diophanem concilium Achaeorum extemplo sibi praebere iussit. Ibi de Zacyntho intercepta per fraudem insula

questus postulavit, ut restitueretur Romanis. Philippi Macedonum regis Zacynthus fuerat; eam mercedem Amynandro dederat, ut per Athamaniam ducere exercitum in superiorem partem Aetoliae liceret; qua expeditione fractis animis Aetolos compulit ad petendam pacem; Amynander Philippum Megalopolitanum insulae praefecit; postea per bellum, quo se Antiocho adversus Romanos coniunxit, Philippo ad munia belli revocato, Hieroclem Agrigentinum successorem misit. Is post fugam ab Thermopylis Antiochi, Amynandrumque a Philippo Athamania pulsum, missis ultro ad Diophanem praetorem Achaeorum nunciis, pecuniam pactus, insulam Achaeis tradidit.

Id praemium belli suum esse aequum censebant Romani; non enim M'. Acilium consulem legionesque Romanas Diophani et Achaeis ad Thermopylas pugnasse. Diophanes adversus haec purgare interdum sese gentemque, interdum de iure facti disserere. Quidam Achaeorum et initio eam se rem aspernatos testabantur et tunc pertinaciam increpitabant praetoris, auctoribusque iis decretum est, ut T. Quinctio ea res permitteretur. Erat Quintius, sicut adversantibus asper, ita, si cederes, idem placabilis. Omissa igitur contentione vocis vultusque, Si utilem, inquit, possessionem eius insulae censerem Achaeis esse, auctor essem senatui populoque Romano, ut eam vos habere sinerent; ceterum sicut testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse, ubi exserit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atque infirmum habere; haud dissimiliter vos, Achaei, clausos undique mari, quae intra Peloponnesi sint terminos, ea et iungere vobis et iuncta tueri facile; simul aviditate plura amplectendi hinc excedatis, nuda vobis omnia, quae extra sint, et exposita ad omnes ictus esse. Assentiente omni concilio, nec Diophane ultra tendere auso, Zacynthus Romanis traditur (Liv. XXXVI, 31. 32.). Nec tamen multo post transiit ad Aetolorum partes eamque insulam C. Livius, praefectus Romanae classis, depopulatus est (Liv. XXXVI, 42.).

Sic ex eo tempore, quo Achaeorum tota fere Peloponnesus facta est, Romani id potissimum egerunt, ut Achaeorum infringerent opes.

Paulo post (auctumno Ol. 147, 2 = 191 a. Chr.) consul cum T. Quinctio a Chalcide ad Achaicum concilium Aegium traiecit (Liv. XXXVI, 35.). Ibi de Eleis et de exulibus Lacedaemoniorum restituendis actum; et neutra perfecta res, quia suae gratiae reservari eam Achaei, Elei per se ipsi, quam per Romanos, maluerunt Achaico contribui concilio. Aristaenus Megalopolitanus, nequaquam cum Aristaeneto commiscendus (ut falso Plut. Philop. c. 17. cf. Polyb. XXV, 9. Lucht. Excerpt. p. 52. sq. Paus. VIII, 51.), suadet Achaeis, ut Romanorum voluntati obtemperent. Polybius (XX, 12.) Romam Lacedaemonios misisse legatos refert. Quae quidem non prorsus abhorrent ab iis, quae narrat Livius (XXXVI, 35. med.). Reiskius tamen tria hoc in loco Polybiano sibi visus est indagasse vitia, quorum priora duo, quum in verbis codicum incuria male exhibitis lateant, facili autem negotio emendari possint, nihil attinet commemorare, tertium vero et idem gravissimum est, quod, ut opinatur, haec legatio neque Romae fuerit, neque Roma redierit, neque Romam missa sit, sed Aegium ad concilium Achaeorum, ad quod M'. Acilius Glabrio Cos. cum T. Quinctio Flaminino convenerat, id quod patet ex Livii loco supra laudato. Sed quae his subiecit in editione sua Polybiana (Tom. VII. p. 417.) Schweighaeuserus audiamus. Utique, inquit, turbas h. l. ciet atque dubitationem movere potest Livii a Polybio dissensus, praesertim quum in rerum Graecarum huius temporis narratione presso pede Graecum scriptorem sequi Romanus consueverit; si modo ea dissensio est, neque hoc solum, quod partem narrationis Polybii praeterierit Livius. Legationem a Lacedaemoniis Romam missam silentio praeterit Livius; apud T. Quinctium in concilio Achaeorum actum esse, ait, de exulibus Lacedaemoniorum restituendis. Haec non pugnant inter se, sed mirifice consentiunt. Polybius scribit: rediisse hoc tempore (in cuius historia versatur Livii narratio l. c.)

legationem a Lacedaemoniis Romam missam; simul docet Polybius, senatum Romanum respondisse Lacedaemoniorum legatis, se de iis rebus, quas petiissent Lacedaemonii, mandata daturum legatis Romanis in Graeciam mittendis, vel missis (nam utroque modo intelligi verbum ἀποστελλομένοις potest). Atqui in illorum legatorum numero T. Quinctius erat, ut docet Livius XXXV, 23. Igitur consentaneum erat, ut in concilio Achaeorum, cui tunc intererat T. Quinctius, eisdem de rebus ageretur; praesertim quum et Lacedaemonii recens tunc (anno superiori) occiso ab Aetolis Nabide (Liv. XXXV, 35.) societati Achaeorum intercedente Philopoemene essent adiuncti (Liv. ib. c. 37.) et quum ceteroquin etiam ea, quae postulaverant Lacedaemonii, ad Achaeos nonnihil pertinerent, ut mox videbimus.

Missi enim erant legati, ut peterent de obsidibus (ἐπρέσβευον μὲν γὰρ περὶ τῶν ὁμήρων). Sunt nempe hi obsides, qui in pace anno 192 a. Chr. a T. Quinctio Nabidi data imperati erant Nabidi (Liv. XXXIV, 35. coll. c. 40.). Qui ut redderentur nec ab Achaeorum concilio nec a T. Flaminino petere Spartani potuerunt; ad senatum Romanum ea res pertinebat. Et respondit senatus, de obsidibus se amplius deliberaturum; mox vero, ut docet Polybius c. 13. l. c., remiserunt Spartanis obsides, excepto Armene, Nabidis filio.

Alterum petitum erat de pagis vel de vicis. Possis etiam de oppidis vertere, nam oppidum non munitum κώμην Graeci dicunt. Cf. Polyb. II, 17, 9. Quinam vero sint hi vici, et quid de illis petierint a senatu Romano legati Lacedaemoniorum, intelligitur ex iis, quae post facta anno 189 a. Chr. tradit Livius XXXVIII, 30. sq. Scilicet T. Quinctius, quum in bello cum Nabide anno 192 a. Chr. maritimae orae oppida omnia, quae ditionis Lacedaemoniorum fuerant, partim metu aut vi cepisset (Liv. XXXIV, 29.) et Gythium etiam, portum Lacedaemoniorum, in deditionem accepisset, castella omnia et vicos eius orae in fidem tutelamque Achaeorum tradiderat, quibus vicis atque castellis abstinere ex foedere La-

cedaemonii deberent. Eam conditionem pacis a Flaminino proconsule Nabidi datae praeterierat quidem Livius XXXIV, 35. sed ex XXXVIII, 31. res satis apparet. Receperat quidem interim anno 191 a. Chr. ineunte Nabis Gythium, sed a Philopoemene, Achaeorum praetore, rursus inde pulsus, et debilitatis ac prope fractis viribus in urbem Spartam inclusus erat (Liv. XXXV, 25—30.). Eodem vero etiam anno, interfecto ab Aetolis Nabide, Lacedaemonii quidem Philopoemenis oratione commoti (qui tunc magistratu aberat) societati Achaeorum se adiunxerunt (Liv. XXXV, 35—37.), sed vici atque castella orae maritimae, quae in tutela Achaeorum erant, eis non sunt reddita. Idcirco Romam legatos miserunt Lacedaemonii, qui peterent a senatu, ut, quoniam occisus erat Nabis tyrannus, et ipsi foederi Achaeorum essent adiuncti, imperaret senatus reliquis Achaeis, ut vicos et castella orae maritimae, a Romanis olim Nabidi ademta et in Achaeorum fidem tutelamque tradita, sibi nunc restituerent. In eadem petitione de vicis agebatur fortasse etiam de exulibus Spartanis, qui sub Achaeorum tutela ibi habitabant.

Respondit senatus, de vicis illis mandata se daturum legatis Romanis, qui in Graeciam essent missi, quorum in numero T. Quinctius erat. Ea de re haud dubie deinde actum est in eodem concilio Achaeorum, de quo Livius XXXVI, 35. loquitur, quanquam huius rei non memorat Romanus scriptor, qui in Graeciae rebus Polybium quidem presse secutus, sed non omnes res ad Graecos pertinentes ita minutatim, ut a Graeco scriptore factum, persecutus est. (Cf. F. Lachmann. de fontib. Livii.) At in illo Achaeorum concilio nihil de ea re novi decretum est; vici illi, de quibus agebatur, cum tota ora maritima Lacedaemoniis olim ademti his non sunt restituti, sed manserunt in tutela Achaeorum, magnam partem habitati ab exulibus Spartanis aegre id patientibus ceteris Lacedaemoniis (Liv. XXXVIII, 30. sq.).

Porro agebatur in concilio de illis civibus Spartanis, qui a Nabide et partim etiam ab eis, qui ante hunc tyrannidem Lacedaemone occupaverant, in exilium fuerant

pulsi (Polyb. XIII, 6, 3. Liv. XXXIV, 26.). Magna horum pars habitabat vicos orae maritimae Laconicae, ut supra monuimus. In pace a Tito Nabidi data restituendorum in urbem exulum illorum nulla fuerat mentio facta (Liv. XXXIV, 36.), modo mandatum Nabidi, ut liberos et coniuges, quaecunque voluissent, exulibus remitteret (ibid. c. 35.). Nunc liberata Lacedaemone a Nabidis tyrannide et societati Achaeorum adiuncta spem redeundi in patriam ceperant hi exules, non invitis Achaeis, sed quam maxime invitis ipsis Lacedaemoniis, ut satis apparet ex Liv. XXXVIII, 34. Spartani legati de ea re ad senatum retulisse videntur Romanum, ubi de vicis agebant, quos habitabant exules. Quid responderit de exulibus senatus, perspicue hic docet Polybius: *περὶ δὲ τῶν φυγάδων τῶν ἀρχαίων θαυμάζειν, ἔφησαν, πῶς οὐ κατάγουσιν αὐτοὺς εἰς τὴν οἰκείαν, ἠλευθερωμένης τῆς Σπάρτης.* In concilio deinde Achaeorum, de quo Livius loquitur XXXVI, 35. (cf. Plut. vit. Philop. c. 17. Paus. VIII, 51, 1. apud quem in versione certe Latina ex Siebelisii textus emendatione Manius pro Manilio reponendus est), consul M'. Acilius una cum T. Quinctio legato ab Achaeis postulavit, ut exules Lacedaemoniorum in patriam urbem restituerent; sed res tunc non est perfecta, non quod id nollent Achaei, sed quod ita rem factam vellent, ut non populus Romanus, sed ut ipsi gratiam beneficii ferrent. Itaque dilata res est resistente inprimis Philopoemene, et demum anno 189 a. Chr. decreto in concilio communi Achaeorum facto restituti in urbem exules sunt a praetore Achaeorum Philopoemene, ut docet Livius XXXVIII, 34; ideo inerat ei enixa quaedam adversus superiores potestates prae animi celsitudine concertationis et contentionis libido (Plut. l. c.).

§. 88.

Belli Antiocheni in Asia, Aetolici in Europa finis. — Achaeorum societas cum Eumene. Funditores Achaici.

L. Scipio Cos. (190 a. Chr.) comitante fratre Africano adversus Antiochum profectus Aetolis iterum sex

mensium inducias dat, inde per Macedoniam et Thraciam Lysimachiam pervenit, unde praesidium deduxerat Antiochus, postquam classis regis ad Myonnesum a L. Aemilio praetore et Eumene Rhodiisque devicta erat. Romani in Asiam traiiciunt et regium exercitum fere septuaginta millia hominum, ipsi triginta millia, ad Magnesiam devincunt. Antiochus protinus ex fuga legatos de pace mittit et inducias impetrat. Victor exercitus deditis Asiae civitatibus circa Magnesiam per oppida divisus est. Sic, pro *hibernis,* quae ignorat Polybius, intelligenda Livii verba. Mirum est enim, mense Aprili exeunte (nam per totum mensem Martium in Europa remanserat Scipio et deinde iam ante pugnam ad exercitum advenerat, ut docet Polybius: XXI, 10, 11. et c. 11, 1.) *hiberna* commemorare; nisi aut valde turbatum tunc temporis calendarium Romanum statuamus (quod ipsum quidem revera erat, Livius enim XXXVII, 1. 4. consulem Idibus Quinctilibus Brundisio in Graeciam profectum esse narrat), aut dicamus, *hiberna* a Livio generaliori quadam notione usurpari pro *stativis* vel *mansione sub tectis*, quam Galli *cantonnement* vocant. (Cf. Schweigh. ad Polyb. l. c.) De victoria Romanorum cf. Polyb. XXI, 2—6. coll. XXII, 12. 14. Zonar. IX, 20. Liv. XXXVII, 7—30. Diod. Sic. Ecl. Legat. V. Polyaen. Strateg. V, 27. App. Syr. 23. sq. Iust. XXXI, 7.

Eodem bello Achaei societate cum Eumene firmata huc suppetias mittunt adversus Seleucum Pergamum obsidentem pedites mille cum equitibus centum duce Diophane Megalopolitano, praetore magno rei militaris usu instructo. Bello enim adversus Nabidem tyrannum, diuturno et Megalopolitanis finitimo, sub Philopoemenis disciplina assidue militans, veram seriamque rerum bellicarum peritiam collegerat. Praeterea ipsa specie ac robore corporis conspicuus erat ac formidabilis, strenuus ipse bellator et tractandorum armorum inprimis peritus. Huius Achaeorumque audacia Seleucum ex agro Pergameno movere castra coegit (Polyb. XXI, 7. XXIII, 10, 4. Liv. XXXVII, 20. sq. Suidas v. Διοφάνης).

M. Fulvio Nobiliore, Cn. Manlio Vulsone Coss. (189 a. Chr.) victo Antiocho pax datur (Liv. XXXVII, 48. 55. sq. Polyb. XXI, 14.). Triumphus L. Aemilii Regilli navalis Kal. Febr. L. Scipionis mense intercalario pridie Kal. Mart. (Liv. XXXVII, 58. sq.). Cn. Manlius successor L. Scipioni missus Gallo-Graecorum tres gentes bello persequitur (Liv. XXXVII, 60. XXXVIII, 12—28. Polyb. XXII, 16—22.). M. Fulvius Ambracia capta tandem Aetolorum spiritus frangit eosque populi Romani imperio subiicit (Liv. XXXVIII, 1—12. Polyb. XXII, 8—16. Zonar. Annal. IX, 21. Polyaen. VI, 17. Iust. XXXII, 1.).[1] Eodem bello Pleuratus, Illyriorum rex, cum sexaginta lembis Corinthium sinum invectus, adiunctis Achaeorum, quae Patris erant, navibus, maritima Aetoliae vastaverat (Liv. XXXVIII, 7.).

Idem M. Fulvius Cephalleniam, Samen aliasque insulas subigit. Una ad coercendos Samaeos inventa haud magna memoratu res est. Centum funditores ab Aegio et Patris et Dymis acciti. A pueris ii, more quodam gentis, saxis globosis, quibus ferme arenae immixtis strata litora sunt, funda mare apertum incessentes, exercebantur; itaque longius certiusque et validiore ictu, quam Baliaris funditor, eo telo usi sunt; et est non simplicis habenae, ut Baliarica aliarumque gentium funda, sed triplex scutale, crebris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur in iactura glans, sed librata quum sederit velut nervo missa excutiatur; coronas modici circuli magno ex

1) Quod pacis cum Aetolis factae conditiones attinet, apparet ex Polybii XXII, 13. Aetolos iis urbibus cedere debuisse, quas *μετὰ τὴν Τίτου Κοΐντιου διάβασιν*; alterum eius in Graeciam iter 191 a. Chr.; occupaverant; quod ipsum ignorasse videntur Perizonius ap. Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 461. sq. et Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 11. cf. XXXV, 23. Ex alio rursus loco Polybii XXII, 15. coll. Liv. XXXVIII, 9. et 11. omnibus iis urbibus cedendum Aetolis erat, quas *ἐπὶ Τίτου* (leg. *Λευκίου*) *Κοΐντιου καὶ Γναΐου Δομετίου στρατηγῶν ἢ ὕστερον* Romani occupaverant.

intervallo loci assueti traiicere, non capita solum hostium vulnerabant, sed quem locum destinassent oris. Eae fundae Samaeos cohibuerunt, ne tam crebro, neve tam audacter erumperent, adeo ut precarentur ex muris Achaeos, ut parumper abscederent et se cum Romanis stationibus pugnantes quiete spectarent. Quattuor menses obsidionem Same sustinuit; inde dediti direpta urbe sub corona omnes venierunt (Liv. XXXVIII, 28. 29. Polyb. XXII, 23, 1.).

T. Quinctius Flamininus, M. Claudius Marcellus, Marcelli, qui quinquies consul fuit, filius, eo anno censores Romae creati (Liv. XXXVIII, 28, 1. Plut. in Flam. c. 18.).

§. 89.

Achaeorum cum Lacedaemoniis controversiae. Philopoemen quintum et sextum praetor.

Consul compositis rebus Cephalleniae, praesidio Samae imposito, in Peloponnesum iam diu arcessentibus Aegiensibus maxime ac Lacedaemoniis traiecit.

Aegium a principio Achaici concilii semper conventus gentis indicti sunt; seu dignitati urbis id, seu loci opportunitati datum est. Hunc morem Philopoemen eo primum anno labefactare conatus legem parabat ferre, ut in omnibus civitatibus, quae Achaici concilii essent, invicem conventus agerentur. (Cf. supra §. 32.) Et sub adventum consulis, Damiurgis civitatum, qui summus est magistratus, Philopoemen, qui praetor quintum tum erat (a Maio mense 189 ad eundem mensem 188 a. Chr.), Argos conventum edixit. Quo quum appareret omnes fere conventuros, consul quoque, quamquam Aegiensium favebat caussae, Argos venit; ubi quum disceptatio fuisset et rem inclinatam cerneret, incepto destitit.

Lacedaemonii deinde (dum Fulvius Samen oppugnat Ol. 147, 4) eum in sua certamina averterunt. Sollicitam eam civitatem exules maxime habebant, quorum maxima pars in maritimis Laconicae orae castellis, quae omnis

ademta erat, habitabant. Id aegre patientes Lacedaemonii, ut aliqua liberum ad mare haberent aditum, si quando Romam aliove quo mitterent legatos, simulque ut emporium et receptaculum peregrinis mercibus ad necessarios usus esset, nocte adorti vicum maritimum, nomine Lan (dissitum a mari decem stad., quadraginta ab Gythio remotum, Paus. III, 24.), improviso occupavere. Vicani quique ibi exules habitabant, primo inopinata re territi sunt; deinde sub lucem congregati levi certamine expulerunt Lacedaemonios. Terror tamen omnem maritimam oram pervasit, legatosque communiter et castella omnia vicique et exules, quibus ibi domicilia erant, ad Achaeos miserunt. Philopoemen praetor iam inde ab initio exulum caussae et amicus et auctor semper Achaeis minuendi opes et auctoritatem Lacedaemoniorum concilium querentibus dedit; decretumque eo referente factum est, Quum in fidem Achaeorum tutelamque T. Quinctius et Romani Laconicae orae castella et vicos tradidissent et quum abstinere his ex foedere Lacedaemonii deberent, Las vicus oppugnatus esset caedesque ibi facta; qui eius rei auctores affinesque essent, nisi dederentur Achaeis, violatum videri foedus. Ad exposcendos eos legati extemplo Lacedaemonem missi sunt. Id imperium adeo superbum et indignum Lacedaemoniis visum est, ut, si antiqua civitatis fortuna esset, haud dubie arma extemplo capturi fuerint; maxime autem consternavit eos metus, si semel primis imperiis obediendo iugum accepissent, ne id, quod iam diu molfretur, Philopoemen exulibus Lacedaemonem traderet. Furentes igitur ira triginta hominibus ex factione, cum qua consiliorum aliqua societas Philopoemeni atque exulibus erat, interfectis, decreverunt, renunciandam societatem Achaeis legatosque extemplo Cephalleniam mittendos, qui consuli M. Fulvio, quique Romanis Lacedaemonem dederent orarentque eum, ut veniret in Peloponnesum ad urbem Lacedaemonem in fidem ditionemque populi Romani accipiendam.

Id ubi legati ad Achaeos retulerunt omnium civitatum, quae eius concilii erant, consensu bellum Lacedae-

moniis indictum est; ne extemplo gereretur. hiems (anni 189 a. Chr. Ol. 147, 4) impediit. Incursionibus tamen parvis, latrocinii magis quam belli modo, non terra tantum, sed etiam navibus a mari fines eorum vastati. Hic tumultus consulem in Peloponnesum adduxit, iussuque eius Elin concilio indicto Lacedaemonii ad disceptandum acciti. Magna ibi non disceptatio modo, sed etiam altercatio fuit; cui consul, quum alia satis ambitiose partem utramque fovendo incerta respondisset, una denunciatione, ut bello abstinerent, donec Romam legatos ad senatum misissent, finem imposuit. Utrinque legatio missa Romam est; exules quoque Lacedaemoniorum suam caussam legationemque Achaeis iniunxerunt. Diophanes, vir praetorius, et Lycortas (Polybii pater, Polyb. XXIII, 1, 6. ὁ παρ' ἡμῶν πατήρ), Megalopolitani ambo, principes legationis Achaeorum fuerunt; qui dissidentes in republica, tum quoque minime inter se convenientes orationes habuerunt. Diophanes senatui disceptationem omnium rerum permittebat, eos optime controversias inter Achaeos ac Lacedaemonios finituros esse. Lycortas ex praeceptis Philopoemenis postulabat, ut Achaeis ex foedere ac legibus suis, quae decressent, agere liceret libertatemque sibi illibatam, cuius ipsi auctores essent, praestarent. Magnae auctoritatis apud Romanos tum gens Achaeorum erat, novari tamen nihil de Lacedaemoniis placebat. Ceterum responsum ita perplexum fuit, ut et Achaei sibi de Lacedaemone permissum acciperent, et Lacedaemonii non omnia concessa iis interpretarentur. Hac potestate immodice Achaei ac superbe usi sunt.

Philopoemeni continuatur magistratus (praetura sexta eius a Maio 188 ad Maium mensem 187 a. Chr.); qui veris initio (anni 188 a. Chr. = 566 U. C.) exercitu indicto castra in finibus Lacedaemoniorum posuit. Legatos deinde misit ad deposcendos auctores defectionis et civitatem in pace futuram, si id feciscent, pollicens, et illos nihil indicta caussa passuros. Silentium prae metu ceterorum fuit; quos nominatim depoposcerat, ipsi se ituros professi sunt; fide accepta ab legatis vim abfuturam, donec

caussam dixissent. Ierunt alii etiam illustres viri et advocati privatis et quia pertinere caussam eorum ad rempublicam censebant. Nunquam alias exules Lacedaemoniorum Achaei secum adduxerant in fines, quia nihil aeque alienaturum animos civitatis videbatur; tunc exercitus totius prope antesignani exules erant. Ii venientibus Lacedaemoniis ad portam castrorum agmine facto occurrerunt; et primo lacessere iurgiis, deinde altercatione orta, quum accenderentur irae, ferocissimi exulum impetum in Lacedaemonios fecerunt. Quum illi Deos et fidem legatorum testarentur, et legati et praetor submoveret turbas et protegeret Lacedaemonios vinculaque iam quosdam iniicientes arceret, crescebat tumultu concitato turba. Et Achaei ad spectaculum primo concurrebant; deinde vociferantibus exulibus, quae passi forent, et orantibus opem affirmantibusque simul, Nunquam talem occasionem habituros, si eam praetermisissent, foedus, quod in Capitolio, quod Olympiae, quod in arce Athenis sacratum fuisset, irritum per illos esse, priusquam alio de integro foedere obligarentur, noxios puniendos esse. Accensa his vocibus multitudo ad vocem unius, qui, ut ferirent, inclamavit, saxa coniecit; atque ita septemdecim, quibus vincula per tumultum iniecta erant, interfecti sunt. Sexaginta tres postero die comprehensi, a quibus praetor vim arcuerat, non quia salvos vellet, sed quia perire caussa indicta nolebat, obiecti multitudini iratae, quum aversis auribus pauca locuti essent, damnati omnes et traditi sunt ad supplicium. Hi septemdecim cum sexaginta tribus conficiunt octoginta, quos Polybius (XXII, 23, 2.), quem in his rebus constanter Livius sequitur, teste Plutarcho (vit. Philop. c. 16.) occisos a Philopoemene scripserat; cf. Lycortae orationem ad Ap. Claudium, legatum Romanorum, apud Liv. XXXIX, 36. sq.; ut vero tradidit Aristocrates, qui historiam, *Λακωνικὰ* inscriptam, edidit (Athenaeus III. p. 82. e.), trecenti quinquaginta interfecti sunt, eodem Plutarcho (l. c.) auctore; Pausanias (VIII, 51, 1.) vero narrat, Philopoemenem trecentos homines, seditionum auctores, ex Peloponneso eiecisse et publicorum servorum

prope tria millia vendidisse. Patrata est haec caedes, si est Polybio habenda fides, nec, cur non habeatur, satis idonea subest caussa, ad Compasium. (Cf. Polyb. XXIII, 1, 1. coll. 7, 6.) Quisnam vero locus sit τὸ Κομπάσιον, in quo caedem factam ait, haud liquet. Fortasse vici nomen, ubi fuerunt castra Achaeorum, ad quorum castrorum portam, ut Livius narrat XXXVIII, 33., caedes illa Spartanorum fieri coepta est. In nomine nil variant libri. Ceterum apud neminem alium scriptorem, quod sciamus, ac ne apud Pausaniam quidem in Laconicis, vestigium ullum illius nominis reperitur; apud unum Aristophanem in Avibus v. 1125. memoratur Προξενίδης ὁ Κομπασεύς, ut notatum a Gronovio ad oram sui libri vidit Schweighaeuserus, quod tamen parum huc facit. E Stephano Byzantino nihil subsidii hic peti potest, quoniam intercidit ibi quidquid inter duo nomina, Κελαίθρα et Κόρακος πέτρα, fuerat interiectum. Apud Livium lib. XXXIX, 36, 3. ubi eiusdem caedis fit mentio, Compasii nomen latere suspicati sunt interpretes in verbis illis, quae vulgo sic leguntur: caedem primum ad *conflictum* factam eorum, qui a Philopoemene ad caussam dicendam evocati venissent; quorum interpretum rationem suo calculo comprobavit Reiskius (Schweigh. ad Polyb. Tom. VII. p. 491. sq.).

Hoc metu iniecto Lacedaemoniis imperatum primum, ut muros diruerent, deinde, ut omnes externi auxiliares, qui mercede apud tyrannos militassent, terra Laconica excederent, tum uti quae servitia tyranni liberassent (ea magna multitudo erat) ante diem certam abirent; qui ibi mansissent, eos prehendendi, vendendi, abducendi Achaeis ius esset. Lycurgi leges moresque abrogarent. Achaeorum assuescerent legibus institutisque; ita unius eos corporis fore et de omnibus rebus facilius consensuros. Nihil obedientius fecerunt, quam ut muros diruerent, nec aegrius passi sunt, quam exules reduci. Decretum Tegeae in concilio communi Achaeorum de restituendis iis factum est, et mentione illata externos auxiliares dimissos et Lacedaemoniis adscriptos (ita enim vocabant, qui a tyrannis liberati erant) urbe excessisse in agros dilapsos;

priusquam dimitteretur exercitus ire praetorem cum expeditis et comprehendere id genus hominum et vendere iure praedae placuit. Multi comprehensi venierunt;[1]) porticus ex ea pecunia Megalopoli permissu Achaeorum refecta est, quam Lacedaemonii diruerant.[2]) Et ager Belbinates (sic ap. Liv., Stephan. et al. Polyb. vero II, 54. Belminam scripsit), quem iniuria tyranni Lacedaemoniorum possederant, restitutus eidem civitati, ex decreto vetere Achaeorum, quod factum erat Philippo Amyntae filio regnante. Per haec velut enervata civitas Lacedaemoniorum diu Achaeis obnoxia fuit; nulla tamen res tanto erat damno, quam disciplina Lycurgi, cui per septingentos annos assueverant, sublata. Idque Philopoemenis factum Plutarchus (vit. Philop. c. 16.) immanissimum vocat atque iniquissimum: ὠμότατον καὶ παρανομώτατον. Ceterum aliquanto post beneficio populi Romani relictis institutis Achaicis pristina, quoad eius fieri a tantis miseriis et

---

1) Horum fuerunt Plutarcho et Pausania (ll. cc.) testibus tria millia. Dem erstern zufolge, inquit Manso (Sparta III, 1. p. 419. Not. r.), wurden alle von dem Tyrannen mit dem Spartanischen Bürgerrechte beschenkten Heloten, jene widerspänstigen abgerechnet, nach Achaia gebracht. Auch klagt Areus beim Polybius (XXIII, 12, 2.), dass Philopömen durch die gewaltsame Wegschleppung des Volkes den Staat entkräftet habe. Uebrigens zeigt sowohl diese Erzählung als auch mehr noch der Verfolg der Geschichte, dass Livius, an den ich mich im Texte gehalten habe, nur summarisch erzählt. Bei einer genauern Aufmerksamkeit findet man indess leicht, dass man nicht nur zwischen den alten und neuen (aus Heloten gestempelten) Bürgern, sondern auch zwischen alten und neuen Ausgewanderten unterschied und die Achäer nicht verabsäumten, von allen diesen Verschiedenheiten, zur Schwächung des Spartanischen Staates, auf mannigfaltige Weise Gebrauch zu machen.

2) Plures Megalopoli erant porticus; ut refert Pausanias VIII, 30, 3; quaenam a Lacedaemoniis fuerit diruta accurate definiri nequit. Drakenb. quidem ad Liv. XXXVIII, 34. hanc opinatur esse a Paus. VIII, 30. vocatam στοὰν Μυρόπωλιν, quam Megalopolitani victo Acrotato, Arei (non Cleomenis, ut Drakenb. ex Paus. falso) filio, ex praeda exstruxerint; eam Cleomenes diruit

cladibus poterat, reduxerunt atque stabiliverunt (Liv. XXXVIII, 30—34. Polyb. XXII, 23, 2.). Philopoemenis instituta bene Helvingius (l. c. p. 318.) defendit. Cf. Manso l. c. III, 1. p. 455. sq.

§. 90.

Archonis prima, Philopoemenis septima praetura.

M. Aemilio Lepido, C. Flaminio Nepote Coss. (187 a. Chr. = 567 U. C. Liv. XXXVIII, 42.) quo anno Achaeorum praetor primum fuit Archo s. Arco (a Maio mense 187—186 a. Chr. Polyb. Fragm. ap. Lucht. c. 48.), post illam hominum caedem, quae ad Compasium facta est, Lacedaemoniorum nonnulli aegre rem ferentes existimantesque, simul vim et auctoritatem Romanorum solutam esse, Romam profecti Philopoemenem et res ab eo gestas accusarunt. Tandemque a M. Lepido, qui postea fuit pontifex, tunc consule, literas expresserunt ad commune Achaeorum, quibus literis Achaeos increpabat ob prave administratas res Lacedaemoniorum. Dum illi legatione hac funguntur, statim Philopoemen, septimum Achaeorum praetor (a Maio 186 ad eundem mensem 185 a. Chr. Cf. Bayer. l. c. p. 329. sq.), legationem nominavit Romamque misit, cuius princeps erat Nicodemus Eleus. Circa idem tempus venit Alexandria Demetrius Atheniensis, Ptolemaei legatus, ad renovandam societatem, quae fuerat regi cum gente Achaeorum. Qui foedere libenter renovato legatos ad regem mittendos delegerunt, Lycortam, parentem Polybii, et Theodoridam, et Rhositelem Sicyonios, ut et praestarent ipsi iusiurandum et a rege exigerent. His vero legatis, quamquam varia Achaei cum Ptolemaeo inierant foedera, non mandavit Philopoemen, quodnam foedus renovarent, quia Aegyptiorum imbecillitas foederumque cum eiusmodi populo inutilitas praetorem fugere non potuit; quam ob rem sancitum hoc foedus in concilio Megalopolitano non est (Polyb. XXIII, 1. et 9.). Cum rege Macedonum autem mansit Achaeis inimicitia eoque haec una ex omni Graecia gens et Atheniensium

civitas processerat irarum, ut finibus interdiceret Macedonibus (Liv. XLI, 23. init.).

Ambae hae legationes referendae videntur ad A. U. 568 (186 a. Chr.), quo anno consules Romae fuerunt Sp. Postumius Albinus et Q. Marcius Philippus. (Cf. Liv. XXXIX, 6. et 8.) Nam anno 569 U. C. demum et Nicodemus hic Eleus et legati Alexandriam missi legationem renunciant Achaeis, (cf. Polyb. XXIII, 6, 1. c. 7, 5. c. 9.) paulo ante quam Q. Caecilius, qui eodem anno Roma in Macedoniam missus erat (Polyb. XXIII, 6, 6.), ex Macedonia in Peloponnesum advenisset (Polyb. XXIII, 10, 1.). Itaque quod modo de M. Lepidi consulatu dictum est, de extremo tempore consulatus eius intelligendum videtur (Schweigh. ad Polyb. Tom. VII. p. 492.). Assentitur Schweighaeusero Schornius l. c. p. 414. Not. ad p. 307. Clintonem, qui de sexta Philopoemenis praetura (a Maio 188 ad Maium 187, Ol. 147, 4—148, 1) cogitavit et legationes inter Martium et Maium menses anni 187 missas esse existimavit, refutans.

Eodem fere tempore senatus Romanus auctore T. Flaminino Boeotis imperavit, ut Zeuxippum et ceteros, qui cum ipso exulabant, in patriam revocarent. Iis literis acceptis veriti Boeoti, ne, si illi ab exilio essent revocati, ab amicitia regum Macedoniae avellerentur, atque ita duobus criminibus eos condemnarunt, altero sacrilegii, quod mensae Iovis argenteas laminas detraxissent, altero homicidii, quod Brachyllam occidissent. His peractis Boeoti nullam rationem habuerunt literarum senatus, sed Romam missa legatione, cuius princeps Callicritus erat, denunciarunt, non posse se antiquare, quod ex legibus suis semel statuissent. Eodem vero tempore, quum Zeuxippus ipse ad senatum legatus venisset, Romani, quid Boeoti decrevissent, Aetolis et Achaeis significarunt eosque iusserunt, ut Zeuxippo reditum conficerent. Achaei cum exercitu quidem adeundos Boeotos non censuerunt, sed legatos constituerunt, qui ad eos irent monerentque, ut Romanis obtemperarent et ut, quemadmodum ius sibi inter se reddere coepissent, ita etiam Achaeis redderent,

quibus esset aliquid cum ipsis negotii. Iamdudum enim lites trahebantur ex contractibus natae, quos forte cum Boeotis Achaei contraxissent. His auditis Boeoti quum esset apud illos praetor Hippias polliciti in praesentia, facturos quae petebant Achaei, mox nullam penitus eorum rationem habuerunt. Quapropter Philopoemen, septimum praetor, postquam Hippias praetura decessit, quum in eius locum substitutus esset Alcetas, postulantibus facultatem dedit res a Boeotis per vim repetendi; unde belli non contemnendum inter illas gentes initium est exortum. Confestim enim pecorum Myrrichi et Simonis, qui Boeoti fuisse videntur, pars est abacta, quumque de praeda pugnatum esset, non iam civilis controversiae, verum odii hostilis iacta sunt principia. Quod si igitur Zeuxippi reditum ab exilio senatus, uti inceperat, urgere perrexisset, bellum statim exarsisset. At senatus, aliis, ut videtur, bellis intentus, tunc rem silentio transmisit; et Megarenses inter Achaeos et Boeotos medii habitantes, olim cum Achaeis, dein cum Boeotis, ad extremum rursus cum Achaeis societate atque foedere coniuncti (Polyb. XX, 6.), legatis missis ad utrosque, postquam satisfecissent contractibus Boeoti, suam interponentes operam Boeotorum cum Achaeis composuerunt controversias atque lites (Polyb. XXIII, 2.).

§. 91.

Aristaenus praetor tertium.

Dum novi belli initia a Philippo inchoantur (Liv. XXXIX, 23, 4. c. 29, 3. Polyb. XXIII, 4, 1—3. c. 6. App. Maced. Ecl. IX, 4.) anno U. C. 569. quo Q. Caecilius legatus in Macedoniam missus est, tertium praetore Achaeorum Aristaeno (Ol. 148, 3—148, 4 a Maio 185 ad Maium 184 a. Chr.), redierunt, qui ad Ptolemaeum et Romanos missi fuerant, legati, quum Megalopoli Achaeorum concilium haberetur. Quo etiam Eumenes legatos miserat, centum et viginti (cf. Diod. Sic. Excerpt. de legat. XIII, 622. ubi falso viginti tal. scripta sunt) talenta

se Achaeis daturum pollicens, hac lege, ut foenore legitimo occupata ea summa, e reditibus alerentur, qui in publicis conventibus ad concilium convenissent. Praeterea venerunt etiam Seleuci Philopatoris, qui eodem anno patri Antiocho Magno in Syriae regnum successerat, legati, cum renovandae amicitiae, tum ut decem naves longas Achaeis pollicerentur. Quum igitur in concilio de rebus agi serio coepisset, primus omnium est ingressus Nicodemus Eleus, qui habitos in Romano senatu sermones de Achaeis super civitate Lacedaemoniorum concilio renunciavit, deinde responsum legit a senatu datum, ex quo intelligebatur, displicuisse quidem patribus et moenia Spartae deiecta et caedem eorum, qui ad Compasium fuerant occisi, at nihil tamen eorum, quae statuissent Achaei, irritum decrevisse senatum. Nemine reperto, qui vel ad repugnandum, vel ad adsentiendum verba faceret, silentio ea res est transmissa. Secundum haec ingressi sunt legati Eumenis et societatem, quae patri ipsius fuerat cum Achaeis, renovavit, de pecunia etiam pollicitationem regis multitudini aperuit. Quumque in eam sententiam multa disseruissent summamque regis benevolentiam et humanitatem erga Achaeorum gentem palam fecissent dicere desierunt.

Post hos surgit Apollonidas, Sicyonius, et pecuniam, quae dono offerebatur, si magnitudo illius spectaretur, dignam quidem Achaeis esse dixit, sin animus donantis et usus, in quem esset oblata, rem esse turpissimam et iniquissimam. Nam quum legibus cautum esset (haec vero lex seriori demum tempore, fortasse bello secundo, quod Romani contra Philippum gesserunt, promulgata videtur esse; nam ab Aegyptiorum regibus antea dona acceperat Aratus), ne quis, sive privatus, sive in magistratu constitutus, dona a rege quacunque tandem ex caussa caperet, iniquissimum facinus futurum, si, accepta ea pecunia, omnes palam acceptorum munerum rei essent futuri, ad haec dubitare neminem posse, quin summum dedecus cum ea re esset coniunctum. Nam quis non videat et probrosum et noxium fore, si quotannis publicum

concilium stipendia a rege Eumene acciperet et ad deliberandum de publicis rebus, velut esca prius deglutita, accederent. Nunc pecunias largiri Eumenem, mox Prusiam largiturum, Seleucum deinde facturum idem. Quum autem regum et liberarum civitatum res inter se natura sua pugnent et plurimae ac maximae quaeque consultationes nostrae sint de controversiis, quas habemus cum regibus; duorum alterum manifesto necessarium erit, aut ut regum utilitatem nostris commodis anteponamus, aut, si aliter fecerimus, ut ingrati omnibus videamur, si iis nos opponamus, a quibus mercedem accepimus. Hortari igitur Achaeos, non solum ut munus recusent, verum etiam ut Eumenem, quod ei talis largitionis in mentem venerit, odio habeant.

Surrexit post hunc Casander Aegineta et Achaeis in memoriam revocat Aeginetarum calamitatem, in quam propterea incidissent, quoniam concilii fuissent Achaeorum. P. Sulpicium classe Aeginam venisse et miseros Aeginetas venumdedisse omnes. Haec ille postquam ob oculos posuit Achaeis oravit Eumenem, ut non pecuniarum largitione Achaeorum benevolentiam vellet captare, sed urbem redderet seque eo facto benevolentiae testimonia summo cunctorum consensu impetraturum confideret. Ab Achaeis vero petebat, ne eiusmodi admitterent dona, quae spem salutis etiam in posterum Aeginetis sint ademtura. Hac oratione adeo concitata est multitudo, ut caussam regis tueri nemo auderet, sed cum clamore oblatam largitionem, etsi propter vim ostensae pecuniae supra modum blandientem, respuerent.

Secundum haec proposita est consultatio de Ptolemaeo. In qua quum provocati essent hi, qui ad Ptolemaeum missi ab Achaeis fuerant, in medium progressus Lycortas cum ceteris legatis primum exposuit, quonam modo et praestitissent Achaeorum nomine et exegissent a rege iusiurandum; addidit deinde, attulisse se donum communi Achaeorum arma aenea ad peltastas instruendos sex millia et pecuniae signatae aereae talenta ducenta. Post haec regis laudes commemoravit; tum, ubi pauca de

regis benevolentia et promto animo erga gentem Achaeorum disseruisset, finem dicendi fecit.

Surgens dein Aristaenus, praetor Achaeorum, et ab legato Ptolemaei et ab iis, qui renovando foederi missi ab Achaeis fuerant, sciscitatur, ecquam societatem renovaturus venerit? Quum responderet nemo et mutuo sese omnes interrogarent, magna in concilio exorta est dubitatio. Oriebatur autem absurditas ex eo, quod, quum plura fuissent foedera Achaeis cum regibus Ptolemaei maioribus, quae pro conditione temporum plurimum inter se differrent, neque legatus Ptolemaei ullam fecerat distinctionem quum foedus renovaret, sed universe de negotio fuerat locutus, neque etiam illi, quos Achaei miserant; verum, quasi semel dumtaxat societatem pepigissent, iusiurandum simpliciter nulla adhibita distinctione et praestiterant ipsi et acceperant a rege. Itaque promente in medium praetore omnia priora foedera et singula distincte expendente, quoniam longe diversa illa erant, volebat multitudo cognoscere, ecquod iam foedus renovassent? Id vero docere quum neque Philopoemen posset, qui praetor renovandi foederis fuerat auctor, neque Lycortas ceterive legati, qui Alexandriam iverant; hi quidem temere atque inconsiderate rem gessisse publicam existimati sunt; Aristaenus vero opinionem magnam inde retulit, ut qui solus iudicio uteretur; ac tandem nullum decretum super ea consultatione fieri est passus, sed ampliandam illam quaestionem censuit propter praedictam absurditatem.

Ingressis postea Seleuci legatis placuit Achaeis amicitiam quidem cum rege Seleuco renovare, sed navium, quas donabat, munus in praesentia non accipere. His ita tum constitutis in suam quisque patriam soluto conventu discesserunt (Polyb. XXIII, 4, 5. 6. c. 7—9.)

Non multo post illud concilium, quod Megalopoli habitum erat, in Peloponnesum venit Q. Caecilius revertens ex Macedonia a legatione, quam ad Philippum obierat. Postquam igitur Aristaenus praetor principes Achaeorum in Argivorum urbem convocasset (cogitari

non posse de Nemeorum solemnibus bene demonstravit Manso l. c. III, 2. p. 290. sq. contra Reiskium et Schweigh. ad Polyb. XXIII, 10, 1.), ingreditur Caecilius et obiurgat eos, dicens: Lacedaemonios durius et asperius, quam par esset, fuisse tractatos; multis dein monet, culpam ut emendarent. Ad haec illius verba Aristaenus silentium tenuit; eo ipso, quod taceret, palam faciens, displicere sibi, quae facta essent, et orationem Caecilii ipsi probari. Diophanes vero Megalopolitanus, homo militaris vitae quam civilis maiorem usum habens, non solum non excusavit factum illud Achaeorum, verum etiam propter simultatem, quam cum Philopoemene exercebat, aliam Achaeorum indicavit criminationem. Dixit enim, non solum Lacedaemonios male fuisse tractatos, sed etiam cum Messeniis inique esse actum. Erant autem Messeniis quaedam inter ipsos controversiae circa Titi decretum (cf. Liv. XXXVIII, 31. ubi tamen Messeniorum nulla fit mentio) super iis, qui ab exilio fuerant revocati, et circa moderationem, quam ei decreto Philopoemen adhibuerat. Caecilius igitur, qui Achaeorum nonnullos secum sentire animadverteret, eo gravius indignari, quod in sententiam, quam ipse dixerat, universum concilium non statim pedibus iret. Sed quum multis variisque rationibus Philopoemen et Lycortas et simul cum his Archo demonstrassent, recte omnia, quae ad Lacedaemonios pertinerent, fuisse administrata, atque ex ipsorum inprimis Lacedaemoniorum utilitate, neque posse quidquam eorum, quae facta essent, mutari, quin omnia humana divinaque iura violarentur; visum est concilio, nihil moveri oportere et in hanc sententiam legato dandum responsum. Caecilius horum intellecta voluntate postulat, ut concilium gentis Achaeorum sibi detur. Tum vero principes Achaeorum ab eo petunt, scripta mandata ederet, quae de ea re accepisset a senatu. Qui quum taceret, negare illi, se concionem multitudinis convocaturos, neque enim per leges id prius licere, quam edita essent senatus mandata scripto comprehensa de iis rebus, quarum caussa postuletur concilium. Caecilius in tantam exarsit iram, quod

23

nullum suorum postulatorum admitti videret, ut ne responsum quidem accipere a principibus Achaeorum voluerit, sed sine responso abierit. Achaei vero caussam et superioris adventus M. Fulvii (Liv. XXXVIII, 31. sq.) et nunc Q. Caecilii referebant ad Aristaenum et Diophanem; hos enim, quod in republica dissiderent a Philopoemene, istos sibi adiunxisse, quos ei opponerent. Et erant vulgo apud multitudinem Aristaenus et Diophanes suspecti. Haec igitur tum in Peloponneso gerebantur (Polyb. XXIII, 10. Liv. XXXIX, 33. Pausan. VII, 9, 1.).

Quum Q. Caecilius ceterique legati e Graecia discessissent, ac de statu Macedoniae et Peloponnesi principio insequentis anni (570 U. C. = 184 a. Chr. P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino Coss. Liv. XXXIX, 33. init.) retulissent ad senatum; introducti sunt, qui e Peloponneso venerant legati. Nam et Achaei legatum Apollonidam Sicyonium miserant, ut Caecilio, quod nullum responsum accepisset, rationem redderet et omnino patres edoceret de rebus Lacedaemone gestis. Etiam e Sparta Areus et Alcibiades legati Romam venerant. [1]) Ex antiquis exulibus isti erant, quos recens Philopoemen et Achaei in patriam restituerant. Quae praecipue res iram Achaeorum accendit, quod, quum tanto tamque recenti beneficio ab Achaeis hi exules fuissent affecti, adeo ingrati in ipsos repente exstitissent, ut legationem adversus gentem Achaeorum susciperent et infesta iam oratione apud rerum dominos accusarent illos, a quibus praeter spem servati et in patriam reducti fuissent.

Quum igitur et hi utrimque legati caussam suam adversus se invicem coram dixissent, et hinc Apollonidas

---

1) Areus et Alcibiades, nobilissimi olim inter Spartanos, quum a Nabide urbe essent eiecti, apud Achaeos exularant; mortuo vero Nabide ab eisdem Achaeis, invitis Lacedaemoniis, in patriam fuerant restituti. Nunc vero eosdem Achaeos optime de se meritos invidiosissime apud senatum Romanum criminati sunt. Pausan. VII, 9, 2. 3. (Schweigh. ad Polyb. Tom. VII. p. 509.)

Sicyonius persuadere senatui contendisset, non potuisse ulla ratione melius res Spartae administrari, quam factum esset ab Achaeis et Philopoemene; hinc Areus *contrarium* demonstrare esset conatus dixissetque, primum exhaustas esse vires civitatis abducta per vim plebe, deinde sibi et periculoso loco versantem et libertate exutam rempublicam esse relictam; nempe periculoso loco versantem, utpote ad paucos redactam et hos muris nudatos; libertate vero exutam, ut quae non solum publicis decretis Achaeorum parere, sed etiam sigillatim praetoribus illorum semper ancillari cogeretur; his auditis placuit Patribus, ut de his quoque rebus iisdem legatis darentur mandata.

Tum vero etiam Caecilio in senatu responderunt legati Achaeorum pro suae gentis principibus, dicentes: nihil eos peccasse, neque iure accusari posse, quod concilium populi non convocassent. Lege enim cautum apud Achaeos esse, ne concilium liceret indicere aliter, quam si de societate aut de bello foret deliberandum, aut si literas ab senatu aliquis afferret. Merito igitur tunc principes Achaeorum consultasse quidem de convocanda multitudine, sed id quominus facerent, per leges stetisse, quoniam neque literas senatus attulisset Caecilius, neque mandata scripta principibus dare voluisset. Post haec verba surgit Caecilius et Philopoemenem ac Lycortam accusat et omnino Achaeos atque rationem, qua usi erant in rebus Lacedaemoniorum componendis.

Senatus omnibus auditis, quae dicta fuerant, responsum Achaeis dedit, missurum se legatos ad visendum, quomodo cum Lacedaemoniis esset actum. Monuit vero, ne postea excusatio esset, ut populi Romani legatos, qui in Graeciam mitterentur, semper observarent et quanto par esset cum honore susciperent semperque adeundi concilium gentis potestatem facerent, quemadmodum et illis, quoties vellent, senatus daretur (Polyb. XXIII, 4, 8. 11. 12. XXIV, 4, 7. Liv. XXXIX, 33. Pausan. VII, 9, 2. 3.).

§. 92.

Lycortas primum praetor.

Iam in Peloponneso adventus Romanorum legatorum, Ap. Claudii, principis legationis, T. Quinctii et Q. Caecilii (cf. Schweigh. ad Polyb. XX, 12, 1. XXIII, 2, 3. Manso l. c. III, 1. p. 422. N.), qui ex Macedonia in Achaiam ire iussi erant, exspectabatur; adversus quos ut praeparata consilia haberent, Lycortas praetor (a Maio 184 ad Maium 183 a. Chr.) concilium indixit. Ibi de Lacedaemoniis actum: Ex hostibus eos accusatores factos et periculum esse, ne victi magis timendi forent, quam bellantes fuissent; quippe in bello sociis Romanis Achaeos usos, nunc eosdem Romanos aequiores Lacedaemoniis, quam Achaeis esse, ubi Areus etiam et Alcibiades, ambo exules, suo beneficio restituti, legationem Romam adversus gentem Achaeorum ita de ipsis meritam suscepissent adeoque infesta oratione usi essent, ut patria pulsi, non restituti in eam viderentur. Clamor undique ortus, referret nominatim de iis; et quum omnia ira non consilio gererentur capitis damnati sunt. Paucos post dies Romani legati venerunt; his Clitore in Arcadia datum est concilium (Polyb. XXIII, 5. Liv. XXXIX, 35.).

Priusquam agerent quidquam terror Achaeis iniectus erat et cogitatio, quam non ex aequo disceptatio futura esset; quod Areum et Alcibiadem, capitis ab se in concilio maximo damnatos, cum legatis videbant, nec hiscere quisquam audebat. Appius ea, quae apud senatum questi erant Lacedaemonii, displicere senatui ostendit: caedem primum ad conflictum factam eorum, qui a Philopoemene ad caussam dicendam evocati venissent; deinde quum in homines ita saevitum esset, ne in ulla parte crudelitas eorum cessaret, muros dirutos urbis nobilissimae esse, leges vetustissimas abrogatas inclitamque per gentes Lycurgi disciplinam sublatam.

Haec quum Appius dixisset Lycortas et quia praetor et quia Philopoemenis, auctoris omnium, quae Lacedaemone acta fuerant, factionis erat, ita respondit: Difficilior

nobis, Ap. Claudi, apud vos oratio est, quam Romae nuper apud senatum fuit. Tunc enim Lacedaemoniis accusantibus respondendum erat, nunc a vobis ipsis accusati sumus, apud quos caussa dicenda est; quam iniquitatem conditionis subimus illa spe, iudicis animo te auditurum esse, posita contentione, qua paulo ante egisti. Ego certe quum ea, quae et hic antea apud Q. Caecilium et postea Romae questi sunt Lacedaemonii, a te paulo ante relata sint, non tibi, sed illis me apud te respondere credam. Caedem obiicitis eorum, qui a Philopoemene praetore evocati ad caussam dicendam interfecti sunt. Hoc ego crimen non modo a vobis, Romani, sed ne apud vos quidem nobis obiiciendum fuisse arbitror. Quid ita? quia in vestro foedere erat, ut maritimis urbibus abstinerent Lacedaemonii. Quo tempore armis captis urbes, a quibus abstinere iussi erant, nocturno impetu occupaverunt, si T. Quinctius, si exercitus Romanus, sicut antea, in Peloponneso fuisset, eo nimirum capti et oppressi confugissent. Quum vos procul essetis, quo alio, nisi ad nos socios vestros, quos antea Gythio opem ferentes, quos Lacedaemonem vobiscum simili de caussa oppugnantes viderant, confugerent? Pro vobis igitur iustum piumque bellum suscepimus. Quod quum alii laudent, reprehendere ne Lacedaemonii quidem possint, Dii quoque ipsi comprobaverint, qui nobis victoriam dederunt; quonam modo ea, quae belli iure acta sunt, in disceptationem veniunt? quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad nos. Nostrum est, quod evocavimus eos ad caussam dicendam, qui ad arma multitudinem exciverant, qui expugnaverant maritima oppida, qui diripuerant, qui caedem principum fecerant. Quod vero illi venientes in castra interfecti sunt vestrum est, Areu et Alcibiade, qui nunc nos, si Diis placet, accusatis, non nostrum. Exules Lacedaemoniorum (quo in numero hi quoque duo fuerunt) et tunc nobiscum erant, et quod domicilium sibi delegerant maritima oppida se petitos credentes, in eos, quorum opera patria extorres ne in tuto quidem exilio posse consenescere se indignabantur, impetum fecerunt. Lace-

daemonii igitur Lacedaemonios, non Achaei, interfecerunt; nec iure an iniuria caesi sint argumentari refert.

At enim illa certe vestra sunt, Achaei, quod leges disciplinamque vetustissimam Lycurgi sustulistis, quod muros diruistis. Quae utraque ab iisdem obiici qui possunt? quum muri Lacedaemoniis non ab Lycurgo, sed paucos ante annos ad dissolvendam Lycurgi disciplinam exstructi sint. [1]) Tyranni enim nuper eos, arcem et munimentum sibi, non civitati, paraverunt. Et si exsistat hodie ab inferis Lycurgus gaudeat ruinis eorum et nunc se patriam et Spartam antiquam agnoscere dicat. Non Philopoemenem exspectare, nec Achaeos, sed vos ipsi, Lacedaemonii, vestris manibus amoliri et diruere omnia tyrannidis vestigia debuistis. Vestrae enim illae deformes veluti cicatrices servitutis erant, et quum sine muris per octingentos prope annos liberi, aliquando etiam principes Graeciae fuissetis, muris velut compedibus circumdatis vincti per centum annos servistis. Quod ad leges ademtas attinet, ego antiquas Lacedaemoniis leges tyrannos ademisse arbitror, nos non suas ademisse, quas non habeant, sed nostras leges dedisse, nec male consuluisse civitati quum concilii nostri eam fecerimus et nobis miscuerimus, ut corpus unum et concilium totius Peloponnesi esset. Tunc, ut opinor, si aliis ipsi legibus viveremus, alias istis iniunxissemus, queri, se iniquo iure esse, et indignari possent.

Scio ego, Ap. Claudi, hanc orationem, qua sum adhuc usus, neque sociorum apud socios, neque liberae gentis esse, sed vere servorum disceptantium apud dominos. Nam si non vana illa vox praeconis fuit, qua

---

1) Iustinus XIV, 6. tum demum Spartam muris cinctam refert, quum Cassander multis Graeciae urbibus bellum inferret. Livius XXXIV, 38. ait: Fuerat quondam sine muro Sparta, tyranni nuper locis patentibus planisque obiecerant murum. Pausanias VII, 8, 3. Spartae, inquit, muri Demetrio et Pyrrho olim oppugnantibus tumultuario opere exstructi fuerant; Nabis postea tales faciendos curavit, ut nihil omnino ad eorum firmitatem desideraretur.

liberos esse omnium primos Achaeos iussistis, si foedus ratum est, si societas et amicitia ex aequo observatur, cur ego, quid, Capua capta, feceritis Romani, non quaero; vos rationem reposcitis, quid Achaei Lacedaemoniis bello victis fecerimus? Interfecti aliqui sunt finge a nobis. Quid? vos senatores Campanos securi non percussistis? Muros diruimus; vos non muros tantum, sed urbem et agros ademistis. Specie, inquis, aequum est foedus; re apud Achaeos precaria libertas, apud Romanos etiam imperium est. Sentio, Appi, et, si non oportet, non indignor; sed, oro vos, quantumlibet intersit inter Romanos et Achaeos, modo ne in aequo hostes vestri nostrique apud vos sint, ac nos socii; immo ne meliore iure sint. Nam, ut in aequo essent, nos fecimus, quum leges iis nostras dedimus, quum, ut Achaei concilii essent, effecimus. Parum est victis, quod victoribus satis est; plus postulant hostes, quam socii habent. Quae iureiurando, quae monumentis literarum in lapide insculptis in aeternam memoriam sancta atque sacrata sunt, ea cum periurio nostro tollere parant. Veremur quidem vos, Romani, et si ita vultis etiam timemus, sed plus et veremur et timemus Deos immortales.

Cum assensu maximae partis est auditus et locutum omnes pro maiestate magistratus censebant, ut facile appareret, molliter agendo dignitatem suam tenere Romanos non posse. Tum Appius, suadere se magnopere Achaeis, dixit, ut, dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, ne mox inviti et coacti facerent. Haec vox audita quidem cum omnium gemitu est, sed metum iniecit imperata recusandi. Id modo petierunt, ut Romani, quae viderentur, de Lacedaemoniis mutarent, nec Achaeos religione obstringerent, irrita ea, quae iureiurando sanxissent, faciendi. Damnatio tantum Arei et Alcibiadis, quae nuper facta erat, sublata est (Liv. XXXIX, 36. 37.).

Idibus Martiis anni U. C. 571 (= 183 a. Chr.) consulatum inierunt M. Claudius Marcellus, Q. Fabius Labeo (Liv. XXXIX, 45.). Eodemque anno, primo Olympiadis centesimae quadragesimae nonae, Romam convenerunt

legati ex Graecia tanto numero, quantus vix unquam ante fuerat conspectus. Demetrius, Philippi filius, patrem excusat et eximiis honoribus a senatu ornatur, quod ipsum imprudenti iuveni exitii caussa fit (Polyb. XXIV, 1—3. Liv. XXXIX, 47. 48. init. Iustin. XXXII, 2. cf. infra §. 134. et 137.). Lacedaemoniorum quoque, quorum erant factiones quattuor, legati venerant. Alii enim, quorum princeps erat Lysis, nomine veterum exulum venerant, postulantes, ut omnes possessiones, quas irrogati sibi exilii tempore habuissent, ipsis restituerentur. Contra Areus et Alcibiades petebant, ut exulibus de suis bonis ad unius talenti aestimationem redderetur, cetera bene meritis civibus dividerentur. Ac videntur, ut Schweighaeuserus (ad Polyb. Tom. VII. p. 531.) opinatur, Areus et Alcibiades, quos e numero veterum exulum fuisse docuit iam Polybius XXIII, 11, 7. quum nobilissimi olim fuissent Spartanorum, (ut docet Pausan. VII. 9. p. 544.) adeoque haud dubie multum in bonis habuissent, nunc, quum ex omnibus suis bonis singulis talentis contentos se fore significant, conciliare sibi voluisse animos Spartanorum, quibus invitis in patriam ab Achaeis fuerant reducti. Nam haec ipsa caussa maxime fuisse videtur, cur aegre a Spartanis, qui tunc urbem tenebant, recepti et ad extremum rursus eiecti sint veteres illi exules, ne Spartani cogerentur his bona, quae olim possedissent, quae nunc sive publico aerario cesserant, sive in aliorum privatorum manibus erant, restituere. Legatio Serippi eo spectabat, ut in eum statum restitueretur respublica, qui tum fuit, quum Achaeorum concilii erant, quum a Philopoemene post occisum ab Aetolis Nabidem tyrannum Lacedaemonii primum societati Achaeorum iuncti sunt; cuius rei memoria apud Polybium quidem intercidit, sed conservata est apud Livium XXXV, 37. Paus. VIII, 51. p. 703. Plut. in Philop. p. 364. sq. (Schweigh. l. c. p. 531. et Manso l. c. p. 425. Not. g.) Caussam eorum, qui mortis damnati ab Achaeis aut in exilium pulsi fuerant, Chaeron agebat, postulans, ut reditus in patriam iis et civitas concederetur. (Cf. Manso l. c. p. 425.) Omnes

hi cum Achaeis sic agebant, uti postulabat caussa, quam defensum venerant. Senatus quum tot hasce controversias non satis caperet, eosdem tres viros delegit, qui anno superiori de iis rebus legati in Peloponnesum missi fuerant. [2]) Apud quos postquam esset haec controversia diu multumque agitata, de reditu quidem in patriam exulum et capitis damnatorum, item de eo, ut in concilio Achaeorum civitas maneret, inter omnes convenit; de possessionibus vero et an aequum esset, ut exules e bonis suis ad talenti unius aestimationem optarent, haec erant, de quibus inter ipsos non conveniebat. Porro ne super omnibus iterum de integro altercarentur, referri in scripta, quae partium consensu essent probata, et omnium signa pactis scriptis imprimi iusserunt. Cupiens vero Titus cum collegis Achaeos pariter iniecto terrore ad consentiendum impellere, Xenarchum, Achaeorum legatum, ad se vocavit, qui partim de renovanda societate legatus Romam venerat, partim ut ad controversiam, quae Achaeis erat cum Lacedaemoniis, attenderet. Hic ex inopinato interrogatus de scriptis conditionibus, ecquid illis consentiret, nescio quomodo incertus quid responderet haesit. Erat enim hoc ei molestum, quod exulibus et mortis damnatis in patriam reditus concedebatur, quum Achaeorum decreto id repugnaret et inscriptioni columnae,

2) Pausanias VII, 9. p. 544. sq. de eadem re, quae hic agitur, loquens solum Ap. Claudium nominat, a quo litem diremtam ait; sed in hoc prorsus discedit a Polybio (cuius ipsius verba, ut videtur, perperam accepit), quod ait, Ap. Claudium cum eis, qui in superiori legatione comites eius fuerant, rursus in Graeciam fuisse a senatu Romano missum ad lites Lacedaemoniorum Achaeorumque iudicandas. Immo vero tres illos viros non in Graeciam missos Polybius dicit, sed ex mandato senatus Romae coram his enucleatius disceptatae sunt quaestiones controversae et his denique arbitris et conciliatoribus compositae lites. Novus legatus in Graeciam non Ap. Claudius, sed Q. Marcius nominatus est. Cf. Liv. XXXIX, 48. (Schweigh. ad Polyb. Tom. VII. p. 535. Manso Sparta III, 1. p. 425. Not. h.)

rem tamen in universum probabat, quia scriptum erat, ut concilii Achaeorum civitas Lacedaemoniorum esset. Tandem partim ex consilii inopia, partim quia triumviros verebatur signum suum imprimit. Pausanias (VII, 9, 4.), cuius paene totus liber septimus, quo Achaica exsequitur, huc pertinet, et has contentiones Lacedaemoniorum cum Achaeis mirifice illustrat, per quas Graeciae vires fractae, nervi incisi, sublata denique libertas ipsa et omnis extincta est pristina gloria, has insuper leges, quae tum de componendis Achaeorum Lacedaemoniorumque dissidiis latae sunt, addit: voluisse Romanos, ut capitis iudicia penes exteros Lacedaemoniis essent, de ceteris criminibus et accusare et accusari in Achaico concilio possent, novo denique murorum ambitu urbem suam muniendam curarent.

Legatus in Macedoniam Q. Marcius est missus; iussus idem in Peloponneso sociorum res aspicere; nam ibi quoque et ex veteribus discordiis residui motus erant, et Messene desciverat a concilio Achaico (Polyb. XXIV, 4. Liv. XXXIX, 48.).

Dinocrates Messenius Romam legatus venit. Ubi quum offendisset Titum legationem obire iussum ad Prusiam et Seleucum (cf. Liv. XXXIX, 51.), supra modum laetatus eo est; existimabat enim, Titum, qui sibi amicus esset (nam bello Laconico, quod cum Nabide gestum est, familiariter cum illo vixerat), Philopoemenis autem inimicus, ubi in Graeciam venisset, res Messeniorum omnes ex sua voluntate administraturum. Itaque omni cura alia omissa Titum unum assidue colere, in hoc spes suas universas reponere. Et erat quidem Dinocrates non usu solum, sed natura etiam aulicus ac militaris; prudentiam vero in rebus gerendis specie quidem omnibus numeris absolutam praeferebat, re ipsa autem adumbrata quaedam et fucata civilis prudentiae imago in ipso inerat. Namque in bellicis rebus alacritate atque audacia cunctos anteibat et in ipso pugnae discrimine erat conspicuus. Similiter in reliqua vitae ratione, in sermonibus quidem venustus promtusque, in consuetudine autem ac convictu urbanus

atque civilis neque ab amore alienus. In rebus autem publicis ac civilibus animum intendere et futura prudenter praevidere, seque adeo praemunire et ad populum verba facere prorsus non poterat. Qui quum maximorum caussas malorum in patria excitavisset nullius demum momenti esse arbitrabatur, quae ageret. Sed idem vitae institutum tenebat, nihil in futurum prospiciens, sed amoribus ac poculis de die indulgens, ac symphoniacorum cantibus aures commodans. Tandem vero Titus ad statum, in quo res essent, nonnihil attendere eum coegit. Conspicatus enim hominem longa et ad talos demissa veste in convivio saltantem, tacuit tum quidem; postridie vero quum adiisset eum Dinocrates et nescio quid suae patriae impetrare vellet: Equidem, inquit Titus, quod in me erit praestabo, ceterum te miror, Dinocrates, quo pacto in convivio saltare tibi lubeat, quum tantos motus in Graecia excitaveris. Ac tum quidem paulisper ad se rediisse visus est atque agnosse tandem, argumentum longe ab instituto ingenioque suo abhorrens a se in medium esse prolatum. Ceterum tunc temporis (188 a. Chr.) inter Titi comites in Graeciam venit, persuasus extemplo res Messeniorum ex sua voluntate ordinatum iri. At Philopoemen, boni gubernatoris modo, dum indies magis magisque Romanorum ingravescebat potentia, adversus fluctus obnitens, quamvis partim permittere et indulgere temporibus cogebatur, in plurimis obluctans tamen, retrahere eos, qui dicendo et opibus pollerent, elaborabat ad libertatem. Qui idem in Achaeorum concilio, quod Argis coram Caecilio habitum erat (Polyb. XXIII, 10, 3.), Romanis praesentibus Aristaeno Megalopolitano (nonnunquam etiam Aristaeneto apud Plutarchum cf. vit. Philop. c. 17. et in libris Polybianis vocato, vide Adnotat. Schweigh. ad XVII, 1, 4. et supra), qui praepotens erat in Achaeis, sed Romanorum semper observans, negante in concilio faciendum esse, ut illis repugnarent, aut offenderent, fertur audiens id magno cum animi dolore tacuisse, postremo victus cum stomacho appellasse Aristaenum hisce verbis: Quid properas, miser,

fatum Graeciae adspicere? Philopoemen igitur, cui certo constabat, Titum de rebus Graeciae nullum a senatu mandatum accepisse, et tum magni viri animum atque constantiam declaravit Romanorum legato, concilium ut sibi daretur postulanti, rescribi iubens, factum iri, uti iuberet, si per literas significasset, qua de re cum populo velit agere, ita enim leges imperare magistratibus. Verum Tito non audente scribere quid vellet spes Dinocratis et eorum exulum, quos veteres vocant, qui tunc recens e Lacedaemone fuerant eiecti, atque omnino Titi adventus et exspectatio ad irritum isto pacto cecidit (Polyb. XXIV, 5. Plut. vit. Philop. c. 17.).

Qui veteres exules dicebantur (οἱ ἀρχαῖοι φυγάδες, de quibus vide notata Schweigh. ad Polyb. XX, 12, 4.) eorum commoda iam olim curaverat T. Flamininus, quum legatus in Peloponneso adesset, quemadmodum loco citato docuit Schweighaeuserus. Quare et nunc quidem hi spem suam, si quid cuperent, in eodem Tito reponere potuerant. Sed quum veteres hos exules non solum in rebus adhuc anni proxime praecedentis (lib. XXIII, 11, 8.) nuper admodum ab Achaeis in patriam restitutos dixisset, νεωστὶ κατηγμένους εἰς τὴν οἰκείαν, recenti beneficio, προςφάτου οὔσης τῆς εὐεργεσίας; verum etiam eodem hoc anno (lib. XXIV, 4, 2. sq.) Romae apud senatum non de exilio querentes induxerit, sed de bonis post reditum in patriam nondum restitutis, quaesivit vir doctus, quid esset, quod eosdem nunc nuper Lacedaemone pulsos dicat. Et primum quidem subierat suspicari, turbatum forte corruptumque nonnihil in verbis esse, ut pro τότε δὲ legendum sit τῶν τε προςφάτως ἐκ τῆς Λακεδαίμονος ἐκπεπτωκότων, intelligendique sint illi, quos ἐκπεπτωκότας κατὰ τὰ τῶν Ἀχαιῶν δόγματα dixit c. 4, 5. Mox vero probabilius visum est, ut statueremus, in ea parte narrationis, quae intercidit, exposuisse Polybium, eosdem veteres exules, quos ab Achaeis restitutos aegerrime tulerant Spartani (Liv. XXXVIII, 34.), quos in urbem quidem coacti receperant, sed quibus bona nondum erant restituta, deni-

que qui partim de Spartanis, partim etiam de ipsis Achaeis, optime de se meritis, questum Romam legatos miserant, sub hoc ipsum tempus, de quo nunc agitur, a Spartanis, nec invitis Achaeis, urbe esse eiectos. Quo pertinere utique videtur id, quod infra rursus lib. XXV, 1, 9. sq. legimus. Cf. §. 91. Not. 1. et Manso in Sparta III, 1. p. 427. Not. 1. qui Schweighaeusero assentitur. Motus igitur illo tempore (183 a. Chr.) non solum apud Messenios, sed etiam Lacedaemone novi orti erant, sensimque Graecia intestinis suis discordiis conquassata in tantum imbecillitatis delapsa est, ut facili negotio Romani iugum Macedonibus subiectis ei quoque imponerent.

Dinocrates vero, qui Messenios, ut narratum est, ab Achaeorum societate abstrahendi agitabat consilium, licet ad id exsequendum opera Titi non potuerit uti, tamen eodem adhuc anno perfecit, teste Plutarcho in Philopoem. c. 18. sqq. et praetor Messeniorum est creatus. Cf. Pausan. IV, 29, 5. VIII, 51, 2. Liv. XXXIX, 48, 5. 49. 50.

§. 93.

Philopoemenis mors.

Iam annum gerens aetatis septuagesimum Achaeorum octavum praetor Philopoemen (a Maio mense 183 a. Chr. Liv. XXXIX, 49. Iust. XXXII, 2. Paus. VIII, 51, 2. Plut. Philop. c. 18. cf. Bayer l. c. p. 318 sqq.) spem conceperat, non modo illum se magistratum traducturum quiete, verum etiam, ut reliquam vitam in otio exigeret, per negotia licitum fore. Ut enim morbi una cum corporis viribus emarcescunt, ita in civitatibus Graeciae fatiscente potentia elanguescebat contentio. Verum enimvero tanquam athletam egregie certantem invida quaedam fortuna ad vitae metam prostravit. Memorant enim in consessu quopiam laudantibus, qui aderant, quendam ut insignem ducem, dixisse Philopoemenem: Quomodo autem memoria dignus ille sit vir, qui vivus in hostium venit potestatem? Paucis autem post diebus allatum est, Messenium Dinocratem, hominem cum privatim Philopoemeni

infensum, tum aliis ob improbitatem et nequitiam invisum, hinc Messenen ab Achaeis alienasse, hinc vicum velle Colonidem (Plut. Philop. 18.) vel Coronen (Liv. XXXIX, 49.) occupare. Tenebatur forte ea tempestate Argis Philopoemen febri (Plut. Philop. c. 18. sqq. Liv. XXXIX. 48. sqq. Polyb. Fragm. ap. Lucht. 50. Paus. IV, 29. VIII, 51. Iustin. XXXII, 1. Expeditio haec contra Messenios suscepta est ante messem, paulo ante initium anni 2 Ol. 149.). Qui ad eum nuncium Megalopolin uno die contendit, stadia amplius quadringenta, inde propere suppetias venit cum equitibus. Erant hi civium nobilissimi, sed admodum iuvenes, benevolentia autem ducti Philopoemenis et laudis ardore voluntarii eum sequebantur. Quum provecti prope Messenen essent circa Euandri tumulum in occurrentem illati Dinocratem, everterunt eum. Sed quum quingenti, qui in statione agri Messeniorum erant, subito supervenirent, ad quorum conspectum etiam, qui ante terga verterant, recolligerent se per colles, Philopoemen, ne circumveniretur veritus, simul parcens equitibus, per loca impedita recipiebat se claudebatque ipse extremum agmen. (Iustinus l. c. eum in transitu fossae equo praecipitatum et a multitudine hostium oppressum esse narrat.) Ipsum potuisse effugere Thracum Cretensiumque auxilio tradunt; sed pudor relinquendi equites, nobilissimos gentis, ab ipso nuper lectos, tenuit. Quibus dum locum ad evadendas angustias cogendo ipse agmen praebet sustinens impetus hostium, prolapso equo et suo ipse casu et onere equi super eum ruentis, haud multum abfuit, quin exanimaretur, septuaginta annos iam natus (apud Mansonem l. c. p. 427. in seinem achtzigsten Jahre error est typothetarum) et diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, viribus admodum attenuatis. Iacentem hostes superfusi oppresserunt, cognitumque primum a vereeundia memoriaque meritorum, haud secus quam ducem suum, attollunt reficiuntque et ex valle devia in viam portant vix sibimet ipsi prae necopinato gaudio credentes; pars nuncios Messenen praemittunt, debellatum esse, Philopoemenem captum adduci. Primum adeo incredibilis visa res,

ut non pro vano modo, sed vix pro sano nuncius audiretur; deinde ut super alium alius idem omnes affirmantes veniebant, tandem facta fides et priusquam appropinquare urbi satis scirent ad spectaculum omnes, simul liberi ac servi, pueri quoque cum feminis effunduntur; itaque clauserant portam turbae, dum pro se quisque, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro comperta tantam rem habiturus videretur. Aegre submoventes obvios intrare portam, qui adducebant Philopoémenem, potuerunt, atque turba conferta iter reliquum clauserat; et quum pars maxima exclusa a spectaculo esset, theatrum repente, quod viae propinquum erat, compleverunt, et, ut eo in conspectum populi adduceretur, una voce omnes exposcebant. Magistratus et principes veriti, ne quem motum misericordia praesentis tanti viri faceret, quum alios verecundia pristinae maiestatis collata praesenti fortunae, alios recordatio ingentium meritorum motura esset, procul in conspectu eum statuerunt; deinde raptim ex oculis hominum abstraxerunt praetore Dinocrate dicente esse, quae pertinentia ad summam belli percontari eum magistratus vellent. Inde abducto eo in curiam et senatu vocato consultari coeptum.

Iam invesperascebat et non modo cetera, sed ne in proximam quidem noctem ubi satis tuto custodiretur expediebant. Obstupuerant ad magnitudinem pristinae eius fortunae virtutisque, et neque ipsi domum recipere custodiendum audebant, nec cuiquam uni custodiam eius satis credebant. Admonent deinde quidam, esse thesaurum publicum sub terra saxo quadrato septum. Eo vinctus demittitur et saxum ingens, quo operitur, machina superimpositum est; ita loco potius, quam homini cuiquam credendam custodiam rati lucem insequentem exspectaverunt.

Interea Achaeorum equites quum ex fuga sese collegissent ut nusquam comparuit Philopoemen, sed mortuum apparuit esse, diu substiterunt inclamantes eum serentesque inter se mutuo sermonem, turpem esse et indignam suam incolumitatem, qui hostibus ducem suum, vitam ipsorum caussa proiicientem, prodidissent. Hinc

progredientes simul et anxie perscrutantes venisse eum in hostium potestatem intellexerunt indeque per civitates Achaicas renunciaverunt. Achaei cladem eam non mediocrem aestimantes reposcere eum per legatos a Messeniis statuerunt simulque parabant se ad bellum.

Dum in his illi sunt occupati postero die multitudo quidem integra memor pristinorum eius in civitatem meritorum parcendum ac per eum remedia quaerenda esse praesentium malorum censebant; defectionis auctores, quorum in manu respublica erat, in secreto consultantes, omnes ad necem eius consentiebant, sed utrum maturarent, an differrent, ambigebatur. Vicit pars avidior poenae missusque, qui venenum ferret neque abscederet, quousque id exhausisset. Ille tum forte decumbebat in lacernula, non somno stratus, sed moerore et animi motu oppressus. Animadverso lumine et homine, qui cum venenato poculo iuxta assistebat, aegre ob infirmitatem se colligens erexit se ad sedendum acceptoque poculo nihil aliud locutum ferunt, quam quaesisse, si incolumis Lycortas (is praetorius vir, magister equitum quidem non erat, sed capto Philopoemene se ipse praefecerat equitatui), quem secundum a se esse scientia rei militaris sciebat, equitesque evasissent? Postquam dictum est, incolumes esse; Bene habet, inquit, et poculo impavide exhausto haud ita multo post exspiravit. (Clinton in Fastis Hellen. ad ann. 183 Philopoemenem falso opinatur mortuum esse initio anni 182; mors vero eius ponenda est medio anno 183 a. Chr.)

Non diuturnum mortis eius gaudium auctoribus crudelitatis fuit; ut enim ad Achaeos de interitu eius allatum est, hinc civitates illorum publicus luctus et moeror occupavit, hinc iuventus cum primoribus senatus conveniens Megalopolin, nulla vindictae admissa mora atque in Philopoemenis locum suffecto Lycorta duce (Ol. 149, 2. ineunte medio anno 183 a. Chr.), fines Messenios invadunt eosque foedant, donec illi consensione facta recipiunt Achaeos. Et quidem Dinocrates ceterique, quotquot necandum Philopoemenem censuerant, consciscunt sibimet

ipsi mortem. Philopoemen sepultus ab universo Achaico est concilio, adeo omnibus humanis congestis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur. Corpus eius combusserunt et reliquiis in urnam conditis domum repetierunt, non incomposito aut incondito agmine, sed pompam quandam cum exsequiis triumphalem miscuere. Videres enim coronis redimitos, videres eosdem quoque lacrimantes; videres catenatos trahi hostes, ipsam urnam prae vittarum et coronarum numero conspectui paene ademtam, quam praetoris Achaeorum filius, Polybius, ferebat principibus Achaeorum cinctus. Milites ipsi armati equis speciose instratis sequebantur, non ut tanto in luctu moesti, nec victoria ovantes. Ex oppidis et castellis in via positis obviam effundebantur, quasi ab expeditione reducem amplectentes urnamque contrectabant atque una prosequebantur Megalopolin. Ut vero senes fuerunt cum mulieribus et pueris commixti, ibi comploratio per totum exercitum incessit civitatem, quae illum desiderabat, et eum casum ferebat graviter, una cum eo principatum rata se inter Achaeos amisisse. Ita ille honorifico, ut par erat, funere est elatus et iuxta monumentum Messeniorum captivi sunt lapidibus cooperti.

Ab scriptoribus rerum Graecis Latinisque tantum huic viro, in quo sane bonorum et fortium virorum omnis prope est in Graecia consumta progenies, tribuitur, ut a quibusdam eorum, velut ad insignem notam huius anni, memoriae mandatum sit, tres claros imperatores eo anno decessisse, Philopoemenem, Hannibalem, P. Scipionem; [1])

---

1) Polybii exemplo eorundem trium virorum elogia coniunxit etiam Diodorus Sic. Eclog. de Virt. et Vit. T. II. edit. Wessel. p. 575. sq. (sive Fragm. lib. XXIX. ad a. Chr. 183.) In rebus vero huius anni ab U. C. 571 coss. M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone, mortem Philopoemenis exposuisse Polybium, satis ex eodem Livii libro intelligitur cap. 48. sqq. qui nominatim etiam Polybium commemorat c. 52. ubi exposito et Philopoemenis et Hannibalis obitu, ita pergit: Hic vitae exitus fuit Hannibalis. Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Cornelium vero Nepotem si audias (in Han-

adeo in aequo eum duarum potentissimarum gentium summis imperatoribus posuerunt. Trium clarissimorum suae cuiusque gentis virorum non magis tempore congruente comparabilis mors videtur esse, quam quod nemo eorum satis dignum splendore vitae exitum habuit. Iam primum omnes non in patrio solo mortui, nec sepulti sunt; veneno absumti Hannibal et Philopoemen; exul Hannibal, proditus ab hospite; captus Philopoemen in carcere et vinculis

nibal. c. 13.) mortuum Hannibalem Polybius scripsit anno sequenti, L. Aemilio Paullo et Cn. Baebio Tamphilo Coss. (Cf. Lachmann. de fontib. Liv. II, p. 57.) Et congruunt haec quoque; nam pugna ad Sellasiam anno 222 a. Chr. commissa est, cui numero si triginta novem demimus efficitur annus 183 a. Chr. Ceterum de obitu Philopoemenis ex Polybii narratione vide quae notavit Schweighaeuserus in Spicilegio Reliquiarum ex lib. XXIV. Tom. V. p. 43. sq. et Suidam s. v. *Βαρυνόμενος* et *Διαβιασάμενος*. P. Scipio Africanus autem secundum Ciceronem vita decessit anno 185 a. Chr. Hannibalem vero Antias Valerius auctor est Cn. Baebio Tamphilo, L. Aemilio Paullo Coss. i. e. anno 572 U. C. = 182 a. Chr. decessisse, legatis ad eam rem ad Prusiam missis, praeter T. Quinctium Flamininum (cuius in ea re celebre est nomen), L. Scipione Asiatico et P. Scipione Nasica (Liv. XXXIX, 56.). Livius vero non solum a Valerio, sed etiam a Polybio et Rutilio discedit in indicando mortis Scipionis anno; ab his, quod censoribus M. Porcio, L. Valerio (184 a. Chr. = 570 U. C.) principem senatus ipsum L. Valerium censorem lectum invenerit, quum superioribus tribus lustris Africanus fuisset; quo vivo, nisi ut ille senatu moveretur, quam notam nemo memoriae prodidit, alius princeps in locum eius lectus non esset. Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Naevius, adversus quem inscripta oratio P. Africani est. Hic Naevius in magistratuum libris est tribunus plebis P. Claudio, L. Porcio Coss., sed iniit tribunatum, Ap. Claudio, M. Sempronio Coss., ante diem quartum Idus Decembres; inde tres menses ad Idus Martias sunt, quibus P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt (184 a. Chr. = 570 U. C.). Ita et vixisse in tribunatu Naevii videtur, diesque ei dici ab eo potuisse, decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram. Itaque cum Cicerone consentire de tempore mortis Africani maioris videtur Livius XXXIX, 52.

exspiravit. Scipio, etsi non exul, neque damnatus, die tamen dicta, ad quam non affuerat reus, absens citatus, voluntarium non sibimet ipse solum, sed etiam funeri suo exilium indixit.

Philopoemenis quum multae statuae magnique exstarent honores, quos civitates ei decreverunt, Romanus quispiam in naufragio illo Corinthiaco Graeciae tollere cunctos aggressus est et ipsum persequi accusans, tanquam adhuc vivum, Romanis hostem et infestum fuisse. Ibi orationibus habitis quum Polybius refellisset sycophantam, non sustinuit neque Mummius, neque legati, abolere clari viri honores, quamvis in non paucis fuisset T. Quinctio et M. Acilio adversatus, verum a commodo virtutem illi viri atque honestum, uti decuit, ab utilitate recte atque ordine discreverunt putaveruntque, bene facientibus praemium et gratiam ab illis, ad quos beneficentia pervenit, bonis viris honorem a bonis semper debere. Statua quoque Tegeae ei posita erat (Pausan. VIII, 52, 3. Anthol. Palat. T. II. p. 870. Plut. Philop. 18—21. Polyb. XXIV, 9. Liv. XXXIX, 49. 50. 52. Iustin. XXXII, 1. 4. Cornel. Nep. Hannib. c. 13.).

Diodorus Siculus in excerptis Valesianis (p. 298.), sive in Fragmentis libri XXIX. ad Olymp. CXLIX, 2. a. Chr. 183. U. C. 571. de Philopoemene sic scribit: *πολλάκις μὲν στρατηγίας ἠξιώθη, τεσσαράκοντα ἔτη τοῦ πολιτεύματος ἡγούμενος.* Hi quadraginta anni procedunt a decima tertia praetura Arati. Tunc quoque Plutarchus eum annos natum triginta in proelio adversus Cleomenem cum equitatu Achaico mirifice se extulisse scribit. Proelium ipsum a Polybio descriptum habemus (II, 67—69.). Plane haec concordant. Natus igitur est anno a. Chr. 253 = 501 U. C. = Ol. 131, $^3/_4$. At ab eo tempore si dicas rempublicam tractasse Philopoemenem, nihil hoc ad praeturas, aut alium magistratum, quem gesserit.[2]) Nam

2) Quum ergo, inquit Valesius ad Polyb. Tom. VII, p. 547., LXX annos vixerit Philopoemen et XL continuos in republica sit versatus, relinquitur, eum tricesimo anno ad rempublicam accessisse, quae fuit solennis ad rempublicam capessendam aetas

ab ipso proelio profectus est in Cretam nec rediit nisi Euryleone praetore, quum illico magistrum equitum eum legerunt Achaei. Testis Plutarchus. (Bayer. l. c. p. 330.).

§. 94.

Philopoemenis comparatio cum Aristaeno et Flaminino.

Iam quo exsequiarum pompa illustrior fiat atque magnificentior descriptiones iudiciaque auctorum de Philopoemene hic insuper addamus.

Ac Polybius quidem, qui promotorem consummatoremque eum vocat (II, 40, 2.) foederis Achaici, hanc nobis exhibet Aristaeni et Philopoemenis comparationem (XXV, 9.). Philopoemen et Aristaenus, Achaei, neque ingenio simili fuerunt, neque eandem in republica sectam sunt secuti. Namque Philopoemen quidem et animo et corpore ad res militares egregie factus; contra Aristaenus ad res civiles consilio et eloquentia promtior erat. Inter utriusque autem in republica institutum id interfuit. Quum Romanorum potentia bello Philippico et Antiochico penitus se rebus Graeciae immiscuisset, Aristaenus quidem ita rempublicam moderabatur, ut, quidquid e re populi Romani esset, lubentissime faceret, quaedam etiam ultro antequam populus Romanus mandasset. Interim tamen operam dabat, ut leges ubique servare videretur, atque eam speciem prae se ferebat, cedens interdum, si qua lex mandatis populi Romani aperte repugnabat. At Philopoemen et ipse quidem postulatis Romanorum, quaecunque a legibus ac foedere gentis Achaeorum non discedebant, sine controversia adsentiebatur; quaecunque vero praeter leges ac foedera imperabantur, adduci non poterat, eis sponte ut

---

apud Achaeos, quemadmodum indicat Polyb. Legat. 89. (XXIX, 9, 6. cf. supra §. 29.) — — *ἀλλὰ πάντας τοὺς ἀπὸ τριάκοντα ἐτῶν.* Dionysius quoque Halic. lib. IV. eam fere omnium gentium legem fuisse ait: *ἀπὸ ταύτης γὰρ οἱ νόμοι καλοῦσι τῆς ἡλικίας ὡς ἐπιτοπολὺ τοὺς ἄρχειν τε καὶ πράττειν τὰ κοινὰ βουλομένους.* Valet tamen, quod Philopoemenem attinet, apud nos Bayeri sententia.

pareret, sed primo quidem rationibus contra allatis, deinde vero precibus contendendum esse aiebat; quod si ne sic quidem flectere illos potuissent, tunc demum tanquam divûm fidem contestatos cedere atque imperata facere oportere.

Diodorus Siculus (l. c.) hocce de Philopoemene tulit iudicium: *Ὅτι ὁ Φιλοποίμην, ὁ τῶν Ἀχαιῶν στρατηγὸς, ἀνὴρ ἐγεγόνει φρονήσει καὶ στρατηγίᾳ καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς διαφέρων, πάντα τὸν τοῦ ζῆν χρόνον πεπολιτευμένος ἀμέμπτως· καὶ πολλάκις μὲν στρατηγίας ἠξιώθη, τεσσαράκοντα ἔτη τοῦ πολιτεύματος ἡγούμενος· μάλιστα δὲ τῶν ἄλλων εἰς κοινὸν ηὔξηκὼς τὴν Ἀχαιῶν συμπολιτείαν, πρός τε τοὺς ἰδιώτας ἡμερώτατα πολιτευόμενος· καὶ δι' ἀρετὴν παρὰ Ῥωμαίων ἀποδοχῆς τετευχώς· ἐπὶ δὲ τῆς τοῦ βίου καταστροφῆς ἀγνώμονι τύχῃ συγκεχρημένος· ἀλλ' ὅμως μετὰ τὴν τελευτὴν, ὡςπερεί τινι θείᾳ προνοίᾳ τὰς ἰσοθέους τιμὰς ἠλλάξατο τῶν κατὰ τὴν τελευτὴν ἀπηντηκότων ἀκληρωμάτων· χωρὶς δὲ (τῶν) κοινῇ τοῖς Ἀχαιοῖς καταψηφισθέντων εἰς τιμὴν τἀνδρὸς, (στήλην) ἡ πατρὶς ἱδρύσατο, καὶ τοῦ βουθυτεῖν αὐτῷ κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ τῆς ἀρετῆς ἐγκώμιά τε καὶ ὕμνους κατέδειξεν ᾄδειν τοὺς νέους.*

Plutarchus denique Philopoemenem cum T. Quinctio Flaminino comparans ita scribit: Beneficiorum quidem in Graecos amplitudine neque Philopoemenem contendere cum Quinctio, neque perquam multos Philopoemene praestantiores par est; illis enim fuit Graecis adversus Graecos bellum, huic non Graeco pro Graecis; et quo tempore impos civibus suis Philopoemen succurrere oppugnatis in Cretam navigavit, tunc debellato Quinctius in umbilico Graeciae Philippo et libertatem asseruit et gentes et civitates universas. Quod si iam utriusque proelia discutias, plures Graecos Philopoemen praetura apud Achaeos fungens, quam Graecis succurrens Quinctius occidit Macèdonas. Iam peccata huius in ambitione, illius in pervicacia fuerunt, et in iram propensus Quinctius, alter paene implacabilis. Quinctius enim regiam Philippo maiestatem retinuit, et Aetolis praebuit se lenem. Philopoemen irae

indulgens suburbanos stipendiarios ademit patriae. Ad haec superior in eos, quos beneficio affecerat, semper stabilis, alter ad merita ex bile delenda promtus. Quippe Lacedaemoniorum, in quos beneficus ante fuerat, post muros etiam solo aequavit, fines vastavit, ipsam denique convertit et delevit reipublicae formam. Ac vitam videtur quoque per iram ac pervicaciam profudisse, quod non opportuno tempore, sed rapidius, quam conveniebat, ruens adversus Messenios, non, ut Quinctius, omni consilio et cum securitate exercitum ductasset.

Atqui bellorum numero et tropaeorum Philopoemenis confirmata magis est experientia. Illi enim bellum Macedonicum duobus determinabatur proeliis, hic sexcentis conflictibus victor nullam fortunae reliquit cum scientia rei militaris controversiam. Praeterea Quinctius populi Romani florentibus usus viribus, alter flaccescente iam Graecia adolescens gloriam tulit; unde huius proprium, commune illius videatur fuisse victoria. Quinctius enim imperavit bonis, hic alter bonos imperator effecit. Adde his, quod bella adversus Graecos gesta non auspicatum quidem huic, ceterum tamen virtutis praebuerunt documentum. Nam quibus paria sunt cetera, hi palmam virtute solum obtinent; siquidem qui cum summis bellatoribus bellum gessit Cretensibus et Lacedaemoniis, illos vaferrimos astutia, hos fortissimos superavit audacia. Insuper ex rebus praeparatis lauream Quinctius deportavit, disciplina militari utens et scientia aciei instruendae, quas accepit; Philopoemen ipse etiam afferens et mutans horum ordines. Itaque id quod maximi erat ad victoriam momenti ab hoc, quum deesset, est inventum; illi adiumento fuit, quod iam suppeditabat. Manus certe Philopoemenis multa opera exstant et grandia, alterius nullum. Immo etiam Aetolus quidam exprobrat Quinctio, Archedemus, dum ipse stricto gladio in pugnantes et conglobatos Macedonas currens se inferret, illum passis manibus ad coelum tensis stetisse et vota diis nuncupasse.

Super haec Titus in magistratibus et legationibus omnes res suas praeclaras gessit; nihilo Philopoemen

deteriorem se vel ignaviorem privatum praestitit Achaeis, quam praetorem. Siquidem in praetura Nabim exegit Messene Messeniosque in libertatem restituit; privatus praetorem Diophanem et Quinctium adventantes Sparta exclusit et Lacedaemonios servavit. Qui quum adeo natura dux esset, non ex praescripto legum, sed etiam legibus noverat e bono publico imperare, neque exspectavit, dum a popularibus acciperet imperium, sed usus est iis, sicubi locus esset, hunc censens potius praetorem, qui, quod in rem illorum esset, intelligeret rectius, quam quem elegissent. Est memorabilis quidem Quinctii in Graecos lenitas et humanitas, sed fortitudo et libertatis amor adversus Romanos memorabilior Philopoemenis. Pronius est enim bene mereri de inopibus, quam irritare potentiores reluctantem. Quando igitur ita examinatorum aegre eruitur discrimen, vide, si Graeco bellicae scientiae artisque imperatoriae, iustitiae et humanitatis lauream demus Romano, num male disceptaverimus.

Liber tertius.

Achaeorum res a Philopoemenis morte ad Corinthi usque excidium.

Caput undecimum.

A Philopoemenis ad Lycortae mortem.

---

§. 95.

Lycortae praetura tertia.

Lycortas post suffectum magistratum (a messis tempore 183 ad Maium mensem 182 a. Chr.) praeturam quoque sequentis anni (a Maio mense 182—181 a. Chr.) ob rem bene gestam suscepit. Sic meritus erat, sic mihi videor

Achaeos pernovisse, ut merita nulla sine virtutis praemio relinquerent.

Principio anni 182 a. Chr. venerunt Romam legati ab Eumene et Pharnace et Achaeorum gente, item ab iis Lacedaemoniis, qui patria sua erant extorres, nec non ab iis, qui eam civitatem tenebant. Quibus omnibus senatus est datus Cn. Baebio Tamphilo, L. Aemilio Paullo Coss. Quum autem ex Graecia recens Q. Marcius rediisset et statum Macedoniae ac Peloponnesi patres edocuisset, non existimabat quidem senatus opus esse, ut alios de iisdem rebus audiret; verumtamen introductis Peloponnesiis Macedonibusque legatis aures quidem illis commodavit, ceterum et in responsis dandis et in sententiis de rebus ferendis non eorum habuerunt rationem, quae dixissent legati, sed eorum, quae Marcius in renunciatione legationis dixerat. Is autem de rebus Peloponnesi haec retulerat: Achaeos nihil ad senatum referre velle, sed sublatis spiritibus id agere, ut omnia per se administrent. Hos si in praesentia negligenter solum audirent et significationem quamvis levem darent, sibi facta illorum displicere, extemplo Lacedaemonem et Messenen consensuras. Id si accideret cum multis precibus Romam, velut ad perfugium suum, venturos Achaeos affirmabat. (Confer quae de Q. Marcii in Peloponneso per istam legationem gestis infra repetit Callicrates in oratione ad senatum Romanum, Polyb. XXVI, 2, 12. sq.) Messene enim per id tempus, ut supra exposuimus, a Dinocrate abstracta erat a societate Achaeorum; sed interim dum haec Romae agebantur, eodem certe anno, urbs recepta est ab Achaeis, cf. Polyb. XXIV, 12. Idcirco patres legationi Lacedaemoniorum, cuius princeps erat Serippus (idem ille, qui anno superiori Romam legatus venerat, Polyb. XXIV, 4, 4, nunc rursus eodem rediisse intelligendus est), quum exspectatione suspensam civitatem illam vellent relinquere, responderunt: se illos antea omni ope adiuvisse, nunc vero ita existimare senatum, ad curam suam id negotium non pertinere. Tum vero petentibus Achaeis, ut, si fieri posset, auxilia sibi secundum foederis leges mitterent adversus Messenios;

sin hoc nollent, providerent certe, ne quis ex Italia arma frumentumve Messenam importaret; neglectis hisce postulatis responderunt: etiamsi vel Lacedaemonii aut Corinthii aut Argivi ab iis se abiungerent, mirari Achaeos non debere, si nihil ad se eam rem pertinere patres ducerent. Hoc edito responso, quod instar praeconii fuit, si quis vellet ab Achaeorum concilio recedere, ut per Romanos id sibi sciret licere; legatos Romae detinuerunt avide exspectantes, quem exitum Achaei habituri essent eorum, quae contra Messenios parabant. Arcesilaus vero et Agesipolis, qui in aetate puerili rex Spartae fuerat (Polyb. IV, 35. Liv. XXXIV, 26. Meurs. de regno Lacon. c. 14. et c. 20.), legati ab exulibus Spartanis Romam missi in mari a piratis, quorum in manus inciderunt, occisi sunt. Qui autem in eorum locum sunt suffecti incolumes Romam pervenerunt (Polyb. XXIV, 10. 11. Liv. XL, 2.).

Interea Messenii seniorum hortatu et maxime legatorum, Epaeneti et Apollodori, qui e Boeotia venerant iam ante ad agendum de pace atque opportune tunc Messenae aderant, impulsi arcem Lycortae, Achaeorum praetori, tradiderunt, in quam cetratos induxit. (Hinc Pausanias VIII, 51. scripsit αὐτίκα, quamquam ille quidem in huius vocabuli usu infelicior, ut iam supra demonstravimus.) Deinde cum delectis ex omni exercitu urbem est ingressus et concione convocata convenienter praesenti fortunae eos est hortatus, pollicitus, fore ut nunquam ipsos poeniteat quod Achaeorum fidei sese permisissent. Deliberationem porro de summa rerum ad gentem Achaeorum reiecit; etenim quasi de industria tunc commodum accidit, ut iterum Megalopolin ad conventum alterum Achaeorum concilium convenisset. Ibi quidem placuit, ut Messenii in pristinum statum restituerentur conciliique Achaeorum essent, sed Abia, Thuria et Pharae a Messeniis divulsae ac propria columna erecta concilii Achaeorum singulae participes sunt factae. Romani autem ut cognoverunt ex animi sententia Achaeis bellum cum Messeniis cessisse dissimulata priore sententia aliud iisdem

legatis[1]) responsum dant dicuntque, senatum providisse, ne quisquam ex Italia aut arma aut frumentum Messenam importaret. Qua re declaratum est a Romanis, adeo non

1) E duorum annorum rebus haec Ecloga excerpta contractaque videtur. Nempe sub finem Eclogae XXV, 2, 6. sqq. agitur de variis legationibus Romae in senatum introductis adeoque de rebus in Italia gestis, a quibus rebus incipere Polybius in his temporibus consuevit cuiusque anni historiam, quemadmodum ex collatione omnium reliquiarum satis patet, et ipse Polybius diserte docet lib. XXVIII, 14, 9. coll. c. 2. Inde oriebatur quidem illud incommodum, quod et ipse XXVIII, 14, 10. profitetur, ut nonnunquam de legationibus Romam missis et de responsis, quae his a senatu data sunt, prius exponeret, quam occasionem explicasset, qua missae sunt legationes. At quoniam, quemadmodum ex Livio constat, usu receptum erat, ut exterarum gentium legationibus statim postquam novi consules magistratum iniissent, priusquam in provinciam abirent, adeoque paulo post anni initium senatus daretur, decretae plerumque illae legationes sunt anno superiori et per hiemem Romam missae, ut iusto tempore, scil. Idibus Martiis, Romae adessent. Idque etiam in eis legationibus, de quibus hoc cap. et seq. agitur, factum videtur. Nam quae hoc cap. 1. memorantur, saltem quae initio huius capitis, ea arctissime cum eis, quae in fine cap. praeced. (XXIV, 12.) exponebantur, coniuncta sunt: idem est praetor Achaeorum Lycortas, qui ante; agitur de his quae acta sunt in illo Achaeorum concilio, ad quod rem Messeniorum Lycortas reiecerat, XXIV, 12, 12. iidem legati, quos retentos Romae XXIV, 10, 14. dixerat, Romae adhuc aderant, XXV, 1, 3. At legationes, de quibus sub finem huius Eclogae c. 2. agitur, Romae in senatum anno sequenti 573 (P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo Coss.) introductas esse cum ex ipsa Polybii narratione colligi poterat tum ex Liv. XL, 20. apparet. Nempe quum in rebus huius anni 573 de illis legationibus Romae in senatum introductis ageret Polybius consentaneum est, repetiisse eum ex superioris anni historia nonnihil de occasione, qua illae missae sunt, et ablegasse lectorem ad ea, quae de iisdem rebus supra dicta erant. Itaque compilator huius Eclogae vel ea ipsa, quae Polybius hoc loco e superioribus repetiit, exhibuit, vel paulo etiam plura e superioris anni historia ad declarandum id, de quo nunc agebatur, facientia huc transcripsit. (Schweigh. ad Polyb. Tom. VII. p. 554. sq.)

repudiare aut contemnere se externa negotia licet parum ad ipsos adtinentia, ut contra etiam indignentur, si ad ipsos omnia non referantur neque ex ipsorum sententia cuncta administrentur (Polyb. XXIV, 12. XXV, 1, 1—5.).

Postea vero quam Lacedaemonem legati Romani cum senatus responso venerant extemplo Achaeorum praetor Messeniaco bello confecto multitudinis concilium indixerat Sicyonem. Quo ut ventum de recipienda Sparta in societatem reipublicae deliberationem proposuit. Romanos enim, quibus liberum de ea urbe arbitrium fuerat prius permissum, iam negotium totum respuere; respondisse enim nunc, res Lacedaemoniorum nihil ad se pertinere. Quoniam vero cupiant, qui Spartae in praesentia rerum potiuntur,[2] participes concilii Achaeorum fieri, hortari praetor gentem Achaeorum, ut eos reciperent. Id enim duas ob caussas rationibus ipsorum conducere: primum quia homines sibi adiungerent, qui Achaeorum genti fidem servarunt, deinde quoniam ex veterum exulum numero [3]

2) Horum nomine Serippus et nuperrime Romae fuerat (Polyb. XXIV, 10, 11.) et iam anno 571 (XXIV, 4, 4.) et Romanos rogaverat, ut operam suam illi interponerent, quo ab Achaeis iisdem conditionibus in societatem reciperentur, quae ipsis olim post Nabidis obitum A. U. 562 a Philopoemene et Achaeis erant oblatae. Nam aequo foedere tunc in societatem Achaeorum cooptati videntur (Polyb. XXIV, 4, 4. Liv. XXXV, 37. Paus. VIII, 51. Plut. vit. Philop. p. 364. sq.). Sed non solum nunquam prorsus perfectum illud foedus est, verum etiam paulo post (A. U. 565) ita ab Achaeis administratae res Spartanorum sunt (Polyb. XXII, 23, 2.), ut ab eo tempore ad hunc diem non tam foederata Achaeorum, quam obnoxia Achaeis Sparta fuerit, ut ait Livius XXXVIII, 34. cf. Polyb. XXIII, 12, 5. Quod ait, velle Lacedaemonios cum Achaeis rempublicam agere, hoc putamus dicit, non quia iam pridem id voluerint, sed quod acquiescant nunc conditionibus ab Achaeis latis, neque amplius postulent, ut in civitatem restituantur novi illi cives, olim servi, qui ex Achaeorum decreto urbe pulsi et partim etiam venumdati erant; cf. Polyb. XXIII, 12, 2. et XXIV, 4, 5. (Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 556.)

3) Spartani, qui nunc in urbe dominabantur, quum aegerrime iam olim tulissent veteres exules ab Achaeis in patriam reductos

non illos participes suae reipublicae essent habituri, quorum ingratum animum et impietatem fuissent experti, sed, quum isti aliorum opera sint urbe exclusi, confirmaturos Achaeos horum decreta atque etiam faventibus diis debitam gratiam iis relaturos, nempe quoniam hi, veluti Achaeorum nomine, poenam de ingratis impiisque hominibus sumsissent. Has et similes his rationes afferens Lycortas hortatus est Achaeos, ut Spartam reciperent. Diophanes vero et alii nonnulli exulibus patrocinari conabantur monebantque Achaeos, ne hominum extorrium fortunam urgere etiam ipsi vellent, neve propter paucos (Areum et Alcibiadem, quibus merito succenserent Achaei) suam potentiam iis commodarent, a quibus impie et contra ius expulsi essent e patria. Nempe hoc dixit Diophanes inimicitia magis adversus Lycortam, Philopoemenis amicum, ductus, quam ratione; quemadmodum nonnisi Philopoemenis odio olim ea, quae et Spartae et Messenae ab Achaeis gesta erant, criminatus erat. Cf. Polyb. XXIII, 10, 4. sq. Haec ab utraque parte dicta sunt.

Quibus omnibus auditis statuunt Achaei urbem recipere et ex illo tempore postquam scripta et posita fuit

---

(Liv. XXXIX, 34.) neque ad hunc diem in pristinorum bonorum possessionem eos immisissent (Polyb. XXIV, 4, 2. sq.), iidem, postquam deinde iisdem veteribus exulibus, maxime quidem Areo et Alcibiadi et qui cum his conquestum de Achaeis simul et de Spartanis Romam iverant, aut qui hos miserant, iratos vidissent Achaeos (Polyb. XXIII, 11, 7. sq.), Romanum vero senatum vidissent exulibus quidem illis faventem, sed non serio atque efficaciter commoda eorum curantem, neque pro auctoritate, ut reciperentur et in bona restituerentur, imperantem; iidem Spartani, inquam, ex illorum veterum exulum numero cunctos, quibus Achaei, utpote in se ingratis, infensi erant, nuper partim urbe eiecerant, partim Roma redeuntes excluserant; qua in re quidem simul animo suo suaeque avaritiae erant obsequuti, sed simul gratificari Achaeis voluerant. Eos vero ex veteribus exulibus, qui in Achaeos, a quibus reducti erant, nihil peccassent, se recepturos aut servaturos in urbe significaverant. (Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 558.)

columna, concilio Achaeorum contributa est Sparta, suntque in urbem restituti e numero exulum illi, qui ingrati adversus gentem Achaeorum animi nullum specimen dederant (Polyb. XXV, 1. 2.).

Posteaquam haec ita Achaei transegerunt legationem A. U. 573 = 181 a. Chr. P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo Coss., ad populum Romanum obire iusserunt Bippum (vel Evippum, Schweigh. ad Polyb. XXV, 2, 3. Manso Spart. III, 1. p. 430. Not. s.) Argivum, qui de omnibus rebus senatum faceret certiorem. Pariterque Lacedaemonii Chaeronem (cf. Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 532. 533.) legarunt. Sed et exules Cletin[4]) (vel potius Lysin) Diactorium miserunt, ut apud senatum contra legatos Achaeorum caussam suam tueretur. Qui quum Romae coram senatu res suas exposuissent senatus civitatis quidem Lacedaemoniorum legatis ob illa, quae acciderant, nihil quidquam succensuit, exulibus vero promisit, scripturum se ad Achaeos, ut in patriam restituerentur. Post aliquot dies quum introductus esset Bippus Argivus, quem gens Achaeorum miserat, et de restituta in priorem statum Messena certiorem senatum faceret, patres nihil omnino improbantes eorum, quae gesta fuerant, legatos benigne acceperunt (Polyb. XXV, 2. Liv. XL, 20.).

Quum Lacedaemonii exules in Peloponnesum revertissent ab Roma et genti Achaeorum a senatu literas attulissent, quibus agebant cum illis patres, ut darent operam, quo revocati ab exilio patriae suae restituerentur; visum est Achaeis, deliberationem super eo negotio tantisper differre, donec legati, quos ipsi miserant, rediissent. Hoc

4) Hunc Cletin vel Lysin, etiam Clytin, Clytion, Clitum, Cletem exhibent, modo Clitorium, modo Diactorium, modo Anactorium. Premitur hic locus utrinque eadem dubitatione. Wahrscheinlich, inquit Manso (Spart. III, 1. p. 430. N. r.), war dieser Kletis oder Lysis] an die Stelle des Arcesilaus und ehemaligen Königs Agesipolis getreten, die beide in derselben Angelegenheit gesandt, aber von den Seeräubern gekapert und umgebracht, Rom nicht erreicht hatten, Polyb. XXIV, 11. Assentior. cf. supra.

dato exulibus responso columnam icti foederis cum Messeniis posuerunt concessa ipsis super cetera beneficia etiam triennii immunitate, adeo ut agrorum populatio non minus Achaeis quam Messeniis noxia fuerit. Ubi vero reversus Roma Bippus renunciavit, quae de exulibus fuerant scripta non tam e senatus voluntate esse profecta, quam ipsorum importunitate fuisse expressa, statuerunt Achaei nihil movendum (Polyb. XXV, 3.).

Per idem tempus (post Maium mensem; 181 a. Chr.) rex Ptolemaeus Epiphanes cupiens societatem inire cum gente Achaeorum legatum misit decem naves pollicens quinquaginta remorum omnibus rebus instructas. Achaei quod esset munus dignum, cuius haberetur gratia, promissionem eius cupide susceperunt. Accedit enim sumtus earum navium ad summam talentorum ferme decem. Seleuci tamen simillimum oblatum respuerant (Polyb. XXIII, 7, 4. et c. 9, 13.); fortasse quia donum a Syriae rege acceptum suspectos Achaeos facere potuerat Romanis, non item donum acceptum a Ptolemaeo, Romanorum amico. Post hanc deliberationem legati decernuntur Lycortas (quum praetura tertia se iam abdicasset; praetor enim mitti non potuisset) et Polybius unaque cum his Aratus, Arati Sicyonii filius (nobilis illius Arati sine dubio nepos), qui et regi gratias agerent pro armis, quae prius miserat, et pro pecunia, simul qui naves ab eo acciperent et in Peloponnesum devehendas curarent. Legatos autem propterea hos potissimum delegerunt: Lycortam, quia praetor quum is esset quando Ptolemaeus societatem renovavit impenso studio illi faverat; Polybium, licet annis minorem quam per leges liceret (i. e. nondum XXX annos natum), quia hoc ipsum foedus pater eius Lycortas legatus ad regem Ptolemaeum quum venisset renovaverat idemque arma et pecuniam Achaeis advexerat, quae rex genti ipsorum muneri miserat; pariter et Aratum propter notitiam et amicitiam, quae maioribus eius cum Aegypti regibus intercesserat. Sed enim patriae fines legatio ista interveniente sub idem tempus (180 a. Chr.) morte Ptolemaei non excessit (Polyb. XXV, 7.). Ptolemaeum Epiphanem mortuum

esse hoc anno ab U. C. 574 (= 180 a. Chr.), ad quem Eclogam hanc retulit Schweighaeuserus, consentit Simsonus in Chronico Universali; ibi Wesselingius probatiorem sibi videri Petavii rationem ait ad annum superiorem referentis, in eaque re assensum Zumptii in Annalibus (p. 35.) tulit, scribentis Ptolemaeum V. Epiphanem veneno necatum esse anno quarto Olympiadis CXLIX i. e. $^{181}/_{180}$ a. Chr. Bayerus (l. c. p. 330.) mortem Epiphanis male ponit Ol. 150, 2 inito.

§. 96.

Lycortae quarta praetura et Hyperbatus praetor, et Callicrates primum.

Per ea tempora (anno 574 U. C. = 180 a. Chr.) Lacedaemone erat quidam Chaeron, qui anno superiori (573 U. C. = 181 a. Chr.) [1]) legationem Romae obierat, homo gnavus quidem ac solers, sed iuvenis admodum et infimae sortis nec liberaliter educatus. Hic concionabundus apud plebem quum eam rem commovisset, quam nemo tentare fuerat ausus, famam apud multitudinem brevi comparavit. Ac principio quidem agrum, quem tyranni sororibus ac coniugibus exulum matribusque ac liberis concesserant, ipse infimis hominibus temere ac pro arbitrio suo divisit. Deinde publica pecunia quasi privata abusus vectigalia decoquere coepit absque ulla lege aut publico decreto aut magistratus auctoritate. Quam rem aegre ferentes nonnulli id egerunt, ut quaestores aerarii publici legibus constituerentur. Id quum animadverteret Chaeron conscius sibi ipse male administratae publicae pecuniae, Apollonidem e collegio quaestorum, virum clarissimum, qui eius peculatum ac furta deprehendere maxime valebat,

1) Vide Polyb. XXIV, 4, 5. XXV, 2, 4. Ex posteriore hoc loco intelligitur, ad annum 574 referendam hanc Eclogam, quia anno 573 Romam fuerat missus; nam de priori legatione, quam A. U. 571 obierat, agi h. l. non potest, quia series Eclogarum vetat, ne ad annum 572 haec Ecloga referatur. Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 566.

interdiu e balneo redeuntem submissis percussoribus interfecit. Cuius rei nuncio ad Achaeos delato quum universa populi multitudo eum casum acerbe ferret confestim praetor magnis itineribus Spartam profectus et Chaeronem ipsum comprehensum caussam dicere iussit de Apollonidis caede damnatumque in carcerem coniecit, et reliquos quaestores hortatus est, ut de publica pecunia quaestionem serio exercerent utque operam darent, uti exulum propinquis bona nuper a Chaerone ademta restituerentur (Polyb. XXV, 8.).

Praetorem illum, cuius supra mentionem fecit Polybius, autumat fuisse Philopoemenem Reiskius, Schweighaeuserus Aristaenum (ad Polyb. T. VII. p. 566. sq.); uterque male; fuit Lycortas quartum praetor (a Maio 180—179 a. Chr.), ut recte Bayerus et Manso (l. c. III, 2. p. 311. cf. p. 278. et 279.).

Achaei quamquam summa Romanos observarent diligentia omnesque res, quae inter Peloponnesi Graecos dissidiarum caussae existerent, removere studerent, legesque societatis non solum ut purae absque omni perniciosorum morum contagione servarentur, sed etiam ut ex earum praeceptis respublica regeretur operam darent, tamen tantum aberat, ut viri et genere et auctoritate rerumque usu insignes idem omnes curassent ac conspiratione quasi quadam inita nascentem sensimque latius serpentem proditionem oppressissent, ut multi adeo, inprimis vero Callicrates, proditorum partes agere non detrectarent meritoque eorum nomini haec turpitudinis nota inureretur.

Ea enim tempestate quum quaestionem in concilio movisset praetor Hyperbatus (a Maio mense anni 179 ad Maium usque mensem anni 178 a. Chr. ut Bayerus et Manso recte statuunt, falso autem Helvingius l. c. p. 335. ad annum 178 a. Chr. refert, cf. Polyb. XXVI, 1, 1. 6.) de eo quod scripserant Romani de restituendis Lacedaemoniorum exulibus, ad deliberandumque proposuisset, quid in ea re esset faciendum; Lycortas Achaeis auctor fuit, ne quidquam propterea mutarent; Romanos enim facere illos quidem pro suo officio, quum miserorum hominum

precibus ac voluntati, quatenus aequa videatur, morem gerant, ceterum ubi aliquis ipsos docuerit, ea, quae postulentur, partim fieri non posse, partim coniuncta esse cum ingenti sociorum populi Romani dedecore et damno, non esse moris illorum contendere pertinaciter et invitos ad talia compellere. Itaque etiam in hàc re, posteaquam cognoverint, non posse Achaeos ipsorum voluntati per literas significatae aliter obtemperare, nisi ut iusiurandum, leges, foedera columnis inscripta, quibus communis eorum res publica continetur, violent, discessuros a proposito et consensuros, iustam habere Achaeos caussam, cur moras trahant et literis ipsorum parere detrectent. Ita quidem Lycortas. Hyperbatus vero et Callicrates exsequendi quod scripserant Romani auctores erant Achaeis, hortabanturque, ne ullius legis, foederis columnae inscripti, aut omnino cuiusquam rei alius potiorem habendam rationem censerent. Hoc pacto dissidentibus sententiis eorum, qui concilio intererant, visum Achaeis faciendum, ut Romam legatos mitterent, ad illa exponenda senatui, quae disseruerat Lycortas. Decreti statim sunt Callicrates Leontesius (vel Leontensis), Lydiadas Megalopolitanus, Aratus Sicyonius, qui anno superiori in eo fuerat, ut Alexandriam legatus proficisceretur (Polyb. XXV, 7.); quos cum consentaneis mandatis proficisci iusserunt. Romam ut venerunt estque iis datus senatus (L. Manlio Acidino Fulviano, Q. Fulvio Flacco Coss. 575 U. C.), tantum abfuit Callicrates, ut convenienter acceptis mandatis cum patribus ageret, ut plane e contrario aggrederetur non solum eos audacter incusare, qui a se in republica dissiderent, sed ipsum quoque senatum sui officii monere.

Ipsos namque Romanos in caussa esse dixit, cur minus morigeros Graeci se adversus illos praeberent, sive aliquid ipsis scriberent, sive aliquid imperarent. Nam quum duae iam sint, aiebat, factiones in omnibus civitatibus, quae populi voluntate reguntur, quumque alii dicant, exsequi oportere omnia, de quibus scriberent Romani, neque aut legem, aut foedus stelae inscriptum, aut quidquam aliud ducendum esse antiquius Romanorum voluntate;

contra alii leges in medium afferant et iusiurandum et positas columnas atque iidem hortentur populos, ne illa temere migrent, horum sententiam vulgo Achaeorum multo acceptiorem esse faciliusque eam vincere apud multitudinem posse. Ex quo fieri, ut, qui Romanarum sunt partium, inglorii apud vulgum sint et calumniis obnoxii; contrarium vero in republica sentientes diversa omnia experiantur. Iam quodsi aliquam senatus daret significationem, illa se curare, cito et omnes civitatum principes ad Romanas partes esse transituros et vulgus etiam ubique prae metu exemplum illorum secuturum; sin hoc facere patres neglexerint, ilicet a Romanis omnes ad contrariam factionem defecturos, quae apud vulgus paratam laudem et honestatis opinionem habeat. Iamque adeo nonnullos cernere esse, qui, quum aliud nihil ad magistratus ambiendos afferrent, unam illam ob caussam maximos in suis civitatibus honores sint consecuti, quod literis Romanorum se opposuerint patriaeque leges et decreta propugnaverint. Siquidem igitur non curarent Romani, dicto sibi audientes ut essent Graeci, et literis ipsorum ut obtemperarent, tenerent sane institutum, quo hactenus essent usi; at si morem geri suis mandatis neque aspernari quemquam vellent quae scripsissent, patres hortabatur, ut in hanc curam serio incumberent. Quod ni ita fecerint, certo scire se, contrarium eventurum eius, quod ipsi cogitaverint, sicut et in praesentia evenisset. Nam et nuper, belli Messeniaci tempore, quum summo studio Q. Marcius id egisset (cf. Polyb. XXIV, 10, 8.), ne Romanis inconsultis quidquam Achaei super rebus Messeniorum decernerent, illos contra neglecto populi Romani imperio ac bello etiam propria sua auctoritate decreto non solum agrum omnem eorum inique vastasse, sed et civium clarissimos quosque partim in exilium expulisse, partim deditione acceptos, omni genere cruciatus vexatos, occidisse; (Calumniatur id quod fecit Lycortas. Cf. Polyb. XXIV, 12, 13. Solum enim Dinocratem sponte vitam finisse, ceteros omnes, qui Philopoemeni necis auctores fuerant, comprehensos poenas dedisse, diserte consentit Pausanias p. 704.)

idque non aliam ob caussam, nisi hanc, quod de rebus controversis provocassent ad Romanos. Et nunc rursus idem evenisse. Nam quum literas de restituendis Lacedaemoniorum exulibus ad Achaeos mittere pridem Romani non cessent, tantum abesse, ut morem voluntati eorum gerant, ut foedus icerint et columnae inscripserint ac iureiurando fidem suam obstrinxerint, nunquam exules iri restitutum. Quae cogitare ipsos et in posterum providere aequum censebat.

Haec hisque similia postquam dixit Callicrates discessit. Secundum haec introducuntur exules (cf. Polyb. XXV, 2, 8.), qui pauca de se locuti nonnullis etiam in medium prolatis, quae ad excitandam vulgo misericordiam valent, recesserunt. Senatus probato consilio, quod suggerebat Callicrates, disserentibus etiam nonnullis, oportere sane conditionem illorum meliorem facere, qui decreta ipsius propugnarent, illos vero, qui se eis opponerent, humiliores infirmioresque reddere: ita demum instituit, omnes, qui in suis civitatibus bonarum essent partium, deprimere, eos vero, qui suam sectam, quo iure quave iniuria, sequerentur, alere omnibusque rebus ornare. Ex quo paullatim factum est cum procedente tempore, ut senatus assentatoribus abundaret, amicis veris destitueretur. Tunc igitur de reditu quidem exulum non solum ad Achaeos scripsit hortans, ut ad rem perficiendam vires contenderent; sed etiam ad Aetolos, Epirotas, Athenienses quoque, Boeotos et Acarnanes, quasi fidem omnium appellans ad frangendam Achaeorum potentiam. De Callicrate vero nominatim nulla ceterorum legatorum mentione facta adiectum est responso, ita singulos in civitatibus debere esse animatos, ut Callicratem. Is igitur cum his responsis gaudio ovans in Graeciam revertitur, nihil cogitans, quantorum malorum cum in universum Graecis, tum maxime Achaeis auctor exstitisset. His enim ad illam usque diem aequo iure adhuc aliquatenus agere cum Romanis licuerat, quoniam ex quo sectam populi Romani coeperunt sequi, fidem constanter temporibus maxime insignibus servaverant, tempora dico bellorum cum Philippo et

Antiocho gestorum. Et quum ab illis temporibus, quibus Aratus rempublicam gubernare coepit, incrementum etiam cepisset et in praeclaris institutis progressum fecisset gens Achaeorum, per Callicratis audaciam factum est, ut mutationis in deterius hinc rursus fieret initium. Callicrates enim quum plane contrarium eius fecisset, cuius caussa fuerat missus, quum etiam Messeniorum negotium accivisset, licet eo nomine querela Romanorum nulla unquam fuisset audita, ubi in Achaiam est reversus metum populi Romani omnibus incutere et renunciatione legationis suae omnes terrere, universae denique multitudinis animos deiicere. Itaque ergo quod nihil quidquam eorum populus sciret, quae revera ipse in senatu dixerat, primum quidem praetor est creatus (anno 576 U. C. = a Maio 178 ad Maium 177 a. Chr. M. Iunio Bruto, A. Manlio Vulsone Coss.), homo, ut cetera sileam vitia, etiam munerum largitione corruptus; deinde, postquam magistratum iniisset, exules Lacedaemoniorum et Messeniorum in suam quemque patriam restituit, anno 178 a. Chr. non 177, ut falso Helvingius l. c. p. 336. (Polyb. XXVI, 1—3. cf. Pausan. VII, 10, 2.)

Eadem Pausanias (VII, 9, 4. 5.) quoque brevius quidem adiectis tamen nonnullis rebus exposuit, quas Polybius non habet, vel consulto omisit. Recepta enim exules patria consilia sua ad Achaeos exagitandos omnia contulerunt, quocirca hoc se illos pacto probe ulcisci posse sperantes Messeniis iis, qui eius coniurationis, qua Philopoemen occisus fuerat, participes fuisse iudicati fuerant eamque ob caussam exilio ab Achaeis mulctati erant, iis, inquam, et Achaeorum praeterea exulibus persuasere, ut Romam querelas ad senatum deferrent. Et iis quidem, quum et ipsi affuissent, haud magno negotio reditum confecerunt. Favente enim summo studio Lacedaemoniis Appio, Achaeorum vero caussam acriter impugnante, ea senatus decrevit, quae maxime voluerunt Messenii et Achaei exules. Missae itaque Athenas et in Aetoliam literae, quibus imperabant Romani, ut Messeniis et Achaeis exulibus suum unicuique ius suaque bona restituerentur.

Vehementer haec res animos Achaeorum commovit, praesertim quum se et ante iniuriosius a Romanis tractatos interpretarentur et sua in Romanos pristina merita non fuisse, qua sperarant gratia, excepta viderent, quum, qui contra Philippum, Aetolos, Antiochum egregiam Romanis operam navassent, iam exulibus et iis hominibus, qui incestas manus haberent, postponerentur; imperata tamen sibi facienda et tempori parendum duxerunt. Atque ea quidem perditissimorum hominum perversitas, qui patriae salutem hostibus vendere nihil verebantur, Achivis exitio fuit. Neque vero scelus hoc ut semel in Graecia usurpari coeptum est ullum finem reperit. (Cf. Manso Sparta III, 1. p. 434. Not. b.)

De tempore huius Polybianae eclogae, cuius argumentum supra exposuimus integrum, ita disserit Schweighaeuserus ad Polyb. T. VII. p. 569: Series eclogarum de Legationibus docet, hanc Eclogam LVIII. agere de re post annum 574 (ad quem pertinebant Ecl. LVI. et LVII.) gesta; nam agitur hic de legatione Romam ab Achaeis missa, quae decerni quidem et mitti potuit eodem anno 574, sed Romae non ante sequentis anni initium a novis consulibus in senatum introducta est. Neque vero longius, quam in annum post 574 proxime sequentem, reiicienda visa est eadem haec Ecloga, quoniam agitur de re, quam iam pridem atque saepe Achaeis commendaverat senatus Romanus, nempe *de reliquis ex veteris Spartae exulibus in patriam restituendis.* De rebus autem anni ab U. C. 575 egisse Polybium libro XXVI. discimus ex Athenaei loco X, 13. p. 445. A quo anno quum nova incipiat Olympias ab eiusdem anni rebus, qui est annus primus Olympiadis 150, coeptum esse hunc librum a Polybio, consentaneum mihi visum erat.

§. 97.

Prima belli Persici semina. Xenarchus et Arco Achaeorum praetores.

Occiso Demetrio sublatoque aemulo (anno 181 a. Chr. Liv. XL, 24. 54—58.), mortuo Philippo ex aegritudine

animi (179 a. Chr. Plut. vit. Aemil. Paulli c. 8. Paus. II, 9, 5. Liv. XL, 54. coll. XLV, 9. Iustin. XXXII, 2. Porphyr. ap. Scalig. p. 68. Armen. Euseb. c. 38.) Perseus quum regnum accepisset (cf. Polyb. Fragm. ap. Lucht. p. 46. sq.) primaque velut semina Macedonici belli iacta iam vivo Philippo essent, et novus rex in Graeciam moveret bellum Xenarchus praetor erat, haud obscure iam antea non satis aequus Romanis (Polyb. XXIV, 4, 11. sq.), nunc vero regem et res novas non videbatur aspernari. Incidit vero, ut e Livio (XLI, 23.) intelligimus, praetura Xenarchi in aestatem, qua Q. Mucius Scaevola, M. Aemilius Lepidus II Coss. fuerunt U. C. 579 = 175 a. Chr.

Perseus vero priusquam moveret in Romanos cum Achaeorum maxime gente reconciliandae gratiae viam quaerebat. Haec una ex omni Graecia gens et Atheniensium civitas eo processerat irarum, ut finibus interdiceret Macedonibus. Itaque servitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat, quia quum finibus suis interdixissent intrare regni terminos ipsi non audebant. Id quum Perseus animadvertisset comprehensis omnibus cum pristinis eorum dominis de redemtione egit, literasque ad Achaeorum gentem misit, quibus ut interdictum illud commercii invicem exercendi tolleretur postulavit; ceterum ne similis fuga servorum postea fieret cogitandum et illis esse. Recitatis his literis per Xenarchum praetorem (anno 579 U. C. = 175 a. Chr.), qui privatae gratiae aditum apud regem quaerebat, et plerisque moderate et benigne scriptas esse censentibus literas atque his maxime, qui praeter spem recepturi essent amissa mancipia; Callicrates ex iis, qui in eo verti salutem gentis crederent, si cum Romanis inviolatum foedus servaretur, Parva, inquit, aut mediocris res, Achaei, quibusdam videtur agi; ego maxime gravissimam omnium, non agique tantum arbitror, sed quodam modo actam esse. Nam qui regibus Macedonum Macedonibusque ipsis finibus interdixissemus manereque id decretum, scilicet ne legatos, ne nuncios

admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi sollicitarentur; ii concionantem quodam modo absentem audimus regem et, si diis placet, orationem eius probamus. Et quum ferae bestiae cibum ad fraudem suam positum plerumque aspernentur et refugiant, nos caeci specie parvi beneficii inescamur, et servulorum minimi pretii recipiendorum spe nostram ipsorum libertatem subrui et tentari patimur. Quis enim non videt, viam regiae societatis quaeri, qua Romanum foedus, quo nostra omnia continentur, violetur? Nisi hoc dubium alicui est, bellandum Romanis cum Perseo esse et, quod vivo Philippo exspectatum, morte eius interpellatum est, id post mortem Philippi futurum. Duos, ut scitis, habuit filios Philippus, Demetrium et Persea. Genere materno, virtute, ingenio, favore Macedonum longe praestitit Demetrius. Sed quia in Romanos odii regnum posuerat praemium, Demetrium nullo alio crimine, quam Romanae amicitiae initae, occidit; Persea, quem populus Romanus prius poenae, quam regni, heredem futurum sciebat, regem fecit. Itaque quid hic post mortem patris egit aliud, quam bellum paravit? Bastarnas primum ad terrorem omnium in Dardaniam immisit, qui si sedem eam tenuissent, graviores eos accolas Graecia habuisset, quam Asia Gallos habeat. Ea spe depulsus non tamen belli consilia omisit; immo si vera volumus dicere iam inchoavit bellum. Dolopiam armis subegit, nec provinciis de controversis ad disceptationem populum Romanum adivit; inde transgressus Oetam, ut repente in medio umbilico Graeciae conspiceretur, Delphos ascendit. Haec usurpatio itineris insoliti quo vobis spectare videtur? Thessaliam deinde peragravit. Quod sine ullius eorum, quos oderat, noxa, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cum muneris specie misit et cogitare iubet, quo modo in reliquum hoc munere non egeamus; hoc est, ut decretum, quo arcentur Peloponneso Macedones, tollamus; rursus legatos regios et hospitia cum principibus et mox Macedonum exercitus, ipsum quoque a Delphis (quantum enim interfluit fretum?) traiicientem in Peloponnesum videamus, immisceamur Macedonibus

armantibus se adversus Romanos. Ego nihil novi censeo decernendum servandaque omnia integra, donec ad certum dirigatur, vanusne hic timor noster, an verus fuerit. Si pax inviolata inter Macedonas Romanosque manebit nobis quoque amicitia et commercium sit; nunc de eo cogitare periculosum et immaturum videtur.

Post hunc Arco, frater Xenarchi praetoris, ita disseruit: Difficilem orationem Callicrates et mihi et omnibus, qui ab eo dissentimus, fecit; agendo enim Romanae societatis caussam ipse tentarique et oppugnari dicendo, quam nemo neque tentat neque oppugnat, effecit, ut qui ab se dissentiret adversus Romanos dicere videretur. Ac primum omnium, tanquam non hic nobiscum fuisset, sed aut ex curia populi Romani veniret, aut regum arcanis interesset, omnia scit et nunciat, quae occulte facta sunt. Divinat etiam, quae futura fuerant, si Philippus vixisset; quid ita Perseus regni heres sit, quid parent Macedones, quid cogitent Romani. Nos autem, qui nec ob quam caussam, nec quemadmodum perierit Demetrius, scimus, nec quid Philippus, si vixisset, facturus fuerit, ad haec, quae palam geruntur, consilia nostra accommodare oportet. Ac scimus, Persea, regno accepto, ad legatos Romanos venisse ac regem Persea a populo Romano appellatum; audimus legatos Romanos venisse ad regem et eos benigne exceptos. Haec omnia pacis equidem signa esse iudico, non belli, nec Romanos offendi posse, si, ut bellum gerentes eos secuti sumus, nunc quoque pacis auctores sequamur; cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum adversus regnum Macedonum geramus, non video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus; an infirmissimi omnium, tanquam, quos nuper subiecit, Dolopes? immo contra ea vel viribus nostris deûm benignitate vel regionis intervallo tuti. Sed sumus aeque subiecti ac Thessali Aetolique; nihilo plus fidei auctoritatisque habemus adversus Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Aetoli, qui paulo ante hostes fuerunt. Quod Aetolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Graeciae cum Macedonibus iuris est,

idem et nobis sit; et cur exsecrabilis ista nobis solis velut desertio iuris humani est? Fecerit aliquid Philippus, cur adversus eum armatum et bellum gerentem hoc decerneremus; quid Perseus, novus rex, omnis iniuriae insons, suo beneficio paternas simultates obliterans, meruit? cur soli omnium hostes ei sumus? Quamquam et illud dicere poteram, tanta priorum Macedoniae regum merita erga nos fuisse, ut Philippi unius iniurias, si quae forte fuerunt, condonare utique post mortem possimus. Quum classis Romana Cenchreis staret, consul cum exercitu Elatiae esset, triduum in concilio fuimus consultantes, utrum Romanos an Philippum sequeremur. Nonnihil metus praesens ab Romanis sententias nostras inclinarit, fuit certe tamen aliquid, quod tam longam deliberationem faceret, id quod erat vetusta coniunctio cum Macedonibus, vetera et magna in nos regum merita. Valeant et nunc eadem illa, non ut praecipue amici, sed ne praecipue inimici simus. Ne id, quod non agitur, Callicrates, simulaverimus; nemo novae societatis aut novi foederis, quo nos temere illigemus, conscribendi est auctor, sed commercium tantum iuris praebendi repetendique sit, ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus, ne servis nostris aliquo fugere liceat. Quid hoc adversus Romana foedera est? Quid rem parvam et apertam magnam et suspectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid, ut ipsi locum assentandi Romanis habeamus, suspectos alios atque invisos efficimus? Si bellum erit, ne Perseus quidem dubitat, quin Romanos secuturi simus; in pace etiam, si non odia finiuntur, intermittantur.

Quum iidem huic orationi, qui literis regis assensi erant, assentirentur, indignatione principum, quod, quam rem ne legatione quidem dignam iudicasset Perseus, literis paucorum versuum impetraret, decretum differtur. Legati deinde postea missi ab rege, quum Megalopoli concilium esset, dataque opera est ab iis, qui offensionem apud Romanos timebant, ne admitterentur. (Liv. XLI, 22—25. coll. XLII, 2. 4. 12. 40. App. Maced. 9. Diod. Excerpt. de legat. XV, 623.)

Interea Aetolorum ingenti vi aeris alieni oppressorum in semet ipsos vertitur furor; (quae Lucas dedit l. c. p. 133. fidem non faciunt;) Thessali turbantur; ea contagione, velut tabes, in Perrhaebiam quoque id pervaserat malum; idem furor et Cretenses lacerabat; Lycii quoque ab Rhodiis bello vexabantur (Liv. XXXVI, 6. XLI, 25. 27. XLII, 2. Polyb. XX, 6.). Graeciae tum conditio miserrima. Marcellus in Peloponnesum traiecit, quo edixerat Achaeis conventum. Ubi collaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuisset, insigne adversus Persea odium Romanorum fecit (Liv. XLII, 6. 11. App. IX, 1. sqq. cf. Schorn. l. c.). Frequentes legationes (anno 173 a. Chr.) Romanorum ad Aetolos Thessalosque componendarum seditionum caussa, item ad Achaeos, C. Valerius, Eumenem, Ptolemaeum mittuntur, quia bellum cum Perseo, Macedonum rege, dudum praeparatum imminet (Liv. XLII, 6. et c. 15—18.). C. Valerius redux coram senatu 172 a. Chr.

Arco apud Achaeos praeturam gessit eo tempore, quo Q. Marcius Philippus legatus Graecas civitates obiit. Qua legatione defunctus est κατὰ χειμῶνα, ut ait Polybius (XXIX, 10, 6.), quod Livius (XLII, 44.) explicat, *principio hiemis*. Et hic quidem legationem recenset P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. U. C. 583 = 171 a. Chr. superiori aestate Q. Marcium fuisse in Graecia. Nam renunciata legatione principio veris P. Licinius Cos. in Graeciam cum exercitu profectus est. Fuit igitur Arco praetor a Maio 172 ad Maium 171 a. Chr. Livio teste (XLI, 24.) Xenarchi frater fuit Arco eiusdem in republica sectae homo, Aegirates, si is ipse est Archo, quem Polybius (XXIX, 10, 6. coll. XXIII, 10, 8.) tradit postea legationem in Aegypto obiisse.

Ante Marcium P. et Ser. Cornelii Lentuli circumeuntes Peloponnesi oppida, quum sine discrimine omnes civitates adhortarentur, ut, quo animo, qua fide adiuvissent Romanos Philippi primum, deinde Antiochi bello, eodem adversus Persea iuvarent, fremitum in concionibus audiebant, Achaeis indignantibus, eodem se loco esse, quo

Messenii atque Elei, qui pro Antiocho hoste arma adversus populum Romanum tulissent, ac nuper in Achaicum contributi concilium velut praemium belli se victoribus Achaeis tradi quererentur. (Haec omisit Helvingius.)

Q. Marcius Argis in concilio impetravit ab Achaeis, ut Chalcidem praesidio suo, mille militum, tutarentur (cf. Liv. XLII, 55. extr.). De animo et indole Q. Marcii cf. Liv. XLII, 39—43. 47.

§. 98.

Bellum Persicum.

Interim Perseo (cui anno priori 172 a. Chr. bellum indictum erat) legatis huc illuc mittendis opportunum belli gerendi tempus periit, dum P. Licinius consul, cui Macedonia provincia obvenerat (Liv. ibid. c. 48.), cum egregio ferme XXX millium militum exercitu, cui auxilia ex omnibus undique Graeciae populis convenerunt, quorum pleraque (adeo parva erant) in oblivionem adducta, et Achaei iuventutis suae, Cretico maxime armatu, ad mille adiunxerant (Liv. XLII, 55. extr.), in Thessaliam venit (171 a. Chr.). Regi vero summa omnium quadraginta tria millia armata fuere (triginta novem millia peditum erant, quattuor equitum), quos inter Leonides Lacedaemonius quingentis ex Graecia, mixto generi hominum, praeerat. Regii is generis ferebatur; exul, damnatus frequenti concilio Achaeorum literis ad Persea deprensis. Aetolorum et Boeotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco Achaeus praefectus erat. Satis constabat secundum eum exercitum, quem Magnus Alexander in Asiam traiecit, nunquam ullius Macedonum regis copias tantas fuisse. (Liv. ibid. c. 51.) Neque improspere bellum a rege circa Larissam gestum est, qui si suis viribus in tanta Graecorum omnium propensione, Graecos enim primo impetu averterat (Liv. ibid. c. 59. et c. 60. extr.), confidisset, delere Romanum exercitum potuit. Fama enim equestris pugnae commissae ad Callinicum tumulum prope Larissam in Thessalia vulgata per Graeciam nudavit voluntates hominum. Non enim solum, qui partis Mace-

donum erant, sed plerique ingentibus Romanorum obligati beneficiis, quidam vim superbiamque experti, laeti eam famam accepere, non ob aliam caussam quam pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur deteriori atque infirmiori favendo. (Liv. XLII, 63. Polyb. XXVII, 8. Appian. Maced. Eclog. X.) Per hiemem Boeoti a consule, qui Graecarum civitatum socios omnes praeter Achaeos dimiserat (Liv. ibid. c. 67.), neque minus a Lucretio praetore, classis praefecto, vexabantur (Liv. l. c.) et gravius avariusque in Graecia bellatum et ab consule Licinio et ab Lucretio praetore quam gratum plebi Patribusque erat. (Liv. XLIII, 4.) Eademque hieme, insequenti tamen anno 584 U. C. (= 170 a. Chr.), A. Hostilio Mancino, A. Atilio Serrano Coss., Macedones classem Romanam Orei hibernantem oppresserunt et aliquot naves abstraxerunt, neque per aestatem quidquam satis Romanis processit. Hostilius consul per Cambunios montes in Macedoniam ingressurus victus, a diversa parte Ap. Claudius in Dassaretiis Uscanam temere aggressus turpiter repulsus est. Epirotarum maior pars ad Perseum defecit auctore Cephalo. (Liv. XLIII, 1—12. c. 18. 21. 23. XLIV, 16. Diod. Sic. T. II. p. 578. ed. Wessel. Polyb. XXVII, 13. 14. Strab. VII, 7.)

Ἐστρατήγησα μὲν Ἀχαιῶν καὶ ἐγώ, inquit Xenon apud Pausaniam (VII, 10, 2.); cui autem anno eum ego praetorem adscribam? Quoniam C. Popillio Laena, P. Aelio Ligo Coss. (U. C. 582 = 172 a. Chr.) bellum indictum est Perseo, aut ante secundum Archonis praeturam, quum glisceret bellum, aut ante tertiam eiusdem praeturam, quum et gestum est et confectum. Quo me vertam nescio. (Cf. Bayer. l. c.)

Anno sequenti, 585 U. C. Q. Marcio Philippo II, Cn. Servilio Caepione Coss. (169 a. Chr. creatis a. d. V. Kal. Februarias, ut Pighius Livium XLIII, 11. restituit) priusquam Q. Marcius, cui Macedonia provincia obvenerat, exercitus imperium suscepisset, Aulus Hostilius proconsul,[1])

---

1) Schorn. l. c. p. 351. Not. 3. corrigit quidem Polybium XXVIII, 3. et Livium XLIII, 17. Hostilium proconsulem scribentes, quum

hiberna cum copiis in Thessalia habens legatos circum civitates Graeciae misit (hieme anni 169 ineuntis) C. Popillium et Cn. Octavium, qui senatusconsultum Thebis primum recitatum per omnes Peloponnesi urbes circumtulerunt, Ne quis ullam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, praeterquam quod senatus censuisset. (Cf. Polyb. XXVIII, 11, 11. 14, 2.) Hoc fiduciam in posterum quoque praebuerat, levatos se oneribusque impensisque, quibus alia aliis imperantibus exhauriebantur. Simul vero in sermonibus significationem dabant, notos sibi esse in singulis civitatibus eos, qui ab amicitia Romanorum et ab officio recederent, pariterque eos, qui partes populi Romani sequerentur. Eratque omnibus manifestum, non minus offensae apud ipsos contrahi, si quis lentum se praeberet, quam si palam factionis esset contrariae. Quae res sollicitos et anxios plerosque reddebat, quibusnam dictis factisve suas rationes ad praesentem statum satis accommodare possent. Enimvero Popillius ceterique legati dicebantur convocato Achaeorum concilio accusaturi Lycortam, Archonem et Polybium eosque publice notaturi ut alienos a consiliis populi Romani, qui in praesentia quiescerent, non quod quietis et publicae tranquillitatis studio ducerentur, sed quia exitus rerum observarent et temporum opportunitatibus imminerent. Id tamen facere non sunt ausi legati, ut qui nihil haberent, quod praedictis viris cum aliqua similitudine veri obiicerent. Itaque posteaquam coactum Aegii[2]) concilium adiissent benigneque omnes salutassent cohortatique essent in Aetoliam traiecerunt. Ibi nondum quidem seditio erat, sed

---

revera consul adhuc fuerit, hieme legatos emiserit, et Q. Marcius mature ad exercitum venerit, Liv. XLIII, 21. sq. XLIV, 1. Nos tamen cum Schweighaeusero auctores sequimur antiquos.

2) Ex Polybii verbis apparet apud Livium XLIII, 17, 4. *Aegii* pro *Argis* scribendum esse. Nam apud Aegium celebrari solitum Achaeorum concilium cum saepius Polybius tum ex Polybio Livius XXXV, 48. tradit. Cf. Drakenb. ad Liv. XLIII, 17, 4. (Ursinus et Schweigh.)

omnia suspecta criminumque inter ipsos plena; ob quae obsidibus postulatis neque exitu rei imposito in Acarnaniam inde profecti legati sunt. Thyrii (Thurii) concilium legatis Acarnanes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen; quidam principum postulare, ut praesidia in urbes suas inducerentur adversus amentiam eorum, qui ad Macedonas gentem trahebant; pars recusare, ne, quod bello captis et hostibus mos esset, id pacatae et sociae civitates ignominiae acciperent. Iusta deprecatio haec visa. Larissam ad Hostilium proconsulem legati redierunt. (Polyb. XXVIII, 3—5. Liv. XLIII, 17.)

Advertit animos Graecorum (cf. Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 621.) ista legatio, ut, quid ageretur, ducerent accuratius sibi considerandum. Iis igitur assumtis, qui in reliqua administratione publicae rei consentiebant, (hi erant Arcesilaus et Ariston Megalopolitani, Stratius Trittaeensis, Xeno Patrensis, Apollonides Sicyonius,) de re proposita consultabant. Et Lycortas quidem in sententia manens, quam a principio habuerat, censebat, Perseo Romanisque pariter neque opem ferendam neque resistendum. Nam auxiliari quidem exitiosum esse omnibus Graecis autumabat, quanta esset futura victoris potentia animo prospiciens; resistere vero periculosum rebatur, quod iam superioribus temporibus in publicis consiliis ausi essent multis iisque clarissimis proceribus Romanis se opponere. Apollonides et Stratius, ut Graeci ex professo Romanis adversarentur, non probabant, verum si qui praecipites sese dare vellent et proditione salutis publicae privatam sibi Romanorum gratiam irent quaesitum, horum impediendos esse conatus et fortiter iis esse resistendum. Archoni placebat, ut temporum rationem haberent nec hostibus calumniandi darent occasionem, denique caverent, ne sua culpa idem infortunium incurrerent cum Nicandro, qui priusquam Romanorum potentiam esset expertus in maximas calamitates incidisset.[3] Eadem fuit sententia

3) Nempe statim ab illo proelio equestri, quo victi sunt Romani, abducti Romam sunt Nicander eiusque socii. Polyb. XXVIII,

et Polyaeni, Arcesilai, Aristonis et Xenonis. Propterea placuit, ut praeturam gentis statim peteret Archo (et fuit praetor a Maio mense 169 ad eundem mensem 168 a. Chr. haec est tertia Arconis praetura;), equitum vero praefecturam Polybius. (Polyb. XXVIII, 3. 6, 9. Liv. XLIII, 11.)

Haec quum ita nuperrime essent gesta et iam haberet constitutum Archo auxiliandum esse Romanis et eorum amicis, opportune evenit, ut Attalus, regis Eumenis frater, paratum offenderet, quando ipsum convenit. [4]) Itaque laetus Archo assentiri illi et ad impetranda, quae postulabat, suam operam ei polliceri. Missi deinde sunt ab Attalo legati ad proximum Achaeorum concilium. Qui ubi apud Achaeos verba fecissent de restituendis Eumeni honoribus rogassentque, ut in Attali gratiam hoc facerent, quae super eo multitudinis voluntas esset haud satis poterat cognosci, ad contradicendum vero multi multis de caussis surrexerunt. Nam qui auctores initio fuerant tollendorum Eumenis honorum, ii ratam manere suam sententiam volebant, alii suo privatim nomine regi offensi eius ulciscendi opportunum tempus nactos se putabant, quosdam impellebat invidia erga patronos huius caussae, ut omni studio contenderent, ne Attalus rem perficeret. Tandem surgit Archo, ut legatorum petitionem adiuvaret; res namque ipsa postulabat, ut praetor sententiam diceret. Is pauca locutus discedit veritus, ne quia magnis impensis magistratus ipsi constabat spe lucelli cuiusdam ductus id consilium dare videretur. In summa omnium perturbatione et consilii inopia surgit Polybius, qui longam orationem habuit multitudini praecipue gratam, qua de facto ab

4, 6. coll. XXVII, 13, 14. Quid ergo putamus facturos postquam victoriam reportaverint? Schweigh. l. c.

4) Attalus prius per literas et legatos percunctatus fuerat atque tentaverat animos Archonis et amicorum eius, qui erga se et fratrem Eumenem essent, quos quum propitios sibi intellexisset aperte rem coepit agere et legationem ad senatum populumque Achaeorum misit, qui restitutionem honorum Eumeni ereptorum postularent. Reisk. Cf. Polyb. XXVII, 15, 2. sqq.

Achaeis decreto super tollendis honoribus disserens esse in eo scriptum ostendebat, honores illos tollendos, qui essent indecori et contra leges, nequaquam vero omnes tollendos. Sed Sosigenem et Diopithem Rhodios,[5]) qui per id tempus iudicia exercebant, offensos privatis ex caussis Eumeni hanc arripuisse occasionem et omnes regis honores evertisse. Id vero fecisse illos contra Achaeorum decretum mandataeque sibi potestatis fines excessisse et quod praecipuum ius omne atque honestatem migrasse. Neque enim accepta aliqua iniuria irritatos statuisse Achaeos Eumeni honores detrahere, sed quod maiores ipse quam pro beneficiis suis in Achaeorum gentem collatis postulasset, ea re offensos decrevisse, ut quod modum excedebat detraheretur. Oportere igitur, aiebat Polybius, ut quemadmodum iudices illi potiore odii sui ratione habita quam decori et officii Achaeorum omnes simul honores everterant, ita Achaei officium suum atque honestatem omnibus rebus anteponentes culpam illorum iudicum et quidquid omnino priore contemtu in Eumenem peccatum esset id emendarent, quum praesertim non regem dumtaxat eo facto essent demerituri verum etiam fratrem quoque illius Attalum. Haec sententia multitudini quum placuisset factum est decretum, quo iubebantur magistratus omnia, quae ad Eumenis honorem spectabant, instaurare, nisi quid forte in iis esset, quod aut Achaeorum commune parum deceret aut legibus repugnaret. Ita igitur Attalus, quae temere in Peloponneso peccata fuerant circa Eumenis fratris honores, tunc temporis emendavit. (Polyb. XXVIII, 6. 7.)

Eodem tempore dicebatur Perseus Thessaliam cum exercitu venturus (cf. Liv. XLIV, 2. sqq.) et probabili ratione adducti homines credebant universo bello finem impositum iri. Visum igitur est Archoni rebus ipsis

---

5) Mirum sane videri debet, quo pacto homines Rhodii iudicum munere functi sint apud Achaeos; nisi hoc dixit, origine fuisse Rhodios, sed in civitatem ab aliquo populo Achaico adoptatos. Schweigh.

suspiciones et calumnias in Achaeos collatas iterum refutare. Idcirco auctor Achaeis fuit, ut decretum facerent de expeditione cum universae gentis copiis suscipienda versus Thessaliam, ut omnis fortunae periculum una cum Romanis adirent. Hoc facto decreto placuit Achaeis, ut conscribendi exercitus curam Archo susciperet et eorum omnium parandorum, quae expeditioni essent necessaria; ad consulem autem legati ut mitterentur in Thessaliam, qui de hoc Achaeorum decreto certiorem illum facerent et ab eo discerent, quando et quo loco ipsorum copias velit Romano exercitui se coniungere. Ac statim decrevere legatum Polybium et alios summoque studio Polybio mandarunt, ut, si placeat consuli, mitti exercitum, reliquos legatos extemplo mitteret id renunciaturos, ne serius quam oporteret ad illum copiae Achaicae venirent; interea vero prospiceret ipse, ut quascunque urbes in transitu aditurus esset exercitus in iis commeatus haberet quo ne militibus quidquam deesset. His mandatis acceptis Polybius ceterique abiere. Decreverunt insuper Achaei legatum Telocritum ad Attalum, qui decretum ei afferret, quo restituti erant Eumeni omnes honores. Per idem tempus quum fama esset allata Achaeis, celebrata fuisse in honorem Ptolemaei regis anacleteria, sicut est moris Aegypti regibus ubi ad legitimam regnandi aetatem pervenerunt, officii sui esse existimantes, ut suae ob id quod gestum erat laetitiae significationem darent, legatos decreverunt mittere ad renovandam amicitiam, quae genti Achaeorum erat cum Aegypti regibus. Statim igitur Alcithus et Pasidas sunt delecti.

At Polybius nactus Romanos ex Thessalia progressos et in Perrhaebia inter Azorium et Dolichen stativa habentes convenire quidem illos propter tempora periculorum ac laborum plena in praesentia omisit, certaminum vero omnium, quae in Macedoniae ingressu habita sunt, fuit particeps. Deinde ubi iam Heracleum usque exercitus pervenisset opportunum visum est tempus imperatoris conveniendi utpote quum videretur consul partem iam maximam susceptae expeditionis vel potius destinatorum

confecisse. (Cf. Liv. XLIV, 3. extr.) Tum igitur ut primum eius faciendi opportunitatem est nactus decretum Achaeorum Q. Marcio tradit et studium Achaeorum illi exponit, qui cum universis suis viribus certaminum ac periculorum omnium fieri participes decreverint. Ad haec ostendit, quomodo ad omnia, de quibus vel scripsissent, vel aliquod mandatum dedissent Romani, toto belli huius tempore obsequentes Achaei fuissent. Marcius eorum voluntate verbis magnificis laudata laboris et impensae gratiam Achaeis fecit, quod nihil iam opus esset amplius ad hoc bellum sociorum auxiliis. Igitur redeuntibus ceteris legatis in Achaiam Polybius in castris remanens rebus quae gerebantur interfuit, donec relatum est Marcio Appium Claudium Centhonem postulasse ab Achaeis, ut quinque millia militum in Epirum sibi mitterent. Tum enimvero Marcius Polybium redire iussit monuitque, curaret, ne ii milites Appio darentur neve gens Achaeorum impensas adeo graves frustra faceret, nullam enim caussam habere Appium cur auxiliarem illam manum posceret. Studiose erga Achaeos hoc ille fecerit, aut ut Appio facultatem res gerendi eriperet difficile dictu. Ceterum Polybius in Peloponnesum reversus postquam acceptae iam ex Epiro literae essent coacto non multo post Sicyonem Achaeorum concilio in quaestionem ac dubitationem penitus magnam incidit. Nam ubi de Centhonis postulatis haberi consultatio coepit, quae privatim a Marcio acceperat mandata nullo quidem modo negligendum putabat, at quum nullum haberet scriptum consulis mandatum palam recusare auxilia hoc vero apprime periculosum erat. In tam difficili et ancipiti deliberatione ad se expediendum usus est Polybius decreto illo senatus, quo erat cautum, ne ulla ratio eorum haberetur, quae a magistratibus Romanis scriberentur, nisi ex senatusconsulto id facerent. Quod quia literis Appii Centhonis non erat adiectum, tandem obtinuit Polybius, ut res ad consulem referretur et per illum Achaei impensa, quae centum et viginti talentorum summam superabat, liberarentur. At si quis de ipso detrahere apud Appium vellet, ei benignam materiam hoc

pacto suppeditavit, utpote qui inceptum illius de impetrandis auxiliis fregisset. (Polyb. XXVIII, 10. 11.)

Dum ea in Peloponneso apud Achaeos, a quibus divertit narratio, geruntur, Q. Marcius Cos. per Callipeucen saltum in Macedoniam ingressus in eum locum se coniicit, unde, si bellum gerere Perseus didicisset, reditus non erat. Sed ille in fugam praecipitem se dedit et vix demum resipuit quum castella Macedonum, quibus via per angustias in Thessaliam ferens intercludi posset, a Romanis expugnabantur. Neque vero ceteris opportunitatibus scienter usus est avaritia obcoecatus (Liv. XLIV, 26. init.), praesenti Illyriorum et Gallorum auxilio, item Eumenis et Rhodiorum, qui dudum animos a Romanis alienos haberent. (Liv. XLIV, 1—13.)

Iam in exitu annus erat et propter Macedonici maxime belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. Comitiis igitur primo quoque tempore habitis consules creati sunt L. Aemilius Paullus iterum, septimo decimo anno postquam primo consul fuerat, et C. Licinius Crassus, A. U. C. 586 = 168 a. Chr. (Liv. ibid. c. 17.)

Extemplo apparuit omnibus non segniter id bellum L. Aemilium gesturum; praeterquam quod alius vir erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quae ad id bellum pertinerent, animo agitabat. (Liv. ibid. c. 18. Plut. vit. Aemil. c. 2. Sext. Aurel. de vir. ill. 56. Zonar. II, 108. Diod. Excerpt. de virt. et vit. p. 581.) Et traditum est memoriae maiore quam solita frequentia prosequentium consulem celebratum ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore. (Liv. ibid. c. 22. extr.)

Paullus cum supplemento ad exercitum profectus veris principio (Liv. XLIV, 30. init.) partem copiarum per Cambunios montes in Macedoniae plana demittit, quo fit, ut Perseus munimentis ad Enipeum fluvium relictis Pydnam recedat. Sequitur Cos. et acie cum Macedonibus confligit, III. Non. Sept., vel ut Clinton dedit 22. Iunii die, quem Helvingius sequitur l. c. p. 242. Dodwellus

(Append. ad Praelect. Camden. p. 752. sqq. et Diss. 10. de Cyclis §. 18. et 21.) secundum computationes astronomicas pugnae huic assignavit posteriorem mensis Iunii partem anni Iuliani. Porphyrius eam refert ad annum 4. Ol. 152. cf. Euseb. I, 38. Quare Dodwellus pluribus Livii locis menses mutat emendatque, cf. XLIV, 37, 8. XLV, 1, 6. 2, 3. et 3, 2. ibid. Drakenb. Idem fieri debebat in Eutrop. IV, 4. Caesis aut dispersis peditibus rex cum omni equitatu effugit et desperans de salute cum paucis Amphipolin, inde Samothracen petit. Ibi deceptus a Cretense, qui eum ad Cotym Thraciae regulum transvehendum receperat, Cn. Octavio praefecto classis sese dedidit et ad consulem missus est. (Polyb. XXIX, 6. Liv. XLIV, 42. sqq. XLV, 9. Plut. vit. Aemil. c. 13. 21. Eutrop. IV, 4. Oros. IV, 20. Iustin. lib. XXXIII.) Macedonia intra paucos dies in potestatem Romanorum venit. Interea L. Anicius praetor celerius etiam bellum Illyricum confecit Scodra capta et Gentio rege dedito. (Liv. XLIV, 30—34.) Idem Epirotas, qui defecerant, in potestatem redegit.

Autumni fere tempus erat; cuius temporis initio circumeundam Graeciam visendaque, quae nobilitata fama magis auribus accepta sunt quam oculis noscuntur, ut statuit Paullus praeposito castris C. Sulpicio Gallo profectus ante adventum decem legatorum cum haud magno comitatu tegentibus latera Scipione filio et Athenaeo Eumenis regis fratre, per Thessaliam Delphos petit inclitum oraculum, ubi sacrificio Apollini facto inchoatas in vestibulo columnas, quibus impositiri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit. Lebadiae quoque templum Iovis Trophonii adiit. Ibi quum vidisset os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt sacrificio Iovi Hercynnaeque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Euripi descendit. A Chalcide Aulidem traiicit trium millium spatio distantem, portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniae classis, Dianaeque templum, ubi navibus cursum ad Troiam filia victima aris admota rex ille regum petiit. Inde

Oropum Atticae ventum est, ubi pro deo vates Amphilochus colitur templumque vetustum est fontibus rivisque circa amoenum. Athenas inde plenas quidem et ipsas vetustate famae multa tamen visenda habentes: arcem, portus, muros Piraeeum urbi iungentes, navalia magnorum imperatorum, simulacra deorum hominumque omni genere et materiae et artium insignia. Sacrificio Minervae praesidi arcis in urbe facto profectus Corinthum altero die pervenit. Urbs erat tunc praeclara ante excidium. Arx quoque et Isthmus praebuere spectaculum; arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus; Isthmus duo maria ab occasu et ortu solis finitima arctis faucibus dirimens. Sicyonem inde et Argos nobiles urbes adit; inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclitam Aesculapii nobili templo, quod quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quae remediorum salutarium aegri mercedem sacraverant deo. Inde Lacedaemonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem; unde per Megalopolin Olympiam ascendit. Ubi et alia quidem spectanda visa et Iovem velut praesentem intuens motus animo est. Itaque haud secus quam si in Capitolio immolaturus esset sacrificium amplius solito apparari iussit. Ita peragrata Graecia, ut nihil eorum, quae quisque Persei bello privatim aut publice sensisset, inquireret, ne cuius metu sollicitaret animos sociorum, Demetriadem revertit, inde omnibus aliis omissis Apolloniam pergit. (Liv. XLV, 17. 18. cf. Polyb. XXX, 15. Plut. Aemil. c. 28.)

Q. Aelio Paeto, M. Iunio Penno Coss. 587 U. C. = 167 a. Chr. ex sententia decem legatorum, quorum nomina Livius (XLV, 17.) offert, Macedonia in quattuor regiones divisa, quarum inter se connubia tolluntur, libera esse iubetur dimidiumque tributi solvere Romanis, quod regi debuerit. (Liv. ibid. c. 29. 30.) Aetoli deinde citati; in qua cognitione magis, utra pars Romanis, utra regi favisset, quaesitum est, quam utri fecissent iniuriam aut accepissent. Noxa liberati interfectores; exilium pulsis

aeque fatum fuit, ac mors interfectis. A. Baebius unus est damnatus, quod milites Romanos praebuisset ad ministerium caedis. Hic eventus Aetolorum caussae (cf. Iustin. XXXIII, 2. fin. XXXIV, 1. Paus. VII, 11, 1.) in omnibus Graeciae gentibus populisque eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos, et obnoxios pedibus eorum subiecit, quos aliqua parte suspicio favoris in regem contigerat. [6])

§. 99.

Tria genera principum in civitatibus Graeciae. Achaeorum concilia Corinthi et Sicyone.

Tria genera principum in civitatibus erant: duo, quae adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus; medium unum utrique generi adversum libertatem et leges tuebatur. His ut maior apud suos caritas, ita minor apud exteros gratia erat. (Liv. XLV, 31.) Idque hoc modo paulo accuratius exposuit Polybius (XXX, 6, 5. sqq.): Tria erant, inquit, genera eorum, qui bello Persico in suspicionem venerant. Primum illorum, qui aegre quidem tulerant rerum summam diiudicari imperiumque orbis terrarum uni genti addici; sed qui neque adiuverant Romanos neque ulla re eisdem erant adversati, sed quasi fortunae permiserant rei eventum. Alterum genus erat eorum, qui lubentes viderant de summa rerum decerni ac superiores Persei partes esse optaverant quidem, sed

6) Luculentissime profecto ex hoc loco non Livii solum, sed multo magis Polybii, quem Romanus scriptor in vernaculum vertit, integritas atque aequabilitas cognoscitur et quam sine partium studio historias suas condidit, quamquam Lucas eodem vituperandi studio abreptus ne haec quidem sine suspicione dici passus est. Verba eius haec sunt: Die Unparteilichkeit in dieser, gewiss doch aus Polybius entlehnten Stelle — wie auch das Folgende beweist — hat ihren Grund wohl auch darin, dass sie mit zur Vertheidigung dienen konnte. Dies scheint der Erfolg der Erzählung zu bewähren. (Luc. l. c. p. 136.)

cives suos ac populares in suam sententiam non potuerant pertrahere. Tertium genus eorum hominum erat, qui civitates suas ad Persei societatem auctoritate sua traduxerant.

Secundis rebus elati Romanorum partis eius fautores soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Nomina eorum haec recensentur: Callicratis, Andronidae, Aristodami, Agesiae, Philippi, aliorum (Polyb. XXX, 10. et 20.), sine dubio etiam Diophanis et Hyperbati (Polyb. XXVI, 1. XXIX, 8.), non videntur tamen hi calumniarum Callicratis participes fuisse, et melioris potius indolis notaeque viri, quod ipsum Diaei, fortasse Diophanis filii, fatis demonstratur, qui Romam obses deductus est. (Paus. VII, 12. VIII, 30. Polyb. XL, 4.) Civitatis vero societatisque libertatem tuendam curaverunt Lycortas, Polybius, Arcesilaus, Ariston Megalopolitani, Archon Aegirates, Apollonidas Sicyonius, Stratius Tritaeensis, Xenon Patrensis, alii. (Polyb. XXVIII, 6. coll. XXIX, 10. Paus. VII, 10. Xenonem Aegiensem praeterea legatum nominat Polyb. XXXII, 7. et XXXIII, 1.) Illi, quos priori loco posui, quum frequentes et ex Peloponneso et ex Boeotia et ex aliis Graeciae conciliis adessent, implevere aures decem legatorum: Non eos tantum, qui se propalam per vanitatem iactassent tanquam hospites et amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto favisse; reliquos per speciem tuendae libertatis in conciliis adversus Romanos omnia instruxisse; nec aliter eas mansuras in fide gentes nisi fractis animis partium aleretur confirmareturque auctoritas eorum, qui nihil praeter imperium Romanorum spectarent. (Liv. ibid. c. 31.) At vero in Achaia et apud Perrhaebos ac Thessalos, ut narrat Polybius (XXX, 7, 5—7.) multo plures ob quietem ac silentium accusabantur, quasi tempus captassent ac Perseo tacite favissent. Sed neque ullum eiusmodi sermonem in medium protulisse neque ad Perseum de ea re literas misisse deprehensi sunt, ut mox demonstrabitur, verum ab omni crimine integros se praestitere. Venerant autem tempore illo in Macedoniam ad concilium, ex Achaia

Callicrates, Aristodamus, Agesias, Philippus; e Boeotia Mnasippus; ex Acarnania Chremes; ex Epiro Charops et Nicias; ex Aetolia Lyciscus et Tisippus. (Polyb. XXX, 10, 3 — 5.) Ab his editis nominibus evocati literis imperatoris ex Aetolia Acarnaniaque et Epiro et Boeotia, qui Romam ad caussam dicendam sequerentur; in Achaiam ex decem legatorum numero profecti duo, C. Claudius et Cn. Domitius Ahenobarbus, ut ipsi eos ibi evocarent. Id duabus de caussis factum: una, quod fiduciae plus animorumque esse Achaeis ad non parendum credebant et forsitan etiam in periculo fore Callicratem et ceteros criminum auctores delatoresque; altera cur praesentes evocarent caussa erat, quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regiis habebant; in Achaeis caecum erat crimen, ut supra diximus, nullis eorum literis inventis. De his igitur aliquanto post literas et legatos consul misit (cf. Polyb. XXXII, 9, 5. Paus. VII, 10.), qui tamen, ut Polybio quidem videtur (XXX, 10, 11.), Lycisci et Callicratis calumnias non probabat, sed etiam postea rebus ipsis manifestum est factum. [1])

Partium vero illud studium non singulis solum hominibus verum universis etiam civitatibus perditissimum quasi intimum Achaiae malum quantum in dies ingrave-

1) Alia tamen est Schornii sententia l. c. p. 363. Not. 3. quam integram huc transcribimus: Polybius (30, 10.), inquit, welcher in Rom mit der Familie des Siegers bei Pydna in freundschaftliche Verbindung trat, sagt sogar, dieser habe die Niederträchtigkeiten, welche gegen die Griechen verübt wurden, im Herzen missbilligt. Wir lassen dieses dahin gestellt sein. So viel ist gewiss, dass Aemilius Paullus, sonst ein unbescholtener Mann, welcher nichts weniger als auf eigenen Vortheil bedacht war (Plut. Aemil. 28. Polyb. 32, 8. Liv. Epitom. 46.), doch dem Systeme des Senats huldigte und ebenso, wie dieser, zur Befestigung der Römischen Herrschaft in Griechenland für nöthig hielt, den freien Sinn der Bewohner auf jede Weise zu unterdrücken. Wenn er dasjenige, was er missbilligte, hintertreiben wollte, so stand es in seiner Macht. Aber er hat, so viel bekannt ist, nie versucht, dem gewaltthätigen Verfahren seiner Amtsgenossen Schranken zu setzen.

sceret maxime ex hac, quam inter Polybii reliquias legimus (lib. XXX, 8—10.), narratione perspicitur.

Quum ante exitum hiemis anni U. C. 586 = 168 a. Chr. ab utroque rege Ptolemaeo, Philometore et Evergete II, qui deinde Physcon cognominatus est, legatio de auxilio ferendo in Peloponnesum venisset, varia consultatum est et quidem aeri multorum contentione. Nam Callicrati quidem et Diophani et Hyperbato, qui se istis adiunxerat, opem ferri illis non placebat; Archoni vero et Lycortae et Polybio ex foederis legibus auxilium mittendum videbatur. Iam enim eo tempore iunior Ptolemaeus propter conditionem rerum ac temporum a multitudine rex fuerat renunciatus et una cum fratre maior regnabat Memphi reversus et regiae restitutus. Ac quia omnis generis auxiliis indigebant Eumenem et Dionysodorum legatos ad gentem Achaeorum miserant, qui pedites mille, equites ducentos peterent, ducem autem auxiliarium omnium copiarum Lycortam, equitum vero Polybium. Iidem ad Sicyonium Theodoridam scripserant rogantes, ut mercenarios milites conduceret ad mille. Habebant autem reges familiariorem quandam notitiam cum praedictis viris contractam ex illis rebus gestis, de quibus ante exposuimus. (Polyb. XXV, 7.) Post adventum legatorum quum Achaeorum conventus ageretur Corinthi atque illi veterem amicitiam, quam multis argumentis invicem fuerant testati, renovassent et afflictum regum statum ob oculos posuissent opem poscentes, erat quidem parata multitudo non parte aliqua copiarum, sed omnibus viribus, si opus esset, regibus ire suppetias. Sed huic sententiae adversari Callicrates et qui cum eo sentiebant. Dicebant enim cum in universum alienis negotiis esse abstinendum Achaeis, tum vero hoc potissimum tempore, quando ab omni alia cura liberi Romanis operam navare debeant. Nam tunc quum maxime opinio hominum erat totis viribus brevi certatum iri, utpote Q. Marcio in Macedonia hibernante.

Itaque quum scrupulus multitudini esset iniectus, ne Romanis defuisse aut parum in tempore affuisse viderentur, Lycortas et Polybius suscepto sermone dicere sunt

orsi cum alia multa afferentes in medium tum etiam quod superiori anno, quum esset factum ab Achaeis decretum de ferenda Romanis ope totis viribus gentis missusque in eam rem esset Polybius, Marcius laudata eorum voluntate auxilio sibi opus esse negasset, postquam superato saltu transgressus esset in Macedoniam. Sine caussa igitur Romanorum utilitatem praetexi ab iis, qui id agerent, ne auxilia regibus mittantur. Hortari ergo Achaeos, quibus periculi magnitudinem, in quo regnum illud versabatur, ostendebant, ne occasionem praetermitterent, sed pactorum et acceptorum beneficiorum inprimis vero iurisiurandi memores societatis leges servarent. Quum igitur rursus multitudo acclamasset, opem ferendam; tum vero Callicrates deliberationem illam fregit metu magistratibus iniecto, quasi leges potestatem ipsis non concederent in eiusmodi conventu de auxiliis deliberandi. (Cf. quae notavimus supra. Βουλὴ enim tantum convenerat, non omnes Achaei, quibus licuit conventibus interesse.) Paulo post vero concilio in urbem Sicyoniorum convocato, cui non magistratus solummodo intererant, verum etiam omnes triginta annis maiores: postquam multi sermones habiti essent et Polybius inprimis confirmasset, nullo Romanos auxilio habere opus, quod non temere dici ab illo videbatur, quia superiore anno apud Marcium Philippum in Macedonia fuerat: deinde quum adiecisset, si vel maxime auxiliis Achaeorum indigeant Romani propter equites ducentos, pedites mille, quos Alexandriam miserint, nihilo tamen difficilius Achaeis futurum auxilia Romanis submittere; nullo enim suo incommodo triginta vel etiam quadraginta bellatorum millia ducturos; movit Polybii oratio multitudinis animos eoque omnes inclinabant, ut regibus subsidia mitterentur. Postridie vero eius diei, quo die secundum leges oportebat, ut, qui sententias dixerant, decreta ad disceptandum proponerent: Lycortas [2]) huius-

2) Hic est extremus apud Polybium locus, ubi Lycortae faciat mentionem; fortasse hic vir patriae excidium non viderit. Statuas vero, collocatas in ipsius honorem ab Achaeis, Callicrates

modi decretum proposuit, auxilium esse mittendum; Callicrates vero huiusmodi, legatos oportere mitti ad pacem inter reges et Antiochum faciendam. De quibus quum iterum disceptari coepisset acri contentione res acta, sed in ea longe vincebat Lycortas. Etenim comparatione inter duo illa regna instituta magnum discrimen inveniebatur. Nam ad Syriacum quidem Antiochi quod attinet vix ullum alicuius necessitudinis, quae illi fuerit cum Graecis hominibus, argumentum afferri poterat ex superioribus quidem temporibus, nam eius, qui tum regnabat, magnus et liberalis animus Graecis satis erat notus. At regni Ptolemaici tot et tanta in Achaeos merita exstiterant, ut nihil supra. Quod argumentum Lycortas ita ut par erat verbis ornans magnificam regum illorum speciem animis hominum insinuabat; ipsa quippe comparatio res esse genere toto diversas arguebat. Ut enim regum Alexandriae beneficia percensere erat difficile, ita nullum omnino poterat inveniri ab Antiochi regno profectum, quo res Achaeorum notabili quadam ratione forent adiutae.

Andronidas vero et Callicrates aliquamdiu quidem persfiterunt in suscepta sententia suadenda de pace inter reges concilianda; sed quum ipsis nemo se adiungeret astu adversarios aggrediuntur. Inductus est enim in theatrum recta ab itinere tabellarius literas Q. Marcii afferens, quibus Achaeos hortabatur, ut Romanorum voluntatem secuti conciliare invicem reges conarentur. Nam senatus quoque legationem miserat, cuius princeps erat T. Numisius, ad pacificandum inter reges. (Cf. Liv. XLV, 17. et Schweigh. ad Polyb. T. VII. p. 667. sq.). Erat autem hoc ipsum contra illorum argumentum. Titus enim concitare reges non potuerat et re penitus infecta Romam erat reversus, 585 U. C. Tum vero Polybius respectu Marcii contradicere epistolae nolens urgere suam sententiam amplius noluit, atque ita evenit, ut auxiliorum, quae

---

quum summam apud Achaeos adeptus esset auctoritatem rescindi iussit, eaeque reversis demum ex Italia exulibus in patriam repositae sunt. Polyb. Fragm. ap. Lucht. p. 82.

petebant, spe reges exciderent. Decretum autem ab Achaeis factum est de mittendis legatis, qui pacem conciliarent. Ea legatio mandata est Archoni Aegiratae, Arcesilao et Aristoni Megalopolitanis. (Paus. VII, 10. Polyb. XXIX, 10. Hinc coniicimus, tum Callicratis factionem adhuc superiorem non fuisse; nemo enim horum legatorum ex eius asseclis erat.) Legati vero Ptolemaei, spe auxiliorum amissa, epistolam regum, quam paratam habebant, magistratibus tradiderunt, quibus petebant ab Achaeis, ut ad bellum, quod sustinebant, Lycortam et Polybium sibi mitterent.

Victores interim Romani in urbem reversi triumpharunt (anno 167 a. Chr.), Paullus Aemilius de Perseo, Cn. Octavius Kal. Decembribus de eodem rege navalem triumphum egit, L. Anicius Quirinalibus (i. e. XII. Kal. Martias anni 166 a. Chr.) de rege Gentio Illyriisque. (Liv. XLV, 35—44. Polyb. XXX, 13. Plut. Aemil. c. 32.) Talem habuit Alexandri magni regnum finem.

Caput duodecimum.

A Lycortae morte ad Corinthi excidium.

§. 100.

Mille Achaei Romam evocantur.

Afflicta Macedonum regia totque nobiles provinciae imperio adiectae quum potentiam Romanam omnibus iam regibus nationibusque formidabilem effecissent; nullum ferme regnum, nulla respublica fuit, quin mittendis Romam legatis victori gentium populo adularetur. Acuerat praeterea diligentiam quorundam non iniustus terror, ne poenae reposcerentur parum ex fide cultae societatis. Ad Achaeos autem, quibus ea tempestate ad res novandas neque animus, si ferret occasio, neque vires (at viri tamen; ex eo enim tempore, quo Lycortas vel mortuus esse vel evanuisse certe videtur, omnes melioris notae viri abduxerant se ab omni reipublicae cura, Polyb. XXX, 10.

Liv. XLV, 31.) deesse viderentur, duo Romanorum, uti supra diximus, venerant legati C. Claudius et Cn. Domitius Ahenobarbus. Eos omni obsequii et ad assentationem appositae orationis genere Callicrates circumvenire aggressus ex illis etiam unum (nisi potius utrumque credideris) ad iustitiam tuendam minime propensum in consilium produxit. Is frequentissimo Achaeorum conventu criminose queri coepit, a potentioribus pecunia et aliis studiorum significationibus contra Romanos Perseum adiutum, postulare ut capitalis rei damnarentur, se damnatis demum suo quemque nomine indicaturum. Id enimvero periniquum universae concioni videri, contendere, ut, quos diceret Perseo favisse, palam nominaret, ius omnino non esse quemquam condemnari, cuius nondum esset nomen delatum. Ibi Romanus quum ab omnibus eius postulatio coargueretur ex composito nominare non dubitavit omnes, qui praetores Achaeorum exercitus duxissent, et omnes affirmare eam noxam commisisse, quod scilicet Persei partes fovissent. Haec ille a Callicrate subornatus. Tunc Xenon non minimae inter Achaeos auctoritatis vir: Quod ad hoc, inquit, crimen attinet ipse etiam Achaeorum copiis praefui (aut anno 172, aut 171 a. Chr.), sed neque ulla unquam Romanos in re laesi, neque ulla mihi omnino fuit cum Perseo amicitia, atque huius quidem criminis vel in Achaeorum conventu, vel in ipso Romanorum senatu non dubitarim iudicium sustinere. Hoc a Xenone dictum ex innocentiae conscientia fidenter arripuit Romanus tanquam accommodatum fraudi suae consilium. Quare quotcunque in proditionis crimen Callicrates vocarat, eos omnes Romam ad caussam dicendam mitti imperat. Novum id fuit et inusitatum Graecis. Neque enim aut Philippus Amyntae filius, aut Alexander, qui Macedoniae regum longe potentissimi fuere, adversarios unquam suos e Graecia in Macedoniam disceptandi caussa mitti postularunt, sed facile passi sunt, quibus de rebus ambigeretur, ab Amphictionibus cognosci. At Romani tunc Achaeorum quemcunque, cuius modo nomen Callicrates detulisset, nocentem innocentemve Romam edicto suo deduci impe-

rarunt, A. U. C. 587 = 167 a. Chr. Fuerant qui deducti sunt plures quam mille, quos senatus, quasi Achaeorum praeiudicio damnatos, in publicas custodias per Hetruriae oppida diviserunt. Fabius vero et Scipio, L. Aemilii filii, gratia apud praetorem effecere, ut Polybius Romae maneret. (Polyb. XXXII, 9, 5. et Inscript. ap. Boeckh. Vol. I. N. 1543. unde apparet praetorem obsidibus Achaicis in Italia degentibus praefuisse quodammodo, qui quidem Polybio concesserit, ut Romae remaneret.) Eos autem, qui effugere conati sunt, aut ex ipso itinere antequam Romam perducerentur, vel ex iis, in quas relegati fuerant, urbibus, a fuga retractos nulla accepta excusatione capitali supplicio affecerunt. Ergo repetitis legationibus (prima vero missa iam anno 588 U. C. = 166 a. Chr.) ut caussa civium suorum cognosceretur aut si credere innocentes senatus quam reperire mallet patriae redderentur Achaei orabant. (Freinsh. Suppl. Liv. XLVI, 1. 7. Paus. VII, 10, 2. Iustin. XXXIV, 1. Polyb. excerpt. Vales. Diod. Exc. de virt. et vit. XXXI. 585. sq.) [1])

Quod ubi frustra fiebat vacuique in Peloponnesum legati revertebantur, tanta omnium indignatio in Callicratem et ceteros eiusdem sectae exarsit, ut non iam secretis odiis sed plane confessa simultate ab omnibus incesseren-

1) Tempus Romam deductorum principum Achaiae quo rectius constituatur haec adiiciam. Prusiae adventum Romam et Eumenis in Italiam diserte Livius (XLV, 44. et Epit. lib. XLVI.) ad eum annum refert, quo consulatum gesserunt M. Claudius Marcellus, C. Sulpicius Gallus, id est ad annum ab U. C. 588 = 166 a. Chr. eodemque anno reliquorum populorum, inter eos Achaeorum quoque, legati Romam venisse censendi sunt, Romanis de felici belli Persici exitu congratulaturi et pro civitatibus civibusque suis deprecaturi. Et quum iam anno 587 Achaeorum principes fuerint Romam evocati (cf. Schweigh. ad Polyb. XXX, 13, 1.) consentaneum est, populum Achaeorum non anno 589 demum Romam legatos misisse, qui pro suis popularibus deprecarentur. (Vid. Schweigh. ad Polyb. XXX, 16, 1. 20, 1.) Zumptius falso videtur Achaeorum principum in Italiam commigrationem ad A. U. 589 = 165 a. Chr. removisse in Annalib. p. 81.

tur eo usque, ut etiam a pueris e schola redeuntibus palam proditores appellarentur, neque in sacris Graecorum conventibus quisquam eorum cum laude mentionem facere posset, quin sibilis et tumultu vix credendo exciperetur. Estque tradita res non indigna memoratu, aliquando Sicyone quum inter Antigoniorum solemnia balneis publice instructis Callicrates et Andronidas usi fuissent, neminem in eadem solia postmodum voluisse descendere, nisi prius emissa priore aqua omni novaque infusa veluti expiata et lustrata viderentur. Tanta omnium offensio tantumque odium adversus illos homines gliscebat. (Polyb. XXX, 20. Freinsh. Liv. XLVI, 8.)

Sed Achaei quum aliud auxilium praeterquam in precibus nullum esset et harum vim maxime in perseverando positam crederent denuo legationem decernunt, quam Eureas et cum Anaxidamo Satyrus obierunt (A. U. 590 = 164 a. Chr. ut ex Schweighaeuseri Polybiana editione lib. XXXI, c. 6. et 8. discitur; ut vero Freinshemius res disposuit, anno superiore T. Manlio Torquato, Cn. Octavio Coss. A. U. 589 = 165 a. Chr. cf. Suppl. Liv. XLVI, 5. 9. 15.). Ii sub idem ferme tempus venere Romam, quo inter complures minorum gentium legatos a Rhodiis Astymedes et a rege Prusia Python quidam accesserat. Achaeorum ista legatio idcirco fuerat missa, ut patribus iterum confirmaret, neque in iudicio unquam auditos fuisse ab Achaeis eos, qui apud Romanos fuerant accusati, neque ullam adversus ipsos sententiam ab iis esse pronunciatam. Propterea postulare Achaeos ab senatu, ut cognosci de eorum hominum caussa iubeat neque indemnatos perire miseros patiatur. Quod si posset fieri maxime optare Achaeos, ut senatus ipse re inquisita, quinam ex his sontes sint, sua sententia declaret; sin hoc per alias occupationes non liceret negotium Achaeis ut permitterent, qui odium suum erga improbos in scelerum auctoribus sint palam facturi. In hanc sententiam, sicut mandatum fuerat, disserentes legatos quum audissent patres, qui superiori Achaeorum legationi tale dederant responsum: mirari senatum, quod ab ipso postularent Achaei, ut

caussam evocatorum cognosceret, quum illi iam ab ipsis popularibus suis, ab Achaeis, essent condemnati; [2]) incessit eorum animos dubitatio, quid esset opus facto, quoniam quidquid statuerent in reprehensionem erant incursuri. Nam ut iudicium de reis peragerent convenire sibi non arbitrabantur; sine iudicio autem eos dimittere cum manifesta pernicie eorum erat coniunctum, qui populi Romani sectam sequebantur. Itaque partim coacti patres partim spem omnem praecidere volentes populo Achaeorum de eorum salute, qui tenebantur captivi, ut omnes deinceps labia compescerent et iussis parerent, in Achaia quidem ad Callicratem, in aliis vero civitatibus ad eos, qui Romanae partis erant, huiusmodi responsum scripserunt: neque Romanis, neque vestris civibus profuturum existimamus, si homines isti suam quisque in patriam revertantur. Hoc responsum ubi vulgatum est non solum evocatos consternatio ingens subiit, ut plane animos desponderent, verum etiam communis veluti luctus Graecorum est secutus, quod videretur hoc responso miseris hominibus spes salutis in perpetuum esse praecisa. In Graeciam vero postquam nunciatum est idem responsum vulgo omnium deiecti sunt animi desperatione quadam mentes singulas invadente; at Charops (quem Freinshemius falso Charopum vocat) et Callicrates et quicunque eam sectam sequebantur nova iterum spe sunt elati. Pausanias brevi narratione ista perstringens haec scribit (Ach. c. 10. extr.): Alios deinde super alios ab Achaeis missos legatos et deprecatores nihili omnino fecerunt. Post septimum ac decimum demum annum (A. U. 604 = 150 a. Chr.) trecentos ferme viros atque eo etiam pauciores, qui ex omni Achaeorum numero reliqui erant in Italia, e custodiis dimiserunt satis iam eos poenarum dedisse rati.

---

2) Nempe quod a Callicrate aliisque id genus proditoribus Achaeorum et amicis adulatoribusque Romanorum erat factum, ut illos homines amicitiae cum Perseo convictos esse contenderent; id senatus Romanus simulavit decreto gentis Achaeorum factum esse, perinde ac si Achaeorum decreto fuissent condemnati.

§. 101.

C. Sulpicius Gallus Romanorum legatus.

Paulo post quum conspirationis adversus populum Romanum Eumenis cum Antiocho initae delationem vanam iam non esse crederet senatus placuit C. Sulpicium Gallum, senatorium virum, qui triennio ante consul fuerat et de Liguribus in magistratu triumpharat (588 U. C. = 166 a. Chr.) et M'. Sergium specie legationis ad consilia regum exploranda proficisci, T. Sempronio Graccho iterum, M'. Iuventio Thalna Coss., U. C. 591 = 163 a. Chr. (non ut falso 166 a. Chr. Helvingius l. c. p. 351.) Obtendebantur res Graeciae passim interna discordia dissidentis et controversiae Megalopolitanorum et Argivorum, qui cum Lacedaemoniis de agri parte disceptabant.[1]) In ea

---

1) Polybius XXXI, 9, 7. inter Megalopolitanos et Lacedaemonios, Pausanias vero VII, 11, 1. Spartanos inter et Argivos disceptationes de agris fuisse tradunt; hinc factum est, ut Freinshemius in Suppl. Liv. XLVI, 20. utrumque reciperet, ratus sine dubio utrumque vel eodem tempore accidisse vel alterum brevi tempore post alterum esse consecutum, eandemque rationem nos amplexi sumus. Manso in Sparta III, 1. p. 435. Pausaniae narrationem in textu conscribendo secutus in Nota c. Megalopolitanorum controversiae a Polybio commemoratae meminit, tanquam alio tempore motae. Helvingius porro l. c. p. 351. et ipse Pausaniam sequitur silentio prae celeritate scribendi, quam receptam habet, Polybii narrationem praetermittens. Schornius denique l. c. p. 377. Not. 1. utraque narratione commemorata, Mansonis notula silentio prae arrogantia vel ignorantia, qua laborare hic vir mihi visus est, pressa in Polybii sententiam abit hac simul addita caussa: Keiner der genannten Schriftsteller spricht von zwei Grenzklagen; folglich ist es am wahrscheinlichsten, dass von beiden eine und dieselbe Grenzstreitigkeit angedeutet wird. Ich folge aber dem Polybius, theils weil er ein besserer Gewährsmann ist, theils auch weil seit der Macedonischen Zeit Lacedämon und Megalopolis fast beständig Händel wegen der Grenzen hatten. Das erstere verlangte ohne Zweifel das ihm zuletzt entrissene Gebiet von Belmina zurück. Liv. XXXVIII, 34. Haec tamen omnia in coniectura sunt collocata.

legatione C. Sulpicium multa insolenter fecisse Graeci scriptores arguunt. Nam et cognitionem de finibus inter Argivos Spartanosque Philippo quondam, qui Alexandrum genuit, disceptatam ad Callicratem, tunc iterum praetorem Achaeorum (163 a. Chr. non 166 a. Chr. ut Bayerus computavit, qui Gallum anno 165 apud Sardes legatum de Eumene rege iudicium quam acerrime exercuisse et anno superiori in Achaia fuisse opinatur; sed tum erat consul), impurum invisumque toti Graeciae hominem reiecisse; et Aetolis a Pleurone, qui seiungi a concilio Achaico cupiebant, indulsisse, ut, suo nomine legatos Romam mitterent. Sane senatui placebat imminui potentiam Achaeorum spiritusque frangi; quapropter et Aetolis quod petierunt concessum est et C. Sulpicius occulto patrum mandato morem gerens alias quoque civitates, quae Achaicae formulae erant, ab eo foedere dissociare instituit. (Polyb. XXXI, 9. 7. Paus. VII, 11, 1. Freinsh. Suppl. Liv. XLVI, 20.)

Anno deinde 594 U. C. = 160 a. Chr. L. Anicio Gallo, M. Cornelio Cethego Coss. quo et mortuus est L. Aemilius Paullus nobilis ille Macedonum debellator, rursus venerunt Achaeorum legati Xeno et Telecles, ut impositas exulibus criminationes diluerent et pro Polybio maxime et Stratio deprecarentur. Nam ceterorum plurimos et praecipuos quosque longa dies iam absumserat. Venerant autem hi legati nudas preces pro mandatis afferentes, ne ulla in re voluntati aut iudicio senatus viderentur sese velle opponere. Sed quum in curiam essent ingressi et convenientem proposito suo orationem habuissent, ne sic quidem quidquam impetrarunt; nam contra decrevit senatus, nihil esse movendum. (Polyb. XXXII, 7, 14—17. sive Eclog. CXXII. quam omiserunt omnes quotquot inspexi recentiores.)

Anno insequenti 595 U. C. = 159 a. Chr. Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. (cf. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 63.) venerunt Romam legati ab Atheniensibus et ab Achaeis, Thearidas et Stephanus (cf. Polyb. XXXVIII, 2, 1.), vindiciarum caussa, quas

adversus Athenienses postulabant Delii. Nam Delii post acceptum a Romanis responsum, quo permissa Atheniensibus Delo cedere quidem illis insula iubebantur sed ita ut sua omnia asportarent, in Achaiam commigraverant et civium numero ab Achaeis adscripti voluerunt ibi ius repetere ab Atheniensibus ex pacto, quod convenerat Atheniensibus cum Achaeis. Quum vero dicerent Athenienses nihil ad Delios pertinere illam iuris formulam, postularent ab Achaeis Delii, ut sibi ab Atheniensibus pignora per vim capere liceret. De his rebus quum hi legati venissent responsum tulerunt rata habere senatum ea, quae in caussa Deliorum legitime ordinata essent ab Achaeis. (Polyb. XXXII, 17.)

§. 102.

Legationes crebrae. Multa Oropica. Exules tandem redeunt.

Iam ad tempus devenimus Graecis sane exoptatum, quo tempore praeter Callicratem Achaeorum libertatis proditorem perditissimum reliquarum Graeciae civitatum veluti hirudines forenses diem deprehenduntur obiisse supremum, civitatesque ipsae pristina concordia recuperata denuo effloruisse. Aetolicae enim res recte sunt compositae extincto apud eos civili bello post obitum Lycisci. Huius intestini inter Aetolos belli meminit Livius (XLV, 28.), ubi 550 principes Aetolorum ab Lycisco et Tisippo auxilio Romanorum militum captos et interfectos esse ait. Ceterum de Lycisco et aliis hominibus, quos commemorat Polybius XXXII, 21. iam egit XXX, 10, 3. sq. Similiter mortuo Mnasippo Coronaeo Boeotia in meliore statu erat. Itemque Acarnania sublato e vivis Chremata. Prorsus enim quaedam quasi lustratio atque expiatio contigit tunc universae Graeciae pestibus reipublicae e medio remotis. Namque et Charops ille Epirota hoc ipso anno (597 U. C. = 157 a. Chr. Sex. Iulio Caesare, L. Aurelio Oreste Coss.) Brundisii decessit. (Cf. de eo Polyb. XXX, 10, 4. 14, 7. XXXI, 8, 12.)

Rerum autem in Peloponneso status qui fuerit declarat Polybius (XXXIII, 1. 2.), ubi anni U. C. 599 = 155 a. Chr.

res composuit gestas. Tum enim aderant Romae Xeno Aegiensis et Telecles Aegeates vel potius Tegeates (cf. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 86.) ab Achaeis missi eorum caussa, qui captivi tenebantur. Ea legatione in senatu audita eaque re ad deliberandum proposita parum abfuit, quin patres reos absolverent, quod quominus fieret per Aulum Postumium Albinum praetorem (cuius praetura cadit in annum U. C. 599), qui senatum tunc per absentiam consulum habebat, stetit. Nam quum tres dictae sententiae essent, una eorum, qui dimittendos censebant, altera contrarium censentium, tertia eorum, quibus placebat absolvi quidem illos, sed in praesentia retineri; plerisque de absolutione consentientibus praetor una sententia praetermissa duas rogatione sua est complexus: qui evocatos sentitis dimittendos in hanc partem, qui alia omnia in illam partem abite. Tum vero qui retinendos in praesentia censuerant iis se adiunxerunt, qui absolvendos negabant, et ita eos, qui absolvendos censebant, numero vicerunt. Eo tum loco fuit istud negotium. (Freinsh. Suppl. Liv. XLVII, 27.)

Venerunt deinde rursus ab Achaeis legati animatis priorum relatione, qui proxime optatum finem adductum fuisse negotium narrabant. Telecles Megalopolitanus et Anaxidamus missi; sed et istorum diligentia nihilo felicior quam superiorum omnium fuit. (Polyb. XXXIII, 2. Freinsh. Suppl. Liv. XLVII, 29.)

Anno rursus 601 U. C. = 153 a. Chr. quum Achaeorum legati Romae in curiam venissent de iis, qui ex Achaia fuerant Romam evocati, visum patribus nihil movendum. (Polyb. XXXIII, 13. Freinsh. l. c. c. 43.)

Eodem quoque tempore Cretenses ad Achaeorum gentem misere legatos, in quibus erat Antiphates Telemnasti filius Gortynius, opem sibi ferri petentes. Miserunt et Rhodii Theophanem. Tunc temporis Achaeorum concilium Corinthi convenerat; ubi quum esset audita utraque legatio ad petenda auxilia missa in Rhodios plerarumque propensior voluntas fuit, quum partim splendor urbis et dignitas homines moveret partim civitatis illius instituta et ipsorum

civium mores. Quae quum animadverteret, Antiphates iterum venire in concionem voluit, atque ut permissu praetoris intravit orationem habuit gravem et seriam nec pro Cretensis hominis captu. Propterea Achaeis grata erat illius in dicendo libertas eo quidem impensius, quod pater eius Telemnastus tempore belli adversus Nabidem gesti auxiliaribus copiis quingentorum Cretensium adductis magno usui illis fuerat. Nihilominus tamen etiam post auditam huius orationem manebant in sententia plerique et opem Rhodiis ferendam esse censebant, donec surgeret Callicrates Leontesius, qui dixit non licere Achaeis absque Romanorum voluntate neque bellum cuiquam inferre neque auxilia ulli populo adversus quemcunque hostem submittere. Hac ille oratione pervicit, ne quid omnino moveretur. Id sane Achaeorum erga Romanos detexit obsequium libertati gentis haud conveniens sed pro tempore necessarium. (Polyb. XXXIII, 15. Freinsh. Suppl. Liv. XLVIII, 7.)

Biennio post, anno igitur 603 U. C. = 151 a. Chr. (Zumptius vero in Annalib. p. 81. ad a. U. C. 599 multam Oropicam retulit nescio qua ratione ductus), controversiae inter Athenienses et Oropios ortae Achaeos quoque tetigere. Athenienses enim egestate potius quam libera voluntate impulsi sociam civitatem Oropum quum diripuissent, nempe qui Macedonico bello rebus accisis Graecorum iam prope omnium essent egentissimi, Romanum senatum Oropii appellarunt. Qui quum iniuriam factam illis censuisset Sicyonios iussit ab Atheniensibus multam petere quanti scilicet illatam Oropiis iniuriam ipsi aestimassent. Sicyonii quum diem iudicii non obissent Athenienses multam illis talentum quingentorum irrogarunt. Recusantes eam pendere Athenienses legatos Carneadem Academicum, Diogenem Stoicum, Critolaum Peripateticum ad senatum Romanum miserunt, cuius decreto omnis ea multa ad centum duntaxat talenta redacta est, quod ipsum etiam non est persolutum. Quin Oropios tum promissis tum muneribus delinitos adduxerunt Athenienses, ut obsidibus datis praesidium intra oppidum acciperent,

ea tamen lege, ut si novae factae essent ab Atheniensibus iniuriae, et praesidium, quod imposuissent, ultro deducerent et obsides redderent. Non ita multo post a praesidiariis in oppidanos iniuriae factae. Quocirca legatis expostulatum Athenas missis contendebant Oropii, ut ex pacto convento et praesidium deduceretur et obsides redderentur. Verum non esse publicas illas populi iniurias Athenienses responderunt, sed paucorum qui in praesidio illo fuissent, et illos quam commeruissent poenam suscepturos. At Oropii Achaeorum auxilium implorarunt. Quod quum illi ferendum non censerent amicitiam, quae sibi cum Atheniensibus intercedebat, veriti Menalcidae homini Spartano quidem, sed qui tunc copiis Achaeorum imperabat (et praetor erat a Maio 150 ad Maium 149 a. Chr.), X talenta se daturos pollicentur, si Achaeorum sibi auxilium praesto ut esset effecisset. Menalcidas quum intelligeret magnas esse propter Romanorum amicitiam inter Achaeos Callicratis opes cum illo aequa parte pretium communicat. Porro coniunctis studiis efficiunt, ut Oropiis adversus Athenienses auxilium decernatur. Id quum rescissent Athenienses quanta maxime potuerunt celeritate Oropum adorti praedae superioris reliquiis, si quae forte supererant, asportatis praesidium deducunt. Achaeis quum serius quam oportuerat auxilium misissent persuadent Menalcidas et Callicrates, ut Atticam terram hostiliter invadant. Verum quum et ex aliis Graeciae partibus et e Lacedaemone ad hostem repellendum auxilia convenissent exercitum Achaei suum domum reportarunt. Ab Oropiis certe, etsi nulla ex parte ad eorum salutem quidquam profecerat Achaeorum societas, promissum tamen Menalcidas pretium exegit. Quo ille accepto alienum omnino rationibus suis putavit quaestus participem Callicratem facere. Quare hominem primum exspectationibus eludere, mox dolo circumvenire, postremo aperte etiam fraudare. Hominem enim omnium nequissimum Callicratem perfidia facile qui superaret Menalcidas est inventus. Callicrates uti homo erat, quum gratis habere se susceptas cum Atheniensibus inimicitias permoleste ferret Menalcidam

iam abeuntem magistratu capitis apud Achaeos arcessivit, crimini dabat legatione apud Romanos contra Achaeos functum atque operam enixe dedisse, ut Spartanos ab Achaeis deduceret. Ibi Menalcidas quum se in fortunarum discrimen deductum videret Diaeo homini Megalopolitano successori suo (a Maio 149 ad Maium 148) ex Oropica illa pecunia talenta elargitur tria. Hoc ille devinctus munere invitissimis fere Achaeis omnibus Menalcidam capitis periculo exemit. (Paus. VII, 11, 2. 3. 12, 1. Freinsh. Suppl. Liv. XLVII, 24. LI, 28. 29. et loc. ibi cit. Plut. Cat. Mai. c. 22.)

Eodem tempore (a. U. C. 604 = 150 a. Chr.)[1]) principes Achaeorum longo exilio absoluti post septimum decimum quam evocati fuerant annum minus trecenti rediere; ceteros (supra mille initio fuerant) partim morbus, alios quum evadere ex custodia tentavissent, ut supra diximus, poena absumserat. Dimissos in Polybii maxime gratiam annitente P. Scipione constat, cui et antea et postea vir ille ob virtutem et egregias artes fuit gratissimus. (Polyb. XXXV, 6. Freinsh. Suppl. Liv. XLIX, 3. Plut. Cat. Mai. c. 16. et loc. apud Freinsh. cit.) Quum vero reditus eis in patriam esset decretus paucis interiectis diebus Polybius iterum senatum adire paravit petiturus, ut iidem

1) Decimo septimo anno, ex quo Romam evocati erant principes Achaeorum restitutos eos a Romanis in patriam esse rediisseque trecentos fere, qui superstites tunc erant, Pausanias docet VII, 10. extr. Ab anno 587 vel potius 588, quo Romam sunt deportati (Polyb. XXX, 10, 11.), annus decimus septimus est annus ab U. C. 603 vel 604. Quum igitur Scipione intercedente reditus Achaeis a Catone sit effectus, neque alius facile is Scipio quam Aemilianus intelligi possit, oportet factum hoc esse anno 604, quia anno 603 Luculli legatus in Hispania fuerat Scipio. Illius expeditionis laude clarus quum Romam rediisset Catonem adiit et ab eo impetravit, ut Achaeis reditum perficeret. Diserte Plutarchus in Apophthegm. p. 199. scribit παρακληθεὶς ὑπὸ Σκηπίωνος Ἀφρικανοῦ. Ibid. διὰ Πολύβιον recte Xylander Polybii caussa interpretatus est. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 131.

honores, quos olim gessissent in Achaia, eis restituerentur, et Catonis quae de ea re sententia esset, expiscatus est. Tum Cato subridens ait, Polybium ad instar Ulyssis redire in speluncam Cyclopis velle pileum et cingulum petiturum, quorum ibi esset oblitus. Videntur tamen omnia ex Polybii votis esse constituta.

§. 103.

Achaeorum quinque postremi praetores.

Iuvabit hoc loco notasse seriem atque consecutionem praetorum Achaeorum, qualem his posterioribus temporibus fuisse reperimus.

Scilicet Menalcidas Spartanus praetor fuit Achaeorum a Maio mense 150 ad eundem mensem 149 a. Chr. Huic successit Diaeus a Maio mense 149 a. Chr. usque ad Maium 148 a. Chr. Diaeum excepit Damocritus eodem anno, ut diserte Pausanias (VII, 13, 1.) docet, quo Metellus in Macedoniam praetor est missus, i. e. A. U. 606 = 148 a. Chr. (Cf. Liv. Epit. lib. L. Iul. Obsequens in prodigiis. Sp. Postumio, L. Pisone Coss. Olympionicon synagoge ad primum annum Ol. 158 praetorem rem gessisse Velleius Paterculus, immo alii omnes produnt.) Damocritus igitur praetor fuit a Maio mense 148 a. Chr. Damocrito in ipsa praetura proditionis damnato successit rursus Diaeus teste Pausania, quod factum intelligi debet ex eadem lege, quam Polybius XL, 2, 1. commemoravit. Fuit igitur Diaeus iterum praetor ad Maium mensem 147 a. Chr. Electus deinde in insequentem annum (147—146 ad Maium mensem) Critolaus, ad quem praetorem legati venere Romani, qui concilium gentis sibi ut daretur postularunt. Critolaus eos reiecit ad sextum mensem et statum gentis concilium sub auctumno. Venerunt igitur legati sub ipsis auspiciis praeturae. Inde Critolaus conventum Achaeorum Corinthi indixit, ubi bellum esse gerendum cum Romanis decretum est. Q. Caecilius Metellus pro praetore Macedoniam tenebat. Critolao in magistratu mortuo rursus suffectus est Diaeus. (Polyb. XL, 2, 1. sq.) Denique vernis comitiis 146 a. Chr. denuo a populo praetor

creatus est idem Diaeus, cuius sub praetura quarta Corinthus est excisa et eversum Achaicum foedus. Mutuo enim sese omnes illae praeturae, quas produximus e Pausania, exceperunt. (Cf. Bayer. l. c. p. 330. sqq. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 171. et 173.) Manso (l. c. III, 2. p. 278. sq.), qui unamquamque harum quinque extremarum praeturarum uno anno priorem ponendam esse contendit, quum sententiam suam nullis stabiliverit argumentis, assensum non tulit nostrum.

§. 104.

Simultates inter Achaeos et Spartanos.

Verum his obiter quasi per excursum commemoratis nunc in viam redimus, ex qua narratio nostra divertit.

Iam si populos diu felices ad interitum vocat humana omnia rotans rerum instabilitas talibus omnino opus est ducibus, quales Gulussa et Hasdrubal tertio Punico bello fuere Carthagine. Verum ne Graecis quidem (nam et horum maturescebat exitium) meliores aut sapientiores eodem tempore principes fuere. Nam et ab his bellum Achaicum hoc anno (U. C. 604 = 150 a. Chr.) accensum est, quo totius Graeciae libertas deflagravit. Caussae illius ab iniuriis et avaritia Atheniensium ortae; quas deinde civitatum aliarum variis ambagibus implicati principes maiore vecordia exceperunt auxeruntque.

Diaeus enim Menalcidam quum capitis periculo exemisset eaque res ipsi publice ac privatim magno esset probro, homo vafer avertendae invidiae caussa ad maiorum negotiorum cogitationes et secundarum rerum spem Achaeorum animos erigit. Lacedaemonii suas de finibus agrorum controversias ad Romanum senatum detulerant, senatus omnia omnium rerum praeterquam capitis iudicia ad Achaeorum conventum reiecerat.[1] At Diaeus gratioso

---

1) Freinshemius in Suppl. Liv. LI, 29, 4. ista hoc modo expressit: Senatus eos ad concilium Achaeorum reiecerat, ut omnibus in caussis ipsius iudicio uterentur, sola excepta capitalium rerum

mendacio multitudinis animos mulcens, iudicio Achaeorum capitis etiam crimina permissa comminiscitur. Et Achaei quidem quum ei fidem habuissent de Spartanorum capitalibus caussis iudicia facere aggressi sunt. Recusabant Lacedaemonii et mendacii Diaeum arguentes rursus Romanum senatum ea de re se per legatos consulturos aiebant. At Achaei hoc ipsum arripere et in crimen vocare quum dicerent, earum urbium, quae secum facerent, nullam omnino sui esse iuris aut posse earum aliquam privatim sine publico universi concilii decreto Romam legatos mittere. Ex his concertationibus belli caussae inter Achaeos et Lacedaemonios exstitere.

---

cognitione. Ad quem locum Manso in Sparta III, 1. p. 437. Not. haec adnotavit: Freinsheim scheint den Pausanias so zu verstehn, als ob die Spartaner sich *damals* wegen Grenzstreitigkeiten nach Rom gewendet und die Antwort erhalten hätten, sie wären in allen Rechtsfällen, die peinlichen ausgenommen, den Achäern unterworfen; aber dieser Ausspruch war ihnen bekanntlich *viel früher* ertheilt worden; ac Diaeum quidem Manso putat illud in Achaeorum concilio egisse, ut Spartanorum res capitales quoque coram Achaicis iudicibus cognoscerentur, quum haec antea Romani senatus voluntate excepta fuissent. At non videtur accurate vir doctus scriptorum locos sententiasque intellexisse. Spartanos enim post Sulpicii Galli e Graecia discessum novas de finibus ad senatum detulisse querelas concludimus e Paus. VII, 12. coll. VII, 11. Neque iniusta erat Diaei rogatio de rebus Spartanorum capitalibus apud Achaeos diiudicandis; Spartani enim ipsi controversiarum fuerant auctores, qui, licet senatus liberare eos voluerit ab his iudiciis Philopoemene adhuc vivo, liberati tamen non erant. Paus. VII, 9. Menalcidas igitur Spartanus ab Achaeis capitis est damnatus. Et quum post Messeniorum defectionem Lacedaemonii Achaeorum societati adscriberentur sine ulla hoc factum est praerogativa; easque societatis conditiones Romani ratas esse voluerunt. Polyb. XXV, 1. sq. Illud igitur Diaeus quum Spartani a Romanis excitati sese ab Achaeorum iudiciis capitalibus liberare voluerunt, provocavit, minime vero senatus sententiam, ut narrat Pausanias, perverse interpretari conatus est, sed in iure potius perstitit Diaeus. Cf. Schorn. l. c. p. 384. Not.

Satis intelligebant Spartani multo se esse Achaeis opibus inferiores. Quare dimissis per urbes, quae Achaicae ditionis erant, ad ipsum etiam Diaeum privatim legatis bellum deprecabantur. A civitatibus responsum tulere, quum iam praetor suus ut iuventutem armatam educerent denunciarit oportere se dicto audientes esse; praetor ipse Diaeus non Spartae aiebat se, sed iis, qui eius civitatis otium turbarent, bellum illaturum. Ac rogantibus senioribus, quotnam esse putaret otii et tranquillitatis hostes, optimatum ille viginti quattuor nomina edidit. In ea rerum trepidatione probata est Agasisthenis sententia, hominis clari etiam prius et honorati, sed ad cuius laudes ex hoc ipso civibus suis dato consilio magnus accessit cumulus. Persuasit illis ipsis primoribus, quos Diaeus Achaeis dedi postularet, ut voluntario exilio belli in patriam suam conflati incendium restinguerent, futurum enim, ut, si Romam confugerent, primo quoque tempore a Romanis restituerentur. Quum itaque exilii caussa solum vertissent per speciem a Spartanis in iudicium vocati sunt et capitis damnati. Miserunt et Achaei Romam Callicratem et Diaeum, qui in senatu contra Spartanos exules caussam dicerent; et Callicrates quidem quum Rhodum (ingeniosa vero Goldhageni coniectura pro κατὰ τὴν Ῥόδον dat κατὰ τὴν ὁδόν, quam tanquam suam venditat Helvingius l. c. p. 354. Not.) divertisset ibi morbo interiit, nec scio fueritne, si Romam pervenisset, emolumenti aliquid Achaeis allaturus, an nova inter illos maiorum malorum semina sparsurus. Diaeus vero et Menalcidas a Spartanis missus ubi Romam pervenerunt quum multa ultro citroque per altercationem contumeliosius inter se iactata dixissent audissentque postremo respondit senatus, legatos in Graeciam venturos, qui de quibus inter se dissiderent Lacedaemonii et Achaei rebus cognoscerent. Legati ex urbe otiosius iter fecerunt; quocirca tantum interfuit spatii, ut interea Achaeos Diaeus, Menalcidas Spartanos dolo circumvenire potuerint. Ille Achaeis persuasit Romanorum decreto Spartanos in Achaeorum officio ac potestate fore. Lacedaemonios in eam facile sententiam adduxit Menal-

cidas, ut crederent a concilio se iam Achaeorum seiunctum iri.

Hae controversiae in caussa fuere, ut renunciato novo iam praetore Damocrito (a. U. C. 606 = 148 a. Chr.) Achaei denuo contra Lacedaemonios arma caperent. Eodem ferme tempore Metellus praetor populi Romani exercitum in Macedoniam transportavit.[2]) Bellum enim ei

---

2) Factum hoc videtur esse exeunte anno U. C. 605, vel potius ineunte 606. Andriscus vero ille sive Pseudophilippus iam anno 604 exeunte quum Roma profugisset regnum Macedoniae occuparat placuitque senatui legationem mitti, quae in nascente adhuc et nondum confirmato malo daret operam, ut motus iste lenibus remediis, docendo meliora, spemque veniae deceptis ostendendo consideret. Nemo visus ad haec P. Scipione Nasica melior, neque cui ad homines blande cogendos plus existimationis et facundiae et dexteritatis esset. Idem neque bellicae laudis inops, si res armis eguissent, haec quoque paraturus auctoritate, recturus prudentia credebatur. Scipio simulatque Graeciam attigit et quo in statu res Macedonum Thessalorumque forent certis auctoribus cognovit perscriptis his omnibus diligenter ad senatum ipse sociorum adiit concilia, copias, quibus Thessaliam tutaretur, contrahens. *Promtissima et maxima ab Achaeis auxilia venere, qui tum adhuc plurimum inter Graecos viribus valebant.* Romae interea perlatis lectisque Nasicae literis compertoque maiores opinione tumultus in Macedonia esse, P. Iuventio Thalnae praetori negotium datum est A. U. C. 605, ut primo quoque tempore conscripto exercitu ad liberandam Macedoniam proficisceretur. Quo demum victo et occiso Q. Caecilius Metellus praetor, quem Pausanias falso consulem facit, initio A. U. C. 606 in Macedoniam missus est. (Liv. Epit. lib. XLIX. Freinsh. Suppl. Liv. XLIX, 59. L, 2. sq.) Metellus vero legatos ad Damocritum non misit, ut Freinshemio in Livii Supplementis LI, 30. videbatur, iam victo Andrisco dum res Macedoniae componebat, sed potius quum in eo esset, ut bello Andriscum persequeretur initio anni 606 U. C. = 148 a. Chr. De Andrisco vel Pseudophilippo cf. Polyb. Fragm. ap. Lucht. 79. sq. Liv. epit. 48. sqq. Zonar. II, 114. Diod. Excerpt. de virt. et vit. 590. sq. App. de reb. Pun. VIII, 111. Eutrop. IV, 6. Flor. II, 14. Liv. XLII, 52. Plut. Aemil. c. 37. Victus est Andriscus eodem anno, quo

decretum fuerat contra Andriscum Persei filium novas in Romanos res molientem. Ac Macedonicum quidem bellum facile prosperos ex Romanorum sententia successus erat inventurum; Metellus autem iis, quos miserat senatus in Asiam cum imperio, persuasit, ut priusquam transmitterent cum ducibus Achaeorum congressi edicerent, ne bellum contra Lacedaemonios susciperent, atque ut omnino exspectarent legatos eos, qui a senatu mitterentur, arbitri inter Achaeos et Lacedaemonios futuri. Mandata illi quidem ad Damocritum et Achaeos detulerunt quum iam illi contra Lacedaemonios exercitum ducerent; quare quum nihil sane se ulla oratione contra Achaeorum pervicaciam profecturos intelligerent in Asiam perrexerunt. Ipsi quoque Lacedaemonii animi elatione magis quam viribus subnisi cum suis copiis hosti occurrerunt satis illi quidem habituri suos si fines defendere possent. Proelio dehinc superati quum circiter mille et aetate et viribus florentes milites occubuissent intra moenia se reliqui effusissima fuga recepere. Quod si hostem persequi maturasset Damocritus eodem tempore Achaei, quo fugientes Lacedaemonii, apertis introrumpere potuissent portis; verum ille et tunc canere iussit receptui et exinde se ab urbe obsidenda ad excursiones et agri populationes convertit. Is reportato domum exercitu maiestatis damnatus est multa quinquaginta talentum irrogata. Eam quum unde solveret non haberet clanculum e Peloponneso aufugit.

In Damocriti locum praetor renunciatus est iterum Achaeorum suffragiis Diaeus (eodem anno 606 = 148 a. Chr.). Ad eum quum legatos rursus misisset Metellus res ita convenit, induciae ut inter Achaeos et Spartanos essent usquedum adessent, qui disceptandi caussa a Ro-

bellum geri coeptum est Ol. 157, 4. Porphyrio auctore. Cf. Euseb. Armen. Vers. I, 38. Macedonia tamen non erat pacata, quum duo novi existerent homines, qui affectarent regnum, quorum alterum Metellus, L. Tremellius Quaestor alterum vicit. Zonar. II, 115. Liv. Epit. 53. Eutrop. IV, 7.

manis missi fuerant. Callidum interea aggreditur Achaicus praetor facinus. Oppida omnia, quae in orbem Spartae finitima erant, variis artibus ad Achaeorum amicitiam pellicit et ea praesidiis firmat, ut unde erumperent quove se reciperent contra Spartanos castella haberent Achaei. Decreverunt et Lacedaemonii imperium Menalcidae, qui etsi Lacedaemonios ad extremam tum reliquarum copiarum tum vero pecuniae inopiam redactos intelligebat, praesertim vero quum neque coli neque seri ager potuisset educto tamen violata induciarum fide exercitu Iasum oppidum, quod intra Laconiae fines erat, sed ad Achaeorum ditionem pertinebat, subito impetu captum diripit. Menalcidas conflato rursum inter Lacedaemonios et Achaeos bello, quum se partim civium criminationibus expositum videret, partim nullam eis a se in praesenti periculo afferri salutem posse animadverteret epoto pharmaco ipsi sibi mortem conscivit. Hunc Menalcidas vitae exitum habuit, vir ut in Lacedaemoniorum imperio minime omnium prudens, sic dum Achaeorum rebus praefuit singulari perfidia.

§. 105.

Aurelius Orestes, Sext. Iulius Caesar Romanorum ad Achaeos legati.

Tandem in Graeciam pervenere ex Urbe disceptatores, quorum princeps Aurelius Orestes fuit. Hic magistratibus Achaicarum urbium et praetore Diaeo Corinthum evocatis ita locutus fertur: Nihil antiquius senatui populoque Romano et fuisse et esse, quam ut sociorum res, quas magnopere ad suam curam pertinere arbitratur, florentes quietaeque sint, si quis in dubium vocare vellet, vos ante omnes aequitatis humanitatisque nostrae testes producerem, Achaei. Vos enim Philippi Antiochique bellis T. Quinctio reliquisque nostris imperatoribus ob ea quae ex voluntate populi Romani beneficia vobis tribuerunt saepe et in senatu egistis gratias et illorum pariter nominisque Romani honoris caussa plurima atque honestissima decreta fecistis. Neque nos adhuc pristini in vos animi propositique poenitet, quin eadem illa atque etiam

si sit occasio maiora lubentes volentesque concedamus, sed a vobis interdum ea consilia suscipiuntur, quae ad turbandam Graeciae pacem et si verum auditis ad periculum vestrum pertinent. Frustra regibus Macedoniae Syriaeque depulsis Graeciam liberavimus, si foedius illam intestinis motibus opprimi patimur, quam si externa dominatione premeretur. Ecquando mutuorum inter consanguineos populos certaminum odiorumque finis erit? Quanta cum Messeniis bella gessistis, quanta cum Spartanis. Atque adeo nuper quum Macedoniam Andriscus rapuisset et licet sub falso nomine vetus gentis potentia resurgeret, vos neque veterum periculorum memores nec adversus futura providi iuventutem viresque finitimorum bellis atterebatis. Quibus ut tandem aliquis statuatur modus neque nimia licentia in insanabile vulnus ruatis senatui placet, neque Lacedaemonem Achaicae formulae censeri neque ipsam Corinthum. Sed et Argos et Heracleam, quae sub Oeta est, item ex Arcadicis urbibus Orchomenum et universim urbes, quae sub Philippo fuissent, eximi oportere; neque enim has aut generis Achaici aut antiquitus in eodem foedere fuisse censet. Haec erant, quae senatus verbis nunciaremus. Reliqua nostra erit benevolo magis consilio utilis, quam speciosa verbis oratio. Senatui sic de vobis merito morem geri non modo iustum honestumque arbitramur, sed etiam utilitatis vestrae interesse; nam ut suas quaeque civitas leges suaque iura habeat, id non magis singulis, quam universae genti expedire neutiquam obscurum est. Tot diversas civitates, ut ad tempus certo foedere coire posse non negaverim, sic in unum reipublicae corpus cogi ita temperatis legibus, ut in tam impari potentia per omnium ius sit, id vero nec evenire facile, nec, ubi evenerit, diuturnum esse potest. Citius inter flammam et aquas concordiam effeceris, quam ut pares aemulatione, potentiores cupidine, infirmi metu careant; neque adversus haec consilium et ratio valet et quae sunt a natura humano generi insita, ea legibus frustra coerceas. Sed ubi res ipsa clamat supervacua omnis est oratio; si quidem ea formulae vestrae vis esset,

ut per hanc tranquilla beataque republica frui possetis; caussam non dicerem, quam ut eo in statu maneretis, cuius adhuc vestrum poenituisset neminem, sed ubi alii cogunt invitos ad easdem leges, alii perire quam cogi malunt; quae aut inter dissentientes societas, aut in commune felicitas esse potest? Nisi tanto iam tempore multis experimentis constitisset, non eadem omnibus Peloponnesi urbibus placere; rogari a reliquis urbibus debeatis, ut reciperetis in formulam, non vero restitantes repugnantesque vi compellere. Quapropter oro vos, Achaei, quum semper optastis quietem vobis, pacem Graeciae retinete; unaquaeque civitas ex suo commodo rem suam publicam constituere optime novit. Multas inter sese ita convenire, ut loco, moribus, voluntate et qui subnasci quotidie possunt necopinatis casibus nunquam dissideant, optari potius, quam obtineri potest. Si suis quique finibus contenti domi leges, foris pacem habeant, omnes ex aequo liberi, omnes beati agent. Quae oborientur controversiae aut non exibunt in arma, aut intra parva et propemodum innoxia bella consistent, vicinorumque consiliis et auctoritate nostra facile tollentur. Quid porro vobis opus est iungendis per tot incommoda in unum opibus, quibus hoc rerum statu nulla potentia est opus? Neque enim vos crediderim, quamvis ea de re secretus sermo ortus est, adversus Romanos bellum meditari, iam intestina bella perniciosa vobis sunt; adversus externa, quemadmodum contra Philippum Antiochumque defensi estis, virtute atque fide Romana defendemini. (Paus. VII, 12, 2 — 14, 2. Freinsh. Suppl. Liv. LI, 28 — 37. Polyb. XXXVIII, 1. Iustin. XXXIV, 1.)

Hunc sermonem ne audire quidem sustinentes Achaeorum principes adhuc loquente Romano prosiliunt ex diversorio Orestis conciliumque ex praesentibus repente cogunt. Multitudo cognitis, quae senatus praecepisset, velut furore acta repente in Spartanos eos, qui forte Corinthi erant, impetum fecit, ac corripuit quemcunque vel certo nosset, vel ex tonsura, calceatura, veste aut nomine Lacedaemonium esse suspicaretur, quosdam etiam,

qui se in Orestis diversorium fuga iam proripuerant, etiam inde summa vi extrahere nitebantur, multum obtestante Oreste, ea facta ad iniuriam senatus populique Romani pertinere. Sed parum apud tumultuantem multitudinem monita prudentium aut futuri cura valet, tantumque abfuerunt a defendendis aliis legati, ut ipsi quoque ad extremum fuga sibi consulere cogerentur.

Qui quum Romam e Peloponneso rediissent et quae sibi accidissent renunciassent, quam prope esset factum, ut et vitae et omnium rerum periculum adirent, atque eam rem ipsi verborum inusitata atrocitate auxissent; neque enim sic illa narrabant, ut casu in tantum periculum incidisse videri possent, sed quasi certo consilio eos invasissent Achaei, ut exemplum in ipsos statuerent; indignari senatus ut si unquam alias et statim legationem decernere, cuius princeps Sext. Iulius Caesar fuit, A. U. C. 607 = 147 a. Chr. Ii legati cum huiusmodi mandatis missi sunt, ut leniter ac moderate increparent Achaeos et de iniuria accepta cum iis expostularent, magis tamen ut eos cohortarentur, ne pessimorum consiliorum auctoribus aures praeberent, neve alienari se a populi Romani amicitia per imprudentiam sinerent, esse autem adhuc tempus emendandi, quod peccatum fuisset, si auctores sceleris culpam praestare cogerent. Ex quibus constare etiam liquido potuit unicuique, ne illa quidem mandata, quae Aurelio data fuerant, eo spectasse, ut gentis Achaeorum distraheretur concilium, sed ut pavore terroreque iniecto pervicaciam et odium Romani nominis castigarent. Erant quidem igitur, qui existimarent, simulate haec agi a Romanis, quod Carthaginiensi bello finis nondum esset impositus. Sed nimirum is tum erat urbis Punicae status, ut parvum omnino momentum in consiliis Romanorum facere posset, praesertim pacatis omnibus aliis et magna civium Romanorum frequentia, quorum tum in tabulas publicas relata sunt trecenta viginti duo millia a L. Cornelio Lentulo Lupo, L. Marcio Censorino censoribus, quod lustrum sextum et quinquagesimum Romae fuit. Sed aliter omnino res Achaeorum habuit. Nam quia

Achaeorum gentem dudum in amicitiam suam receperant Romani plusque in ea fidei esse credebant, quam in ullo alio Graeciae populo, terrere quidem eos decreverant, quod spiritus supra quam par esset attollerent, bellum vero suscipere aut omnino amicitiam cum illis prorsus rumpere nullo modo volebant.[1])

Sextus Iulius Caesar Roma in Peloponnesum tendens in Thearidam (Polybii) vel Theridam (Pausaniae) ceterosque legatos incidit, quos Achaei miserant, ut de Aurelio, qui in legatione sua fuerat foedo facinore violatus, rationem senatui redderent et rei veritatem ipsum docerent. Cum his locutus Sextus auctor suasorque iis extitit in Achaiam revertendi, sibi enim esse datum negotium, ut de his omnibus cum Achaeis ageret. Iam Diaeus imperii sui tempus expleverat, in eius locum successerat Critolaus (Maio mense 147 a. Chr. = 607 U. C.). Caesar vero postquam in Peloponnesum venit cum Achaeis in Aegiensium urbe colloquium habuit. Et quum esset eius oratio prolixa humanitate temperata nullamque de scelere in legatos admisso faceret mentionem, ut ne excusatione quidem ulla propemodum opus esse videretur, sed clementius, quam ipsi Achaei, illud factum interpretaretur, hortaretur denique eos, ut neque Romanos neque Lacedaemonios iniuriis lacessere amplius vellent; saniori quidem Achaeorum parti gratissimi erant huiusmodi sermones; terrebat enim optimum quemque admissi facinoris conscientia iamque ob oculos illis erant omnia mala, quae populi Romani hostibus evenire solent. At vulgus homi-

---

1) Helvingii de his sententia haec est (l. c. p. 356.): Mit welchen Beschönigungen auch der Senat sein Verfahren in den Augen Befangener gerechtfertigt haben mochte, so begreift doch der ruhige Beobachter nicht, wie Polybius, der Roms Wesen und Art in der Nähe kennen gelernt hatte, so verblendet sein konnte, jene Massregel als ein wohlgemeintes Schreckmittel ohne Absichtlichkeit anzusehn, wie ihm entgehn konnte, dass nur der noch nicht beendigte Kampf mit Karthago die Ursache war, weshalb das wankende Gebäude jetzt noch nicht völlig gestürzt wurde. Vulgarem hanc opinionem iam Freinshemius refutavit.

num etsi quid opponeret iustissimae Sexti orationi habebat nihil ac propterea silebat, nihilominus tamen aegram mentem et corruptam servabat. Diaeus vero et Critolaus et quicunque alii eiusdem cum istis consilii participes erant, qui ex omnibus civitatibus quasi de industria delecti fuerant pessimus quisque et diis exosus, pestes suae gentis; hi igitur non solum quae dextra dabantur a Romanis, ut est in proverbio, laeva accipiebant manu, sed plane, ut verbo expediam, delirabant. Existimabant enim universi Romanos propter bella, quae in Africa atque Hispania gerebant, metu Achaeorum, ne et hi arma in ipsos sumerent, quidvis pati et quidvis dicere paratos esse. Idcirco suum hoc tempus esse rati legatis quidem benigne respondent: velle se nihilominus Thearidam legatum Romam ad senatum mittere; ipsi interim Tegeam irent et cum Lacedaemoniis agerent, ut de consensu omnium finis aliquis huic bello imponatur. Hoc dato responso miseram gentem in societatem destinatae pridem malitiae suae deinceps trahunt. Neque hoc sane mirum quum et rerum omnium rudes et pravi homines essent, qui ad gubernacula publicae rei tunc sedebant.

Ultima vero pernicies hoc modo est consummata. Quum Tegeam profectus esset Sextus et Lacedaemonios eo accivisset, ut communi consensu statuerent cum de satisfactione pro acceptis iniuriis tum de cessatione belli, donec mitterentur a Romanis, qui de summa rerum statuerent; interim consultans Critolaus cum suis faciendum decrevit, ut ceteri quidem ad indictum coetum non venirent, sed solus Critolaus Tegeam se conferret. Eo igitur ille postquam Sextus omnem prope iam spem eius adventus amiserat pervenit. Ubi vero coeptum est de controversiis disputari cum Lacedaemoniis, nihil remittens Critolaus dixit absque populi consensu de nulla re statuere se posse, ceterum omnia se ad Achaeos proximo conventu (is post sex menses erat celebrandus) relaturum. Igitur Sextus satis intelligens Critolaum data potestate de industria uti nolle iniquo animo quod acciderat ferens Lacedaemoniis domum suam dimissis in Italiam est reversus.

hoc de Critolao iudicium referens et pravi ingenii hominem esse et plane furiosum.

§. 106.

Achaei adversus Romanos concitantur.

Critolaus autem post huius discessum civitates omnes per hiemem circumiens populum ubique in concionem vocare, in speciem quidem, ut quae acta cum Lacedaemoniis essent et cum iis, qui Tegeam convenerant, exponeret, re autem vera, ut Romanos accusaret omnia illorum dicta in deterius interpretans. Qua ratione efficiebat, ut vulgi turba ubique inimicitias atque odium ingens Romani nominis conciperet. Simul cum magistratibus egit, ut exigendi nomina ius ne esset creditoribus, neve ducentem sequi aeris alieni gratia necesse esset ad belli finem usque debitorum solutione dilata. His igitur artibus delinita plebes quidquid ille diceret pro certo habere, quidquid imperaret velle exsequi. Quippe multitudo futuri improvida praesenti beneficio et levamento inescabatur.

Tum vero Q. Caecilius Metellus Macedoniae praeses cognito quam pravis consiliis quamque perturbate res in Peloponneso administrarentur Cn. Papirium et iuniorem quendam virum[1]) legatos misit et una cum his Aulum

---

1) Caecilius Metellus per id tempus bellum in Macedonia victo Andrisco composuit, de quo Liv. lib. L. egit. Iuniorem vero illum, *καὶ τὸν νεώτερον*, Ursinus emendavit ex corruptis verbis *ἄλλωνα μαῖνον* in *καὶ τὸν νεώτερον Σκιπίωνα Ἀφρικανόν*, idque recepit in textum suum Helvingius l. c. p. 358. Sed iam Reiskius dubitabat de Scipione Africano, qui tum in Graecia non fuerit, sed in Celtiberis. At Schweighaeuserus ad Polyb. T. VIII. p. 154. sq. non quidem in Celtiberis, inquit, ut Reiskius ait, at sane non in Graecia, sed vel in Africa tunc versabatur Scipio bello Punico intentus, vel Romae, ubi aedilitatem petens consul est a populo creatus et ad conficiendum bellum Punicum missus. Vide Polyb. XXXVII, 3. XXXIX, 2. sq. et Appianum in Punicis. Quare utique alienum prorsus videri debet illud Ursini inventum precario prorsus sumtum et mirum quantum a codicis scriptura discedens de Scipione Africano Me-

Gabinium et C. Fannium. Hi quum Achaeorum concilium Corinthi celebraretur forte ipsi eodem tempore illuc adveniunt productique ad populum singulari humanitate conditos sermones habent, iis plane geminos, quibus ante Sextus fuerat usus, summo studio impedire contendentes, ne Achaei vel propter discordias, quae illis erant cum Lacedaemoniis, vel propter alienatam mentem ab ipsius populi Romani amicitia odium illius penitus susciperent. Haec quum audiret multitudo non se continuit, sed legatos subsannans cum tumultu ac clamore concione eiecit. Tanta enim hominum in officinis degere adsuetorum et sordidas artes exercentium turba convenerat, quanta vix temere alias, et quum omnes tunc civitates stultitia, quasi populari quodam morbo, tenerentur, Corinthiorum tamen prae ceteris publica extitit amentia insignita. Pauci quidam fuere, quibus legatorum oratio apprime placebat.

---

telli legato Macedoniae propraetoris, quamquam et Casaubonus cum in Graecis tum in Latina versione Ursinum est secutus, et doctus editor Historiae Universalis ex Anglico sermone in Germanicum conversae, Sigism. Iacob. Baumgarten Tom. V. Adnotat. 104. speciem aliquam veri, sed admodum illam debilem et temporum rationi repugnantem conciliare eidem coniecturae studuit. (Cf. Vales. Adnot. ad Polyb. XL, 10, 2. et Testimonia Veterum de vita Polybii a Schweigh. collecta T. V. p. 11. num. VI, 3. p. 12. num. VII, 2. quae nos supra exposuimus.) Iam Freinshemii ratio, qui in Livii Supplementis lib. LI, c. 60. et 65. (cf. Polyb. XXXVIII, 5, 9) pro Scipione Africano, Ursini auctoritate invecto Aelium Lamiam iuniorem nominat, aliquantulo quidem propius abit illa a vestigiis manuscripti codicis, sed ceteroquin nihil habet, quo commendetur. Neque enim usquam alibi in horum temporum historia Aelii alicuius Lamiae, nedum duorum mentio occurrit, quorum alter maior, minor alter fuisset appellatus, et omnino docuit Pighius in Annalib. Roman. T. III. p. 104. ante annum fere ab U. C. 535 Lamiarum cognomen atque familiam in Aelia gente nusquam memorari. Quare quidnam sani lateat sub illo monstro ex inscitia et socordia librariorum prognato adhuc disceptandum viris doctis relinquitur. Nobis quidem studiose omnia dispicientibus nihil non modo certum, sed ne probabile quidem occurrit, ac vere-

At Critolaus exoptatam occasionem nactus et concionem etiam pariter secum furentem et alienatam mente adversus magistratus coepit insurgere, calumniari quicumque a se in republica dissentirent licenterque insultare Romanorum legatis dicens, socios quidem habere se velle Romanos, dominos non passurum. Quousque, inquit, verba nobis dari patiemur, Achaei? aut quem modum finemque impudentissimi mortales opprimendae libertatis vestrae statuent? Proximis annis quum rempublicam nostram contemtui, foedera ludibrio haberi, principes nostros ad caussam dicendam, quasi captivos in externas oras trahi, alia etiam relatu indigna pateremur; Callicrates et pauci alii incusabantur, hi in ore atque odio omnium erant, absque his si foret retineri dignitatem publicam, vitari servitutem posse putabamus. Quid igitur factum est? quieverunt post illorum fata iniuriae, simulque cum illis pericula

---

mur, ne desperandum sit de medicina foedo ulceri invenienda, nisi ex meliore codice, si quis alicubi ad hunc diem superest, lux aliqua affulserit. Haec omnia ignoravit Helvingius. Schornius l. c. p. 393. saltu quasi ingreditur: Vier edle Römer, von Metellus geschickt, scribens, tanquam omnia in aperto essent posita. Baumgartenii vero, cuius meminit Schweighaeuserus, coniectura haec est: Diese ansehnliche Gesandschaft ist zwar zu Rom verordnet, doch nur als in Metelli Namen abgeschickt worden, welchem der Rath die Erörterung und Beilegung dieser Händel aufgetragen. Wenn die vom Fulv. Ursino aufgenommene und bestätigte Lesart der Ueberbleibsel Polybii von Gesandsch. c. 144. ihre Richtigkeit hat, dass der zweite Abgeordnete, der allhier Aelius Lamia heisst, der jüngere Scipio Africanus gewesen; so ist aus der oben gemeldeten Rede Critolai begreiflich, warum die Römer eben diesen glücklichen Feldherrn nach Achajam geschickt, auch alsdann um so viel unstreitiger, dass Polybius dem Achäischen Kriege und der Zerstörung von Korinth beigewohnt, welches Strabo B. 8. S. 584. ausdrücklich versichert, und mehr Glauben verdient, als Orosius, der B. 5. c. 3. das Gegentheil behauptet; zumal da aus dem Auszug Livii B. 51. u. 52. deutlich erhellet, dass der Afrikanische Krieg völlig vorbei gewesen, ehe der Achäische angegangen; womit Polybii Ueberbls. von Tug. S. 1481. zu vergleichen sind.

nostra extincta sunt? an vero multos pro uno Callicrates nacti, postquam ille periit, perniciosius etiam, quam donec salvus esset, laboramus? Scilicet haec nostra culpa fiunt, Achaei, qui iuris a maioribus traditi parum memores, quos affici poenis oportebat, honoribus atque magistratibus extollimus eorumque in hominum manus tradimus rempublicam, in quibus illa si fuisset, modis omnibus ad recuperandam illam liberandamque erat connitendum. Sunt adhuc deorum beneficio, qui commune Achaeorum iusta cura prosequantur, qui antiquiorem divitiis fidem habeant et patriae caritatem obiectare se periculis non dubitent, quorum equidem rationem haberi oportebat. Sed si tantum a veteri virtute descivimus, ut vel nullos eiusmodi viros reperiamus vel repertis nolimus uti, ponamus illos liberae opulentaeque gentis indebitos nobis spiritus et saltem eorum, quibus servituri sumus, gratiam occupemus sponte nos imperiis offerendo; nam si quo coepimus ire pergimus sub inani libertatis umbra proditione paucorum ignari invitique vendimur, ut vilissimorum mancipiorum instar ne heris quidem continuo sed communium herorum servis famulemur. Lubenter equidem in hoc negotio mentione Romani nominis abstinerem, sed quia illud semper in ore habent, quorum opera libertas nostra perit, dissimulare non possum iam olim cordatos apud nos viros mirari, cur hanc invidiam aut immeriti ferant Romani aut meriti ferantur a vobis? Etenim potentiam utrorumque iusta aestimatione metior, sed ipsi quoque vidimus non semper pro modo virium belli fata dispensari et interdum magnis apparatibus plus valere modicos, ubi concordia adsit et morti quam servituti promtior animus. Sed de futuris viderint dii! ego quemadmodum minime lacessendos esse Romanos arbitror, ita (dicendum enim semel est) amicos pati possum, dominos non possum; vobis autem, siquidem viri futuri estis, socios non defore scitote, sin semiviri, dominos.

His atque similibus multis stimulare Critolaus ferocitatem amentis plebeculae non desinebat. Quoque fortius omnes permoveret interiiciebat voces, quibus non temere

ad haec consilia ferri, sed esse sibi regum, esse civitatum aliarum conscientiam et fore auxilia significabat. Quum ad haec seniores coercere hominis intemperantiam vellent et ab huiusmodi deterrere sermonibus ille quum iussisset milites, quorum manu septus erat, a se discedere, ut quicunque vellet ad se libere accedere posset (quam Reiskii interpretationem probavit etiam Schweighaeuserus ad Polyb. T. VIII. p. 158.), ultro minabatur malum, si quis accedere ad sese prehendere aut omnino chlamydem attingere auderet. Tandem quum furiata mente regere se plane non posset, Atqui, inquit, nimis iam diu sileo, ne quod in rem communem est edam; neque enim vel Lacedaemonii nobis, vel Romani, aeque cavendi sunt, quam ex nostris civibus, qui potius illorum voluntati, quam patriae utilitatibus serviunt. Quoque fidem dictis faceret, Evagoram Aegiensem et ex Tritaea Strategium, vel potius Stratium, quidquid in consilio magistratuum secreto tractaretur, id eos insimulat Cn. Papirio prodere.

Quum ad haec Stratius sibi quidem cum Papirio aliisque Romanorum colloquia fuisse et futura tanquam Achaeorum sociis amicisque diceret, quidquam autem arcani protulisse cum iureiurando infitiaretur, potior apud corruptam multitudinem criminantis auctoritas quam defendentis innocentia fuit. Qua inclinatione animorum abusus Critolaus perfecit, ut decretum fieret de bello cum Lacedaemoniis persequendo; quo ipso arma adversum Romanos sumi quamquam dissimulata eorum mentione obscurum nemini erat. Atque sic quidem modis omnibus, ut ingenti malo patriam mactaret, laborabat. Legati autem Romanorum Cn. Papirius Athenas, inde Spartam profectus est, ad observandas temporum opportunitates; alter vero, quem supra iuniorem diximus, alii Aulum Gabinium, Freinshemius Aelium Lamiam, Baumgartenius P. Scipionem Africanum esse opinantur, Naupactum; dum reliqui duo Metellum, quem affuturum esse non dubitabant, Athenis praestolantur. Ea tum in Peloponneso rerum facies erat. (Polyb. XXXVIII, 1—5. Paus. VII, 14, 2—4. Iust. XXXIV, 1. Freinsh. Suppl. Liv. LI, 28. 29. 56 — 65.)

Dum Critolaus inter Achaeos omnia turbat miscetque, Thebis altera fax rerum novarum Pytheas Boeotarchus haud remissiore impetu cives suos in bellum Romanum impellebat. Is adolescentia turpiter transducta mox etiam in republica per audaciam atque avaritiam multa designabat in perniciem civitatis eruptura. Sed ubi Metellus, cui negotium hoc senatus dederat, pecuniam ut Phocensibus penderent Thebanis imperarat, quod in eorum fines armati excurrerant, alteram item multam Euboensibus, quod agrum eorundem populationibus evastassent, tertiam Amphissensibus debere Thebanos pronunciarat, quod eorum sub messis tempus frumenta desecuissent; ibi Pytheas exulceratos molesto imperio animos adeptus prius exstimulare non destitit quam professis contra Romanos odiis ad arma cum Achaeis coniungenda incitaret. Trahuntur in societatem Chalcidenses. Tam infirmis subnisus amicitiis in Romanos sumere bellum Critolaus audet, ne ulla quidem in eventum sequiorem sibi excusatione relicta. Quippe impingere et vinci etiam post consilia non inepte capta humanum est et fortunae solet imputari, at audacia cum imbecillitate non infortunium sed amentia recte vocatur. Itaque non difficilior Romanis victoria fuit, quam in tanta hostium stultitia oportuit.

§. 107.

Bellum Achaicum.

Interim Romani ex legatorum oratione et Metelli literis edocti quae egissent Achaei bello eorum iniurias persequendas censuerant. Creatus iam consul fuerat (sine dubio anno adhuc U. C. 607 = 147 a. Chr.) L. Mummius et ei ad bellum Achaicum classis, pedestres et equestres copiae decretae.

Metellus igitur accepto de successore (anno iam 608 U. C. = 146 a. Chr.) nuncio omni studio contendebat bello finem imponere, ne Mummius eius ipse gloriae compos fieret. Per nuncios itaque Achaeis edicit, ut Lacedaemonios et alias omnes civitates, quaecunque dictae erant a Romanis, ab Achaici consessus officio discedere aequo

animo ferrent, id si facere non recusassent, pristinae in Romanos contumaciae veniam pollicebatur. (Paus. VII, 15, 1. Haec est altera Metelli de pace cum Achaeis facienda actio, diversa ab ea, cuius mentionem Polybius facit XXXVIII, 4. Cf. etiam Schorn. p. 396. Not.) Verum ut pondus legatorum suorum verbis adderet eodem fere tempore, quo profecti illi erant, et ipse exercitum e Macedonia (cf. Siebel. ad Paus. VII, 15, 1.) per Thessaliam praeter Lamiacum (vel Maliacum, ut Valckenarius cum Sylburgio maluit) sinum instituit ducere. Critolaus tantum abfuit, ut ullam orationem, quae ad concordiam spectaret, admitteret, ut adiutus etiam Boeoticis auxiliis Heracleam in Thessaliae finibus sitam urbem et Achaeis contribui recusantem circumsessam magnis copiis tenere ausus fuerit. Sed adventu Metelli cognito Sperchiumque fluvium ab eo superatum ex insana illa ferocia subito in tantum pavorem incidit, ut neque eodem loco exspectare hostem, neque saltem in angustiis ad Thermopylas auderet consistere, unde contra ingentes Persarum Gallorumque copias Graeci magna olim virtute magnaque gloria dimicaverant. Ad Scarphaeam Locridis urbem itinere fugae simillimo contendens non tamen attingere illam potuit, quin a Metello, qui festinanter insecutus fuerat, pugnare cogeretur. Magnam ibi caedem fuisse non ambigitur: circiter mille vivi capti. Critolaus post res perditas iudicii sui errore primum agnito, ut se praesentibus malis exsolveret, venenum in fuga bibit. (Liv. Epit. 52.) Apud Pausaniam neque vivus, neque mortuus repertus esse post pugnam traditur, quum ad montis Oetae radices fugam urgeret in locis paludosis et profundis subsidisse creditus. Ex cetera multitudine mille Arcades, delecta iuvenum manus, Elateam Phocidis urbem concessit et ab Elatensibus pro veteris amicitiae iure hospitaliter excepta est. Sed fama proelii ad Scarphaeam vulgata metuentes iram Romanorum Phocenses excedere finibus suis Arcadas iubent. Hos reditum per Boeotiam tentantes haud procul Chaeronea Metellus delevit. Sic divinitus scelere suo dignas dedisse poenas videri possunt eo potissimum

loco a Romanis oppressi, quo Graecos cum Philippo Macedonum rege acie dimicantes deseruerant. (Paus. VII, 15. Vell. I, 11. Zonar. II, 117.)

Haec rerum a Metello contra Achaeos gestarum proxima vero videtur esse narratio; neque enim aut de numero proeliorum, aut de loco similia apud scriptores traduntur. Achaeorum ad Thermopylas viginti millia, iterum in Phocensibus septem occisa millia Claudius (ap. Oros. V, 3. Liv. Epit. 52.) refert. In Achaia Florus (II, 16.) Orosiusque (V, 3.) et Elidis campis pugnatum produnt;[1]) etiam de duce Achaeorum ambiguum Valerius Antias facit, qui cum Diaeo pugnasse Metellum (si tamen fidi sunt codices) scripsit. At Polybius (XL, 3. et 6.), qui res domesticas ignorare non potuit, cum plerisque omnibus Critolaum nominat; neque dubium habetur eo demum sublato imperium ad Diaeum revertisse. Hoc enim iure Achaei utebantur, ut ubi praetor fatis concessisset, qui proxime praetor fuisset, is magistratum usque ad tempus comitiorum gereret.

Igitur Diaeus belli, cuius primus auctor ipse fuerat, administratione suscepta[2]) praesidium Megara misit ad hominum millia quattuor, Alcamene duce, qui videlicet irrumpentem Metellum repellerent, quem modo cum florentissimo exercitu praetor Achaeorum Critolaus sustinere nequiverat. Ipse Argos profectus indeque quod Miltiades ante pugnam Marathoniam fecerat imitatus literas ad

---

1) Florum refutavit Bayerus l. c. Orosius vero Achaiam generaliori significatu pro universa Hellade vel Graecia accepisse videtur, ex usu, qui apud Romanos post confectum Macedonicum bellum Achaicumque obtinuit. Certe de clade ad Thermopylas Critolao duce accepta Livius cum Pausania consentit. Cf. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 170.

2) Ceterum extremum tempus praeturae Critolai (quod tempus complevit Diaeus Critolao suffectus) incidit in initium anni consularis Romani 608 = 146 a. Chr. Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coss. qui consules pro more inde ab A. U. 601 recepto (vide Interprett. Livii ad Epit. lib. XLVII.) Kalendis Ianuariis magistratum inierunt. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 170. sq.

omnes Achaiae civitates dedit, ut ex vernis ad millia duodecim manumissi cum armis Corinthum mitterentur; quibus vernae ad numerum non essent ex aliis mancipiis supplere permissum. Ea quoque descriptio inaequaliter et magis ut praetori placuerat quam ex opibus civitatum impetrata. Quod etiam ob bella Lacedaemonia in magna difficultate pecuniariae rei versabatur respublica opulentiores quoque viros matronasque privatim aurum argentumque conferre coegit. Simul omnes, qui aetate militari essent, Corinthum armatos convenire iussit. Proinde per omnes passim civitates iustitium ac tumultus et desperatio animorum erat. Cunctique eos, qui in bello ceciderant, beatos praedicantes horum, qui proficiscebantur, vicem dolebant, et quasi eventum animo praesagientes universi in gemitus effundebantur. Porro motus servorum et neglectum herilis imperii moleste ferebant, quum alios recens manumissos viderent reliquos vero eadem spe libertatis arrectos atque inflatos. Interim simul viri quidem opes omnes suas conferre inviti adigebantur; matres autem familias demtum sibi ac liberis suis ornatum quasi de industria in pestem ac perniciem suam conferebant.

Quae quum simul omnia fierent horror eorum, quae quotidie singulatim accidebant, sensum ac cogitationem de ipsa rerum summa hominibus adimebat; qua quidem cogitatione facile prospicere potuissent sese omnes cum uxoribus ac liberis in perniciem certissimam praecipites trahi. Itaque quasi torrentis cuiusdam impetu abrepti et violenter impulsi ductoris dementiam ac vesaniam sequebantur. Prae ceteris Eleorum, Messeniorumque et Patrensium flebilis erat conditio. Illi metu torquebantur, ne ad mare obiectis regionibus primum consulis Mummii cum classe venientis impetum excipere cogerentur. Patrenses vero cum iis, qui eadem formula censebantur, paulo antea in Phocide cladem erant passi, eratque eorum casus omnium Peloponnesiorum maxime miserabilis; alii enim desperato consilio mortem sibi consciscebant, alii e patria fugientes temere vagabantur quo tenderent incerti metu eorum, quae in civitatibus gerebantur. Hi abibant sese

invicem in manus hostium tradituri tanquam Romanorum partibus adversatos, illi deferebant accusabantque proximos quum eiusmodi operam nemo tum ab iis requireret, alii velamenta supplicum praetendentes foedus abs se violatum esse ultro fatebantur et quaenam poena sese maneret ipsi interrogabant, quamquam nemo erat, qui adhuc aut exigeret delationem, aut quaestionem exerceret. Iamque hominibus quasi malo carmine incantatis plena coeperunt esse omnia eorum, qui se in puteos ac per scopulos praecipitabant; prorsus ut hostis etiam, quod proverbio dicitur, casum qui tunc fuit Graeciae miseratus fuisset. Nam superiori quidem memoria Graeci clades subinde erant experti, nonnunquam etiam funditus collapsi erant sive ob mutuas inter se de republica dissensiones sive regum perfidia decepti. Sed his temporibus, de quibus loquimur, ex ducum temeritate suaque ipsorum amentia maximis calamitatibus conflictati sunt.

Neque alia rerum apud Thebanos facies erat; immo aliquanto foedior, quia fugientibus universis vacua urbis aedificia relicta fuerant. Inter ceteros et Pytheas cum uxore liberisque in exilium profectus tota Peloponneso oberrabat. (Polyb. XL, 3. Pausanias VII, 15. eum a Metello captum punitumque esse fingit.) Metellus enim caesis apud Chaeroneam Arcadibus ad Thebas cum exercitu victore accedebat. Quo ubi pervenit laudabili mansuetudine usus non templis modo domibusque pepercit, sed etiam quemquam Thebanorum vel manentem occidi vel fugientem capi vetuit uno Pythea excepto, quem ad se adduci iussit ubicunque repertus esset; captusque is post aliquod tempus supplicio capitis scelerum suorum furorisque poenas luit. Thebis receptis ad Peloponnesum Romanus convertit iter; iamque Megaris appropinquabat quum Alcamenes ne tentata quidem urbis defensione cum praesidio suo Corinthum in castra Achaeorum se recepit. Megarenses urbem sine certamine dediderunt.

Iam et Diaeus Corinthum venerat, neque multo post accessere missi a Metello Andronidas et Lagius (nisi potius Stratius, cf. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 175.) et Archip-

pus, viri nobiles, ut ad pacem accipiendam Achaeos hortarentur. Magno enim studio Metellus agebat, si qua ante consulis adventum componere res Achaiae posset. Neque temere sumta spes erat, quod post infelicem pugnam multis iam displicebat bellum positisque armis parati erant per conditiones transigere. Sed vicit Diaei factio, qui diu ante quos venturos noverat tanquam fautores hostium calumniatus postquam accessere multitudinis odio temeritatique obiecit. Comprehensi igitur statim et cum omni genere contumeliarum in vincula rapti sunt.

Sub idem fere tempus etiam Philo Thessalus Corinthum se contulit adeo manifesta salutis eorum cura, ut multos iam Achaeorum flecteret. Ex quibus Stratius Tritaeensis praeter ceteram dignitatem aetate quoque reverendus Diaeum amplexu blanditiisque rogabat, ut conditionibus a Romano propositis assentiretur. Sed Diaeus et qui cum eo sentiebant re deliberata nihil Philonis sermonibus commovebantur; quippe qui existimarent, haudquaquam communem omnium salutem spectari, sed utilitatis atque incolumitatis propriae caussa haec ab iis proponi. Huiusmodi opinione praeventi consilium de summa republica inierunt, quo fit, ut omni parte aberraverint. Conscii enim sibi ipsi facinorum suorum nunquam in animum inducere poterant, fore ut Romani veniam ipsis indulgerent. Fortiter pro republica omnes casus tolerare nullumque periculum pro communi salute detrectare, ut viros decebat gloriae cupidos, qui se principes ac moderatores Graeciae ferebant, id vero ne in mentem quidem ipsis veniebat. Sed enim quonam tandem pacto aut unde magnitudo animi antedictis hominibus accidere potuisset? Erant enim, qui principes tum in concilio sedebant, Diaeus et Damocritus nuper ab exilio revocatus (cf. Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 175. qui pro *τετευχότες καϑόδου* legendum recte censet *τετευχώς*) ob publicam temporum perturbationem; cumque his Alcamenes, Theodectes et Archicrates prudentia ac probitate nihil iis, quos dixi, praestantiores.

Igitur quum ex huiusmodi hominibus concilium constaret consentanea quoque decreta prodierunt, non de Andronida modo et ceteris, sed etiam Sosicrates in carcerem compingitur hoc crimine, quod quum praetorio vicarius concilio praesideret et mittendae ad Caecilium legationis et omnium omnino malorum auctor fuisset. Postridie constitutis iudicibus Sosicratem quidem capitali sententia damnarunt vinctumque omni tormentorum genere ad necem usque cruciarunt, nihil tamen elocutum, quale ipsi voluissent. Lagium autem et Andronidam et Archippum missos fecere, partim quia plebs ob saevitiam in Sosicratem exercitam non mediocriter commota erat, partim quia Diaeus talentum ab Andronida, ab Archippo quadraginta minas acceperat. Nam nec in ipso, ut aiunt, stadio positus ab huiusmodi impudentia ac scelere abstinere poterat. Idem paulo ante haec tempora crudele quoque in Philinum Corinthium facinus ediderat, mittere illum nuncios ad Menalcidam et Romanorum sectam sequi criminatus verberibusque et tormentis ipsum et adolescentes filios, ut alios aliorum quoque dolore cruciaret, in mutuo conspectu occiderat. Unde quum tales haberet Achaia duces, qui et domi crudelitate avaritiaque omnia corrumpebant neque militiae cognitionem ullam aut lectione aut auditione aut usu, qui soli res eas discendi modi sunt, paraverant; nihil potuit accidere felicius, quam quod accidit, ut quam celerrime victi neque saeviendi in Achaeos caussam darent Romanis neque ipsi haberent facultatem, agnoveruntque hoc ipsi mox Achaei, apud quos per ea tempora Themistocleum illud proverbii vice usurpatum est, *perieramus, nisi periissemus.* (Plut. Themistocl. p. 126. edit. Wechel. habet *ἀπωλόμεθα ἄν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα.* Polybius vero XL, 5, 12. scripsit: *εἰ μὴ ταχέως ἀπωλόμεθα, οὐκ ἂν ἐσώθημεν*, quae verba repetiit Suidas in *εἰ μή.*)

§. 108.

L. Mummius Cos.

Inter haec L. Mummius summa contentione ad exercitum festinabat audito iam prospero Metelli proelio ne

post confectum bellum exsors gloriae imperium haberet veritus. Nam rerum illarum non modo fama celeriter est evulgata, sed etiam nuncii literaeque Romam venere, ante omnes A. Postumii, qui primus omnium de victoria Metelli ad senatum scripserat. (Cf. Polyb. XL, 6.) Namque homo ingenio vanus quum sub tempus conserendae pugnae per simulationem valetudinis Thebas Phthioticas concessisset post eventum omnia perscripsit diligenter eoque verborum genere tanquam ipse interfuisset. Inde quae historiis eius habenda sit fides haud difficile arbitratu est, in quibus et ipsis quemadmodum a Catone sit illusa puerilis in viro consulari iactantia multorum scriptis annotatum est.

L. igitur Mummius quum iam ad Isthmum castra Metellus admovisset lictoribus tantum et paucis equitum comitatus non die, non noctu intermisso itinere cum Aurelio Oreste, qui in Achaica legatione fuerat, in castra sub lucem venit. Inde Metello in Macedoniam dimisso ipse in Isthmo substitit donec universae copiae convenissent. Summa exercitus fuit equitum tria millia quingenti, peditum tria et viginti millia. His accessit sagittariorum ex Creta manus et duce Philopoemene Attali regis auxilia. (Paus. VII, 16. Zonar. II, 117. sqq. Oros. V, 3. Iustin. XXXIV, 2. Auct. de vir. illustr. 60. Flor. II, 16. Vell. I, 13. Polyb. Excerpt. Vatic. ap. Lucht. p. 95. Liv. Epit. 52. Eutrop. IV, 6.) Ex his partem consul adiunctis etiam nonnullis Italicis cohortibus ad mille quingentos passus ante castra locum capere stationibus iussit. Hos quum negligentius agere viderentur subito effusa hostium manus turbat occisisque nonnullis ceteros usque ad castra persequitur; unde submota et ad sua vicissim castra repulsa tamen scuta circiter quingenta ex hostibus capta refert.

Post haec Diaeus contracto quod ubivis habebat (Paus. VII, 15.) virium potestatem pugnandi consuli facit; consul ut hostium augeat vecordiam in castris suos continet. Crescit hinc Achaeis animus adeo intemperanti alacritate, ut non modo priores in vallem inter diversa

castra mediam descenderent, sed etiam, si Iustino fides habenda sit, vehicula secum ducerent ad hostium reportanda spolia, coniugesque suas cum liberis in vicinis montibus spectare dimicantes iuberent, cito de spectatoribus praedam hostium futuros. Apud Leucopetram sub ipsis Isthmi faucibus concursum est. Equitatus Achaeorum statim fugit vix prima exspectata impressione Romanorum equitum, quos consul ex occultis latebris subito in latus hostium immiserat. Pedes aliquanto constantius restitit, quamquam nudatus equitum fuga minutoque animo etiam multitudine hostium urgeretur. Tandem mille fortissimi viri conglobati transversam aciem perrupere. Tum vero effusa fuga ubi quisque potest salutis praesidium quaerunt. Ipse Diaeus recta Megalopolin, patriam suam, intendit cursum; qui si Corinthi munitionibus seque et qui ex fuga potuissent colligi esset tutatus, potuisset consulem taedio obsidionis ad conditiones non iniquissimas adducere; nunc vero statim atque inclinare suos sensit tota spe abiecta refugit domum, eaque incensa coniugem, ne in hostium veniret potestatem, interfecit eiusque corpus in incendium misit; ipse veneno epoto vitam posuit. Et sane uti pecuniae cupiditate Menalcidae par fuit, sic propemodum vitae exitum habuit mortis turpitudine consimillimum. At qui in urbem Corinthum confugerant absentia ducis perterriti nocte proxima omnes dilapsi sunt; excesserunt etiam Corinthiorum prae pavore plurimi, omnes, quos in urbe sua non videbant, captos caesosve rati. Neque tamen consul, licet vacuam apertisque portis indefensam, continuo ingredi voluit insidiarum metu.

§. 100.

Corinthus deletur.

Tertio demum die omnibus exploratis Corinthum Romana signa intraverunt. Puberes reliqui a militibus interemti ferme sunt; mulieres puerique sub corona veniere; multos etiam flammis consumtos esse traditur, dum urbs crudeliter prius direpta praecinente tuba deletur. Tantum enim fuisse incendium ferunt, ut quum omni ex parte

subiectae aedificiis faces essent quidquid comprehensum intra moenia fuit eundem in apicem coeuntibus flammis tanquam unus ignis arderet. Atque is deinceps etiam quum cineribus ruderibusque sopitus et oppressus videretur diu retinuit fervorem perieruntque eo facto multi Romanorum, quos ad scrutandum aurum argentumve flammis liquefactum avaritia in fumantes adhuc ruinas miserat.

Muri deinde, qui soli remanserant, funditus sunt diruti etiam lapidibus in pulverem comminutis. Ita Corinthum L. Mummius evertit ex senatusconsulto, quod ibi violatum in legatis gentium ius fuerat; post annos nongentos quinquaginta, quam ab Alete, Hippotis filio, qui sextus ab Hercule numeratur, condita fuerat. Hac acerbitate poenarum opus videbatur, ut, quod imperium hactenus clementia commendasset populis, id etiam adversus mansuetudinis contemtum terror severitatis defenderet. Atque hanc rationem augendi res suas firmandique priscis etiam imperiis placuisse credibile est; ut incipientem potentiam facilius lenitate putarent crescere, ad summa perductae non esse firmiorem metu custodiam. Nam ad modicas opprimendas opes si per saevitiam timeri meruerunt haud difficulter concurritur, validioribus rebus maius a facilitate periculum est viresque non quasi infirmae sed quasi otiosae spernuntur.[1])

Ceterum Mummius reliquis Graecorum concessa libertate Corinthios omnes et ex servis, quos Diaeus armaverat, quotquot superstites proelio erant, sub corona ven-

---

1) Cicero (de Offic. I, 11.) haec: Suscipienda quidem bella sunt ob eam caussam, ut sine iniuria in pace vivatur; parta autem victoria conservandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt; ut maiores nostri Tusculanos etc. in civitatem etiam acceperunt; at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. Nollem Corinthum; sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Et ibid. III, 11. Sed utilitatis, inquit, specie in republica saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri. Cf. Zonar. II, 117. sq.

didit. Ad quos sine ulla aliorum iniuria certo comprehendendos hac arte dicitur usus. Convocatis promiscue omnibus dissimulatoque interim proposito suo armatos circumfudit; deinde edicere praeconem iussit, Corinthios et qui manumissorum cum his militassent in servitutem peti, ceteris periculum non esse; iubere autem consulem, ut quisque adstantem sibi teneat. Ita quum effugium aut latebrae nullae essent facile qui quaerebantur sunt agniti. Ceterae quoque praedae magnam partem vendidit. Vis erat incredibilis signorum, tabularum vestiumque pretiosarum praeter ea omnia, quae incendio hausta aut a diripientibus confracta conculcataque perierant.

Militaris insolentiae (quam acerbissimam queruntur scriptores veteres, Polyb. Excerpt. Vatic. 83. Diod. II, 5. Cic. Epist. famil. IV, 5. Strab. VII, 7. et IX, 2. Dio Chrys. Orat. I, 233. et 263. II, 11. Reisk. Paus. VII, 17. cf. Wachsmuth. Hellen. Alterth. I, 2, 402. sq.) cum imperitia coniunctum grande specimen se vidisse Polybius refert, qui tum ad sublevandam si qua posset patriae calamitatem ex Africa recens advenerat: Aristidis enim summi pictoris Liberum Patrem, qui admiratione perfectissimi operis proverbio, nihil ad Dionysum (*οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον*), dederit locum, humi iacentem ludentibus aleam militibus alvei vicem praestitisse. Eadem mox tabula quum praeda venderetur Attalo regi sex millibus nummûm emta est, quum proconsul pretium admiratus rescidit venditionem ex alieno iudicio pulchritudinem tabulae suspicatus, quam mox in templo Cereris posuit, ubi spectata fuit magno visentium studio, donec aedis eius incendio, postquam annos centum quindecim ibi fuisset, periit. Et quoniam ad hoc genus elegantiae delapsi sumus, ex eo quoque tempore frequentatum aeris Corinthii nomen est, magis quia fluentibus in unum auri, argenti, aerisque metallis magna simul eius materiae copia extitit, quam quod tum primum eius mixturae reperta sit ratio; nam et multis ante aetatibus celebrata Corinthii operis nobilitas fuit.

§. 110.

Achaia provincia.

Ad hunc modum excisa Corintho ager publicatus est, cuius maximam mox partem Sicyonii obtinuerunt. Itum deinde ad aliarum urbium supplicia. Thebarum et Chalcidis eversis urbibus, Chalcidensium equitibus multis occisis, Boeoti Euboensesque centum talenta Heracleotis pendere iussi, Achaei ducenta Lacedaemoniis. Sed horum deinde gratiam civitatibus senatus fecit. Ceterum aliarum quoque Graecarum urbium, quae cum Achaeis senserant, moenia sunt deiecta, armis ademtis. Sed et donaria statuasque multis ex civitatibus sustulit consul, ut tamen consecratis ad cultum abstineret; ex his quaeque Corinthi fuerant capta magnam partem minoris pretii Philopoemeni, qui Attali auxilia duxerat, dedit, quae longa deinde aetate et Pausaniae quidem tempore spectata Pergami fuerunt. Atque haec omnia egerat Mummius priusquam ab Urbe mitterentur, quorum consilio in Graeciae rebus ordinandis uteretur.

Convenere deinceps decem legati, consilium a senatu imperatori additum, ad res Graeciae constituendas. In his A. Postumius et C. Sempronius Tuditanus fuerunt. Patrem Mummii, quamquam sit, qui referat, fuisse non puto, quum etiam de Sp. Mummio fratre proconsulis M. Tullius dubitet, quem in Achaia tum fuisse constat, fratris potius legatum, quam in decem fuisse, quod non soliti essent maiores legare in decem, qui imperatorum necessarii essent.[1]) Hi ubi venerunt popularis status ubi-

1) *Οἱ δέκα*, sic Polybius et Dio ac Zonaras vocare solent *decem legatos*, qui confecta a consule aut praetore provincia mittebantur a senatu, ut consul praetorve ex eorum sententia provinciam ordinaret legesque daret; quorum acta postea a senatu confirmabantur, ut docet Cicero Philippica XII. Eosdemque decem legatos, quorum de sententia (ut Livius ait XLV, 17.) imperatores componerent res, percommode *τοὺς συμβούλους* vocare solet Appianus de reb. Hispan. c. 78. sq. et Punic. c. 32. et Macedon. Eclog. VII, 2. Apud Pausaniam VII, 16. vocan-

que per Graeciam sublatus est magistratibus ex censu constitutis. (*Ἡ ἀποδοθεῖσα τοῖς Ἀχαιοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων πολιτεία* est timocratia. Paus. VII, 16, 6. Polyb. XL, 8—10. Boeckh. Inscript. Vol. I. N. 1543.) Libertas tamen urbibus et suae de certo leges relictae. Vectigalia deinde imposita; possessionibusque, quas extra fines urbium suarum habere locupletes consueverunt, interdictum. Concilia nationum in Achaia, Boeotia, Phocensibus, et per universam Graeciam abolita; quae tamen et ipsa paulo post supplices clementia senatus recepere. Praetor sane quotannis in Graeciam mittitur sub nominis Achaici praescriptione, quia quum in provinciae formam redigeretur penes Achaeos principatus gentis fuerat.

Multum eo tempore Polybii virtus atque gratia praecipue ex Africa in Scipionis amicitia profuit Graeciae. Nam pro Philopoemenis honoribus, qui per Achaiae civitates clarissimo viro constituti fuerant, quum abolerentur prospero successu egit docendo ac demonstrando, Philopoemenem eiusmodi fuisse, qui mandatis populi Romani

---

tur ἔμβουλοι, nisi ibi σύμβουλοι legendum, quae et Sylburgii fuerat coniectura. (Valesius et Schweigh. ad Polyb. T. VIII. p. 180. sq.) Qui autem fuerint decem legati tum a senatu missi ad res Graeciae componendas ignotum est. Unus quidem ex iis fuit L. Mummius, pater L. Mummii, qui Corinthum ceperat, ut docet Zonaras ex Dione, πεμφθέντος δέ οἱ πατρὸς καὶ τῶν ἄλλων ἐπὶ καταστάσει τῶν ἁλόντων· ubi notandum est, patrem in decem legatis fuisse. Neque enim solebant veteres Romani legare in decem, qui essent imperatorum necessarii, ut ait Cicero in Epist. 6. lib. XIII. ad Atticum (cf. Epist. 30. et 32. eiusdem libri.) his verbis, quae, quoniam ad hunc locum maxime faciunt, apponere non parcam: Mummium fuisse ad Corinthum pro certo habeo, sed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. Atque id etiam accepi, non solitos maiores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarii, ut nos, ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potius, M. Lucullum et L. Murenam et ceteros coniunctissimos ad L. Lucullum misimus. Idem in Epist. 30: Sicunde potes, erues qui decem legati Mummio fuerunt, Polybius non nominat. Ego memini Albinum consularem et Sp. Mummium. (Valesius)

interdum quidem adversaretur, sed hactenus tantum, ut in rebus controversis proponeret suaderetque ea, quae sibi videbantur, neque id unquam temere fecisse. Specimen vero illustre animi eius et sincerae erga populum Romanum benevolentiae testimonium extitisse bello Philippico et Antiochico. Nam quum illis temporibus unus omnium Graecorum maxima auctoritate polleret cum ob suam tum ob gentis Achaeorum potentiam, constanter eum in amicitia ac fide erga populum Romanum permansisse, auctorem etiam et approbatorem fuisse decreti illius, quo Achaei nondum transgressis in Graeciam Romanis bellum Antiocho atque Aetolis indixerunt quum ceteri fere Graeci omnes a partibus et a caussa populi Romani alienati essent. Quibus auditis decem legati studium et consilium Polybii comprobantes Philopoemenis memoriam servarunt eiusque honores omnes in civitatibus illibatos passi sunt manere. Hac Polybius occasione arrepta imagines Achaei (principis atque auctoris Achaeorum generis, Xuthi filii, Hellenis nepotis) Aratique et Philopoemenis, quae iam ex Peloponneso transportatae in Acarnaniam erant, a proconsule petiit; cuius rei caussa Achaei virtutem ipsius laudantes statuam ei e marmore posuerunt cum insigni titulo: neque offensuram fuisse Graeciam, si Polybii consiliis paruisset, et post offensam illum unum afflictae levamen extitisse. Idem quum quaestori bona Diaei aliorumque damnatorum vendenti (bona enim eorum, qui coniuges aut liberos non habebant, vendi placuerat) a decem legatis praeceptum fuisset, ut quae ex illis Polybius postulavisset gratis addicerentur, non modo pro se petiit quidquam, sed etiam amicis auctor fuit, nihil ex spoliis istis attingendi; unde maximam laudem a popularibus suis retulere. (Polyb. XL, 8. sqq. Fragm. ap. Lucht. p. 89. Plut. Philop. 21. Praecept. polit. 814. c. Paus. VII, 16. VIII, 30. et 37.)

Haec omnia quum intra semestre tempus decem legati perfecissent veris initio (A. U. C. 609 = 145 a. Chr.) in Italiam redierunt. Polybius ex eorum mandato civitates obiit, respublicas ad formulam ab ipsis praescriptam com-

posuit, lites sustulit brevique perfecit, ut statu praesenti non acquiescerent modo Graeci, verum etiam laetarentur. Unde vicissim omnibus illum eximiis honoribus per singulas urbes colere instituerunt. Quos inter in foro Megalopolis statua fuit cum inscriptione, quae Polybium, Lycortae filium, Romanorum in Graecos iram mitigasse testaretur.

L. Mummius profectis ex Achaia legatis donec praesens status coalesceret, simul ne forte motibus Orientis recens stabilita Graeciae Macedoniaeque pax sollicitaretur aliquantisper substitit. Quo tempore et quod in Isthmo delubrum est[2]) instauravit et Delphicum templum ornavit, etiam Olympiae Iovem aeneum itemque clypeos inauratos unum et viginti de manubiis Achaeorum dedicavit primus Romanorum; nam ante illum donum in aliquo Graeciae fano Romanus nemo privatim posuerat. Postea civitates plerasque obeundo exquisitis ubique honoribus exceptus est. Paus. et Zonar. l. c. Polyb. XL, 9. et Fragm. ap. Lucht. p. 85. sq. Diod. Excerpt. Vatic. II, 95. coll. Cic. in Verr. II, 1, 21. Meruerat enim coli non tantum victoris auctoritate, sed magis etiam ob mansuetudinem et abstinentiam, qua virtute illis etiam temporibus quum adhuc multum antiquae severitatis in moribus esset admirationi fuit; quum enim longe opulentissimam urbem cepisset omnisque generis ornamentis instructissimam, ex iis plane nihil in suam domum intulit, adeoque pauper decessit, ut exemplo maiorum filiae eius dotem ex publico senatus dari iuberet.

Erat alioqui ad intelligenda magnorum artificum opera rudis in tantum, ut quum tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret edixerit conducentibus, si eas perdidissent, novas esse reddituros. (Cic. de offic. II, 22. Plin. H. N. XXXIV, 7. Liv. Epit. 52. Vellei. I, 13.) Sed ille satis habuit his talibus triumphum suum instruere,

---

2) Templum Neptuni hic intelligi existimavi cum luco et stadio, in quo Isthmia olim Corinthii celebrabant, teste Strabone VIII. p. 380. quae omnia ab exercitu Romano vastata fuisse credibile est post victoriam de Achaeis ad Isthmon partam. (Valesius.)

quem de Achaeis in Capitolium duxit; quo nullus neque antea neque postea rerum istarum spectaculis ornatior fuit. Hic etiam, licet delibata per Metellum victoriae gloria fuerit, cognomen *Achaici* acceperat favente urbe, quae non minus magnificis eiusmodi civium suorum titulis crescere videbatur, quam ductu illorum auspiciove crevisset. Illi victoriae maximam pulcherrimamque partem ornamentorum suorum in tabulis statuisque Roma debuit; sed et vicinae circum urbes liberaliter excultae sunt, etiam in ceteram Italiam ipsasque adeo provincias exundante copia. Vir enim magnanimus et qui maioribus ex rebus quaerendam sibi gloriam arbitrabatur non erat sane in concedendo talia difficilis, ferturque L. Licinio Lucullo, qui votam bello Hispano aedem dedicabat, commodato acceptas statuas reddere detrectanti, quod consecratione templi exemtas hominum commercio diceret, neutiquam succensuisse manubiasque suas sub alieni nominis inscriptione conspici aequo animo passum. Atque hic tam severus cetera ludorum tamen Graecorum in urbe elegantius edendorum (nam L. Anicius incomte fecerat) primus exemplum dedit, quod vulgo deinceps secuti homines sunt quum probitas et abstinentia viri paucissimos imitatores inveniret. (Cf. Polyb. XL. Paus. VII, 15. 16. Freinsh. Suppl. Liv. LII, 1—21. 56—58. et quos hic citavit scriptores.)

§. 111.

Tempus Corinthi eversionis.

Iam quo tempore Corinthus excisa sit si quaerimus neque in iis, quae supra ex Bayeri computationibus dedimus, acquiescimus, haece nobis sese offerunt Valesii et Schweighaeuseri (ad Polyb. Tom. VIII. p. 181—183.) rationes chronologicae, quas integras apponere non parcam.

Polybium cum Scipione Africano ad Carthaginem fuisse constat excidioque urbis interfuisse, ut testantur Appianus in Libyco, Ammianus Marcellinus lib. XXIV. et Orosius lib. V. (Vide Reliquias lib. XXXIX. Polyb. c. 3, 6. sq. et Spicileg. Reliquiar. ex lib. XXXIX, n. 1.

T. V. p. 48. sq. et Spicileg. Reliq. ex lib. XL. Tom. V. p. 50.) Diruta est autem Carthago Cornelio Lentulo et L. Mummio Coss. eodemque anno Corinthus excisa est, ut scribit Velleius Paterculus I, 13. Itaque non video, qui fieri possit, ut eodem anno ac tempore Polybius in Achaia et in Africa simul fuerit. Unico Strabonis loco id confici Casaubonus in synopsi chronologica historiae Polybianae existimavit, qui sic habet in lib. VIII. *Πολύβιος δὲ τὰ συμβάντα* etc. (vide Reliq. lib. XL. Polyb. c. 7.) Sed ex his verbis nego id consequi, Polybium expugnationi interfuisse, sed tantum post expugnationem supervenisse.[1]) Neque enim credibile est, milites Romanos inter urbis captae excidium alea lusisse, quo tempore militaris disciplina arctius custodiri debet. Deinde quis credat, Polybium ea sapientia hominem eaque in patriam caritate spectatorem expugnationis esse voluisse? Stabat enim a parte populi Romani. Verius est igitur quod dixi, Polybium scilicet post Corinthi excidium celeriter ex Africa advolasse, ut opem aliquam ruenti patriae afferret. Audeo enim de Polybii auctoritate id affirmare, si ante expugnationem affuisset, non in tantam calamitatem Corinthum venturam fuisse. Accedit et Orosius V, 3. qui diserte scribit ex T. Livio, ut solet, Polybium tum ad Carthaginem fuisse, quum Diaeus a Metello est devictus. Est et alius error in Chronologia Casauboni, qui Corinthi excidium confert in consulatum Q. Fabii et Hostilii Mancini (145 a. Chr.); quae sententia licet Plinio auctore firmetur, magis tamen placet Velleii et Orosii opinio ob mirabilem concursum excidii duarum maximarum urbium. Accedit quod et Plinius hanc nostram sententiam tuetur

1) De Polybio memorabilis est locus in Exc. Vatic. ap. Lucht. p. 80. M'. Manilius consul primo belli Punici tertii anno Achaeis scripsisse dicitur, ut Polybium Lilybaeum mitterent. Polybius initio aestatis quum profectus esset ut rediret in Corcyra mandatum accepit, Carthaginienses enim obsides dedisse bellumque compositum esse nunciabantur. Patriam igitur eum reliquisse iam bello exorto concludimus ex eius scriptis XXXIX, 3.

(XXXIV, 2, 3.); nam Corinthum ait captam esse Urbis anno 608 (Ol. 156, 3 vitiosam esse iam Harduinus animadvertit), in quem annum ex supputatione Varronis, quam sequitur ubique Plinius, cadit consulatus Lentuli et Mummii. Haec Valesius.

A Mummio consule excisam esse Corinthum auctores consentiunt omnes. At id non factum est sub initium eius anni, quo consulatum Mummius gessit, qui erat annus ab U. C. 608; nam ex quo cognoverat Metellus, Macedoniae praetor, Mummio consuli Achaicum bellum esse decretum, continuo ipse initio eius anni finem imponere bello properavit, moxque victo prope Thermopylas Critolao et reliquis Achaeorum copiis in Phocide caesis, tum captis Thebis Megarisque ad Isthmum contendit. Ibi tum demum Mummius consul supervenit, qui, ut quidem Pausanias VII, 16. refert, (cum quo consentit Liv. Epit. lib. LII.) amandato in Macedoniam Metello Diaeum praetorem Achaeorum ad Isthmum proelio fudit, inde Corinthum captam diruit; sed, ut Orosius ex Polybio retulit, post victoriam demum de Diaeo et Achaeis ad Isthmum ab eodem Metello reportatam in castra venit moxque dimisso Metello Corinthum expugnavit. Eodem vero ipso anno, quo consul fuit Mummius, non insequente demum anno captam esse Corinthum, non tam ex eo colligemus, quod tum non amplius consul, sed proconsul dicendus fuisset Mummius; (etenim in ea denominatione non nimis accurati solent esse scriptores;) quam ex eo, quod celeriter atque raptim tunc omnia esse gesta satis significat Polybius noster XL, 5, 8. sq. et III, 5, 6. et quod decem legati, quorum ex sententia res Achaiae Mummius ordinavit, qui mox post excisam Corinthum in Graeciam advenerunt, exacto sex mensium spatio vere insequentis anni Romam redierunt. Quibus ex rebus colligi posse videtur post medium anni 608 captam esse dirutamque Corinthum. Iam Carthaginem quod attinet captam eam excisamque esse vere eiusdem anni 608, ex Appiani Punicis c. 127. sqq. discimus. Atque ita factum intelligi debebit, ut Polybius, quum statim post captam Carthagi-

nem in Graeciam esset profectus periclitanti patriae succursurus et cum gratia apud Romanos, tum auctoritate apud populares, extremam ab his perniciem amoliri cupiens, sero quidem et capta iam fortasse dirutaque Corintho advenerit, sed satis adhuc in tempore, ut apud Mummium decemque legatos pro popularibus suis deprecari et maiorem ab eis calamitatem avertere posset. Ita Schweighaeuserus, cuius sententiam sequimur. Confectum igitur est Achaicum bellum summum magistratum Athenis gerente Antitheo, Olympiade CLVIII, $^2/_3$; de stadionica in Diodoro est dissensus, v. Meurs. de Archont. IV, 19; nam Ol. CLX, quam scripsit Pausanias VII, 16, 6. extr. et Appianus Rom. Hist. VIII, 135, Mummius videtur triumphasse. (Cf. Bayer. l. c. et Siebelis. ad Paus. l. c. Schorn. l. c. p. 403. Not. qui antecessorum suorum computationes emendationesque ignoravit.)

Atque his quidem temporibus Graecia iam pridem multis lacerata et vexata adversis rerum casibus serpente a singulis membris fati sui quasi tabe quadam ad ipsa universa corporis, ut ita dixerim, vitalia quod reliquum fuit opum atque imperii amisit. Argos, quae heroicis olim temporibus admodum potens et opulenta fuerat civitas, translato ad Dorienses regno acerbiorem experiri fortunam coepit. Atheniensium rempublicam post Peloponnesiaci belli et pestilentiae cladem respirantem et quasi emergentem Macedonum potentia paucis post annis oppressit. Boeotiis Thebis Alexandri iracundia exitio fuit. Lacedaemonios Thebani Epaminondae virtus ac deinde Achaeorum arma perculere. Postremo Achaeorum imperium quum quasi ex intermortua materiae redivivum sarmentum surgere conaretur, quo minus invalesceret, imperatorum suorum obstitit improbitas. (Paus. VII, 17, 1.) Nec ista est divinae sapientiae administratio vel numinis divini voluntas, sed humanae potius imbecillitatis pravitatisque istud documentum.

Et haec quidem de Achaeorum rebus gestis quae commemorarem habui. (Paus. VII, 17, 2.)

§. 112.

Indicia quaedam historica de Achaia Romanorum provincia post annum 145 a. Chr.

Achaia capta subiectaque Graeciam universam, quo nomine omnes eas terras comprehendimus, quae a Graecis colebantur, Romanis in duas placuit dividi provincias, alteram septentrionalem Macedoniae nomine insignitam, cui iam inde a Philippi, Amyntae filii, aetate Thessalia quoque accensebatur (Diod. Sic. XVI, 37.), alteram Achaiam, Graeciam propriam s. Hellada et Peloponnesum, complectentem eamque meridionalem, utramque initio praetori Romano, deinceps proconsuli commissam lege Clodia (Cic. in Pison.). Quare tempore adhuc Luculli Achaia praetori Romano non erat commissa (Plut. Cim. 2. Caes. 4.); hinc quae Pausanias (VII, 17.) scribit: *ἡγεμὼν δὲ ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἀπεστέλλετο·* intelliguntur. Scilicet praetorem dicit Achaiae, cui etiam Graecia parebat, quae quondam Achaeos habuerat principes.

Anno fortasse 120 a. Chr. Polybius LXXXII annos natus diem obiit supremum.

Mithridates quum Archelaum, ducem copiarum suarum, in Graeciam misisset, statim Achaei, Lacedaemonii et Boeoti, exceptis Thespiensibus, adversus Romanos arma sustulere. (Appian. B. M. 27: *Ἀρχέλαον ἐς τὴν Ἑλλάδα ἔπεμπε, προσεταιρισόμενον ἢ βιασόμενον αὐτῆς ὅσα δύναιτο.* cf. c. 12. et Plut. Sulla c. 11.) Pugna a Bruttio Sura, legato Sentii, Macedoniae praetoris, contra Archelaum ad Chaeroneam triduo commissa, Lacedaemoniorum Achaeorumque auxilia, quae apud Archelaum fuerant, in patriam rediere. (App. B. M. c. 29.) Athenae a Sulla ipsis Kal. Martiis 86 a. Chr. expugnantur. (Plut. Sulla c. 14. secundum Sullae commentarios; c. 19. 26. Paus. I, 26. IX, 7. cf. Ahrens de Chronolog. p. 7. N. 3.) Sullae tum auctoritate, Lucullo vero praeside, magna pecuniarum vis in Peloponneso excusa est. (Plut. Lucull. c. 2. Sull. c. 12. App. B. M. c. 30. Paus. Boeotica 7, 4.)

Pompeius piratis devictis Dymen habitandam tradit 67 a. Chr. (App. B. M. 96. Plut. Pomp. c. 28. Paus. VII, 17.)

Quum inter Caesarem et Pompeium apud Pharsalum decertatur, 48 a. Chr., Peloponnesii a partibus Pompeii stant. (App. B. Civ. II, 70. 75. Caes. B. Civ. III. init.)

Caesar Corinthum et Carthaginem restituendas atque denuo exstruendas curat, 44 a. Chr. (Strab. VIII, 6, 23. Plut. Caes. c. 57. 58.) centum duobus annis postquam deletae sunt (App. Punic. VIII, 136. Paus. Corinth. 1, 2. Eliac. Prior. 1, 1. Dio Cass. XLIII, 50.). Hoc demum tempore proconsul vel praetor videtur in Achaiam missus esse eique iudicia exercenti assessores datos Graecos. (Philostr. vit. Apoll. Tyan. V, 13. p. 249.)

Quoad Augustus rebus Romanis praefuit, Achaia in provinciis censita est, in quas rectores a senatu, non a Caesare sunt missi. Eximia Augusti benevolentia in Peloponnesios extitit, 30 a. Chr. Augustus favet Patrensibus, 14 a. Chr., quibus solis ex Achaeorum numero concessit, ut sua libertate uterentur. Rhypae, Dyme, Tritia, Pharae, totaque ora maritima ad Rhion usque promontorium Patrensibus attribuuntur, iisque Locri, exceptis Amphissensibus, tributarii facti. (Strab. VIII, 7, 5. Paus. Achaic. 17, 3. 22, 1. 4. Phoc. 38, 5.) Pausanias (Ach. 18, 5.) insuper addit: *ἔδωκε δὲ (Αὔγουστος) καὶ ἐς τὰ ἄλλα γέρας σφίσιν, ὁπόσα τοῖς ἀποίκοις νέμειν οἱ Ῥωμαῖοι νομίζουσιν.* Etiam qui in imperio Augustum sequebantur Nicopolin et Patras summis instruxerunt beneficiis, ut eo proficisci solerent, qui iter per Graeciam essent facturi. Nonnulli nummi docent, Augustum veteranos legionis XXII. Patras deduxisse.

Strabonis Graeciae suae aetatis imago VII, 7. Apud scriptores serioris aevi vix ulla Achaeorum sensim evanescentium reperitur mentio.

Achaiam ac Macedoniam, onera deprecantes, levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari Germanico placuit Tiberio imperatori, 14—37 p. Chr. (Tac. Ann. I, 76.) Prorogatur provincia Moesia Poppaeo Sabino, ad-

ditis Achaia et Macedonia. (Tac. Ann. I, 80.) Germanicus Graeciam peragrans benevole Graecos tractat; excepere Graeci quaesitissimis honoribus vetera suorum facta dictaque praeferentes, quo plus dignationis adulatio haberet (Tac. Ann. II, 53.), eamque ob caussam Cn. Piso oratione oblique Germanicum perstrinxit. (Tac. Ann. II, 55.)

Crebrescebat tum Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; complebantur templa pessimis servitiorum; eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi flagitia hominum, ut caerimonias deum, protegentis. (Tac. Ann. III, 60. coll. IV, 14.)

Aegiensibus terrae motu acriter vexatis in triennium tributum remissum. (Tac. Ann. IV, 13.)

Lacedaemonios inter et Messenios disceptantes de templo Dianae Limnatidis, quum Achaiae praetor rem male cognovisset, Tiberius imperator iudex est, templumque Messeniis attribuit. (Tac. Ann. IV, 42.)

Neronem profectum in Achaiam, ut currus agitaret, in theatris caneret, ex eius moneta discimus. Nero imperator, 54 — 68 p. Chr., quum Olympia vicisset Graeciae universae libertatem renunciat Graecosque omnes civitate Romana donat. (Paus. Ach. 17, 2. Suet. Nero c. 24. Plut. Flamin. c. 17.) Cur Corinthii et Patrenses, utrique Achaei, Iovem liberatorem (Δία ἐλευθέριον) in moneta sua extulerint, caussam certam tenemus. Datam enim Achaiae a Nerone libertatem copiosa docent veterum testimonia, quae collegit Spanhemius (Orb. Rom. p. 252), tum et numi Patrarum. Eodemque tempore Amphictionum concilium renovatum videtur, ut Pausanias tradit (X, 8. cf. VII, 17.). Patrae sese Neronis honori perquam addictas professae sunt, quod praeterea docent copiosi numi adhuc superstites cum Neronis effigie, quos plerosque collectos vide apud Morellium. Caussa affectus haud dubia, quod Nero Achaiam libertate donavit.

Libertatem vero illam, quae a Nerone concessa erat Achaiae, post iterum ademit Vespasianus (Spanhem. l. c.

p. 250.). Quisquis fuit rei monetariae cum libertate nexus, istud certum, nullum hactenus conspectum sive Corinthi sive Patrarum numum Vespasiano et Tito imperantibus signatum. Succedit Domitiani numus, qui per epigraphen PERmissu IMPeratoris invicte probat ademtum Corintho feriundae monetae ius Domitiano redditum et revera copiosos iterum utriusque coloniae habemus numos eo imperante percussos. Vespasianus, 69 — 79 p. Chr., vero Graecos patrio more seditionibus laborantes rursus coercuit et annuo vectigali imposito Romanis magistratibus parere iussit, quod diceret, libertate uti Graecos iam dedidicisse. (Paus. Ach. 17, 2. Suet. Vesp. c. 8. 16.) Quam ob rem Apollonius Tyanensis imperatori scripsisse dicitur: *Νέρων τοὺς Ἕλληνας παίζων ἠλευθέρωσε, σὺ δὲ αὐτοὺς σπουδάζων ἐδουλώσω.* (Philostr. vit. Apollon. Tyan. V, 14.) Manebant tamen etiam tum vestigia morientis libertatis (Tac.). Corinthus tum fuit proconsulis sedes, ubi Paulus apostolus Iunium Gallionem proconsulem fuisse narrat. (Acta Apostolor. XVII, 12.) De tributo, quod imperator Graecis imposuit, vide etiam Plin. Ep. XXVIII, 8.

Traianus, 98 — 117 p. Chr., in Graecos benevolus Maximum praetorem Achaiae eligit (Plin. Epist. VIII, 24.), quem in Graeciam proficiscentem his literis Plinius cohortatus esse fertur:

„Cogita te missum — ad homines maxime homines, ad „liberos maxime liberos. — Nihil ex cuiusquam digni„tate, nihil ex libertate, nihil ex iactatione decerpseris. „Habe ante oculos, Athenas esse, quas adeas, Lace„daemonem esse, quam regas, quibus reliquam umbram „et residuum libertatis nomen eripere durum, ferum, „barbarumque est.“

Hadrianus, 117 — 138 p. Chr., non solum artes literasque Graecorum coluisse, sed etiam res publicas emendasse perhibetur.

Pausaniae Graeciae descriptio c. 174 p. Chr. Eodemque tempore Ptolemaeus geographus hanc Graeciae divisionem offert III, c. 13 — 17: 1) Macedoniam cum Illyrico ad Dyrrhachium et Thessaliam usque. 2) Epirum

cum Acarnania insulisque Corcyra, Cephalenia, Ithaca, Echinadibus, Zacyntho. 3) Achaiam eandemque Hellada dictam cum Locride, Phocide, Boeotia, Megaride, Attica, Aetolia, Doride, Euboea minoribusque maris Aegei insulis. 4) Peloponnesum. Verum quum Plinius (Ep. VIII, 20.) fontem illum mirificum ad Taenarum, cuius meminit Pausanias (III, 26.) in Achaia ponit, hinc concludi licet, Peloponnesum tum quoque Achaiae ambitu comprehensam fuisse. Isque Achaiae status ad Iustinianum imperatorem perdurasse videtur. Hadrianus Calpurnium Rufum, Achaiae proconsulem, monuit, ne legatum ex provincia dimitteret ante suum ipsius decessum. (Ulpian. in l. meminisse, ff. de offic. procons. et legat.) Gallieno imperante Valens erat Achaiae proconsul (Trebell. Poll. Trig. Tyr. c. 19.), Valentiniano rursus Rufus Testus (Volaterranus Georg. lib. VIII. sub fin. ex Inscript. Athen.)

Post Antoninorum tempora Graeciae nomen vix innotuisse videtur. (Herodian. IV, 8. Plut. de defect. orac. 414. a.)

Decius, c. 250 p. Chr., Messalam, Achaiae proconsulem, Claudio tribuno ad defendendas Thermopylas Peloponnesumque contra Gothorum incursiones misso certum militum numerum tradere iubet. (Trebell. Pollio Claud. c. 16.)

Imperante Gallo, c. 253 p. Chr., barbaros, vulgo Scythas nuncupatos, Aemilianus in Moesia devicit Graeciamque liberam praestitit ab eorum incursionibus. (Zosim. I, 26 — 28. Ammian. Marcell. XXXI, 5. Zonar. XII, 21.) Peloponnesii muro per Isthmum ducto praesidiisque expositis hostes opperiebantur. (Georg. Syncell. ed. Bonn. p. 715. Zonar. XII, 23. Zosim. I, 29.)

Gallieni tempore, c. 267 p. Chr., pars Gothorum Peloponnesi oras maritimas diripit. (Georg. Sync. p. 717. Zosim. I, 39. Trebell. Poll. Gall. D. c. 6.)

Pestilentia tanta extiterat 270 p. Chr., vel Romae, vel in Achaicis urbibus, ut uno die quinque millia hominum pari morbo perirent. (Trebell. Poll. Gall. D. c. 5.)

Multi religionem Christianam longe lateque divulgatam quum profiterentur, c. 314 p. Chr., Achaiae tum incolae etiamnum diis Olympicis sacrificabant.

Achaiae urbes Constantino plurimas praebuerunt naves, quum in eo esset, ut adversus Licinium proficisceretur. (Zosim. II, 20.)

Achaiae incolae Nicaenae formulae favebant et liberi manserunt ab hereticorum perturbationibus, c. 325 p. Chr. (Euseb. vit. Constantin. M. III, 7.)

Iulianus, 361 — 363 p. Chr., Graecis concessit, ut more antiquo deos colerent, templa restituerent, sacra administrarent. (Eunap. vitt. Soph. Maxim. p. 54. Boiss. Iulian. Epist. XXXV. Opp. Spanh. p. 407 — 411.) Iulianus Vectium Achaiae proconsulem fecisse narratur ab Ammiano Marcellino (lib. XXI.).

Valentinianus I, 364 — 375 p. Chr. imperator, Graecis per Praetextatum, Achaiae proconsulem, deprecantibus concedit, ut more paterno mysteria celebrent. (Zosim. IV, 3.)

Terrae motu Graeciae oppida devastantur, c. 375 p. Chr.

Post Theodosii M. tempora Patrae sedes pontificis Christiani, c. 395 p. Chr.

Theodosius II. templa paganica omnia claudi iubet, c. 426 p. Chr. (Cod. Theodos. XVI. Tit. X. l. 21. 22. a. 423. l. 23. sqq.)

Iustinianus I. philosophorum scholas claudi iubet, c. 527 — 565 p. Chr.; tamen

„Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
„Intulit agresti Latio.“ (Horat. Ep. II, 1, 156.)

Iustinianus imperator Achaiae proconsulem designasse non videtur, quum in Notitia Nov. VIII., ubi Orientis magistratus recensentur, ista dignitas omissa est. Pancirollus in Comment. suo in not. utr. Imp. p. 165. Achaiam tum a barbaris obsessam occupatamque fuisse existimat. Notitia vero imperii Orientis praeponit Praefectum Praetorio per Illyricum Macedoniae, quacum illo aevo con-

iunctae erant: Achaia, Creta, Thessalia, Epyrus (sic) vetus et Epyrus nova, Macedoniaeque salutaris pars. (Notit. dignit. utr. Imp. ed. Panciroll. p. 41. Kruse Hellas I. p. 575.)

Qui seriorum temporum historiam Graecorum cognoscere voluerit, adeat librum Ioannis Guilielmi Zinkeisenii: Geschichte Griechenlands vom Anfange geschichtlicher Kunde bis auf unsere Tage; Thl. I. das Alterthum und die mittlern Zeiten bis zu dem Heerzuge König Roger's von Sicilien nach Griechenland. Leipzig 1832. Barth. inprimis p. 524 — 574.

Fasti Achaici.

A. a. Chr.	A. U. C.	Ol.	Annus Achaicus.	Annus Praetor.	Praetores.
280.	474.	125, 4/1	1.	—	Achaeorum foederis primordia. Primis 25 annis Praetores duo, scriba unus, quotannis lecti rebus praefuerunt.
255.	499.	131, 1/2	26.	1.	Marcus Cerynensis primum praetor unus unius anni.
251.	503.	132, 1/2	30.	5.	Marcus Cerynensis iterum praetor.
245.	509.	133, 3/4	36.	11.	Aratus Sicyonius primum praetor.
243.	511.	134, 1/2	38.	13.	Aratus iterum praetor.
242.	512.	134, 2/3	39.	14.	Aratus tertium praetor.
240.	514.	135, 4/1	41.	16.	Aratus quartum praetor.
239.	515.	135, 1/2	42.	17.	Aratus quintum praetor.
238.	516.	135, 2/3	43.	18.	Aratus sextum praetor.
237.	517.	135, 3/4	44.	19.	Aratus septimum praetor.
236.	518.	136, 4/1	45.	20.	Dioetas praetor.
235.	519.	136, 1/2	46.	21.	Aratus octavum praetor.
234.	520.	136, 2/3	47.	22.	Lydiadas primum praetor.
233.	521.	136, 3/4	48.	23.	Aratus nonum praetor.
232.	522.	137, 4/1	49.	24.	Lydiadas iterum praetor.
231.	523.	137, 1/2	50.	25.	Aratus decimum praetor.
230.	524.	137, 2/3	51.	26.	Marcus Cerynensis tertium praetor.
229.	525.	137, 3/4	52.	27.	Lydiadas tertium praetor.

A. a. Chr.	A. U.C.	Ol.	Annus Achaicus.	Annus Praetor.	Praetores.
228.	526.	138, 4/1	53.	28.	Aratus undecimum praetor.
227.	527.	138, 1/2	54.	29.	Aristomachus Argivus pr.
226.	528.	138, 2/3	55.	30.	Aratus duodecimum praetor.
225.	529.	138, 3/4	56.	31.	Hyperbatus praetor.
224.	530.	139, 4/1	57.	32.	Timoxenus primum praetor.
223.	531.	139, 1/2	58.	33.	Aratus, στρατηγὸς αὐτοκράτωρ, tertium decimum praetor.
222.	532.	139, 3/4	59.	34.	Timoxenus iterum praetor.
221.	533.	139, 3/4	60.	35.	Aratus quartum decimum praetor.
220.	534.	140, 4/1	61.	36.	Aratus, Arati filius, praetor.
219.	535.	140, 1/2	62.	37.	Eperatus Pharaeensis praetor.
218.	536.	140, 2/3	63.	38.	Aratus quintum decimum praetor.
217.	537.	140, 3/4	64.	39.	Timoxenus tertium praetor.
215.	539.	141, 1/2	66.	41.	Aratus sextum decimum praetor.
213.	541.	141, 3/4	68.	43.	Aratus septimum decimum praetor.
211.	543.	142, 1/2	70.	45.	Euryleon praetor.
210.	544.	142, 2/3	71.	46.	Cycliadas primum praetor.
208.	546.	143, 4/1	73.	48.	Nicias praetor.
207.	547.	143, 1/2	74.	49.	Philopoemen primum praetor.
206.	548.	143, 2/3	75.	50.	Philopoemen iterum praetor.
205.	549.	143, 3/4	76.	51.	Aristaenetus Dymaeus pr.

A. a. Chr.	A. U. C.	Ol.	Annus Achaicus.	Annus Praetor.	Praetores.
202.	552.	144, $^{2}/_{3}$	79.	54.	Lysippus praetor.
201.	553.	144, $^{3}/_{4}$	80.	55.	Philopoemen tertium praetor.
200.	554.	145, $^{4}/_{1}$	81.	56.	Cycliadas iterum praetor.
198.	556.	145, $^{2}/_{3}$	83.	58.	Aristaenus primum praetor.
197.	557.	145, $^{3}/_{4}$	84.	59.	Nicostratus praetor.
195.	559.	146, $^{1}/_{2}$	86.	61.	Aristaenus iterum praetor.
192.	562.	147, $^{4}/_{1}$	89.	64.	Philopoemen quartum praetor.
191.	563.	147, $^{1}/_{2}$	90.	65.	Diophanes praetor.
189.	565.	147, $^{3}/_{4}$	92.	67.	Philopoemen quintum praetor.
188.	566.	148, $^{4}/_{1}$	93.	68.	Philopoemen sextum praetor.
187.	567.	148, $^{1}/_{2}$	94.	69.	Arco primum praetor.
186.	568.	148, $^{2}/_{3}$	95.	70.	Philopoemen septimum pr.
185.	569.	148, $^{3}/_{4}$	96.	71.	Aristaenus tertium praetor.
184.	570.	149, $^{4}/_{1}$	97.	72.	Lycortas primum praetor.
183.	571.	149, $^{1}/_{2}$	98.	73.	Philopoemen octavum praetor interficitur; suffectus Lycortas, praetor idem iterum.
182.	572.	149, $^{2}/_{3}$	99.	74.	Lycortas tertium praetor.
180.	574.	150, $^{4}/_{1}$	101.	76.	Lycortas quartum praetor.
179.	575.	150, $^{1}/_{2}$	102.	77.	Hyperbatus praetor.
178.	576.	150, $^{2}/_{3}$	103.	78.	Callicrates primum praetor.

A. a. Chr.	A.U.C.	Ol.	Annus Achaicus.	Annus Praetor.	Praetores.
175.	579.	151, 1/2	106.	81.	Xenarchus praetor.
172.	582.	152, 4/1	109.	84.	Arco iterum praetor.
171.	583.	152, 1/2	110.	85.	Xeno alterutro ex his annis praetor.
170.	584.	152, 2/3	111.	86.	
169.	585.	152, 3/4	112.	87.	Arco tertium praetor.
163.	591.	154, 1/2	118.	93.	Callicrates iterum praetor.
150.	604.	157, 2/3	131.	106.	Menalcidas Spartanus praetor.
149.	605.	157, 3/4	132.	107.	Diaeus primum praetor.
148.	606.	158, 4/1	133.	108.	Damocritus praetor; suffectus Diaeus (iterum).
147.	607.	158, 1/2	134.	109.	Critolaus praetor; suffectus Diaeus (tertium).
146.	608.	158, 2/3	135.	110.	Diaeus quartum praetor. Corinthus capta et deleta. Achaia provincia populi Romani fit aliquanto latiore ambitu.
145.	609.	158, 3/4	136.	111.	Polybius Achaiae civitates circumiens ad formulam ab legatis Romanis praescriptam componit ordinatque.

Reliquorum hoc spatio comprehensorum annorum, qui notati non sunt, praetores ignorantur.

Addenda et Corrigenda.

Omissos accentus, interpunctionis vitia aperta, et quidquid lectores sua sponte animadversuri videbantur, enotare supersedi. Praeterea sciri volo, quoniam hic liber manuscriptus mense Octobri anni MDCCCXXXIV Carolo Guilielmo Leskio transmissus et mense demum Iunio anni MDCCCXXXVI imprimi coeptus est, ea quae hoc tempore et paullo ante ab aliis scripta sunt, a me non nisi in fine totius operis adhiberi potuisse. Deinde locorum longinquitatem obstitisse, quominus et librariorum menda et quosdam orationis naevos tollerem, qui in autographo multifariam correcto facile delituerunt, in nitido autem chartae corpore apparent vel invito. Utriusque generis quae sunt graviora absoluto opere iam enotabuntur.

P. 3. not. 3. adde: De bello Eleusinio egit Lobeckius vir cel. in Aglaophamo p. 212. sqq. Strabo, qui Ionem belli ducem perhibet, reprehensus est ob hoc a Valesio ad Harp. p. 261. et Meinersio Comm. Gotting. T. XVI. p. 240. Pausanias Dysaulen, Celei fratrem, qui tertia post Prometheum aetate vixit, ab Ione polemarcho pulsum narrat II, 14. cf. Lobeck. l. c. p. 1351. addenda ad p. 214.

P. 4. not. 4. vers. 9. post verbum *nominat* adde: De Teleontibus vel Geleontibus vide G. Hermanni praefationem ad Euripidis Ionem, et Baehrii excursum primum ad Herod. V, 66. in editione Herodoti Tom. III. p. 797.

P. 6. vers. 25. pro consensum leg. consensu.

P. 28. vers. 18. pro iniisset leg. iniissent.

P. 32. in fine §. 8. adde: Nuperrime de Pausaniae fide in describenda eorum imperatorum historia, quos Graeci diadochos vocant, egit brevissimis verbis Ioh. Gustav. Droysen in Historia sua Diadochorum anno praeterito Hamburgi edita p. 686, et Koenigii meamque de hoc scriptore eiusque auctoritate historica sententiam ad summum stabilivit et confirmavit.

P. 33. vers. 14. pro de leg. des.

P. 39. vers. 33. adde: Graeci recentiores hanc urbem vocant Patra, Turci Balia Badra (παλαιὰ Πάτρα) vel etiam Badradschik, Itali Patrassi, Angli et Francogalli Patras, Pausanias et ἄστυ et πόλιν. (Cf. Dodwelli Itin. I, 153.) Corinthum inde mari vehentibus sunt LX mil. (Dodw. I, 150.) Anno praeterito Zumptius Berolinensis ex hac urbe per Peloponnesum itinera fecit eaque descripsit literis in publicum emissis in Ephemeridib., quae Athen und Berlin vocantur.

P. 40. vers. 12. adde: Sita est urbs in colle leniter adscendente milliario minus a mari, tria milliaria a monte Boidia, olim Panachaico dicto, qui orientem versus ab urbe surgit. (Dodw. l. c. I, 150.)

Ibid. vers. 21. adde: Dodwellus quoque (l. c. I. p. 162.) falso scribit, hunc portum Alcibiade suadente ab incolis exstructum esse.

P. 41. vers. 26. adde: Procopius Patras, Naupactum pluresque alias Graeciae urbes medio seculo sexto terrae motu dirutas esse narrat.

P. 60. in fine §. 23. adde: Plinius H. N. IV, 5. in Achaia, inquit, IX montium Scioëssa notissimus, fons Cymothoë. — De frugibus in Achaia quae reperiuntur haec habet Plinius H. N. XIII, 37: Achaia fert bryam silvestrem; insigne in ea, quod sativa tantum ferat gallae similem fructum. Diosc. I. p. 150: καρπὸν ὥςπερ ἄνθος φέρει βρυώδες κατὰ τὴν σύστασιν, qui demum in pappos evolat, quare nec fructus proprie nec semen est. Plin. XVIII, 12: Triticum; utitur eo et Sicilia et Achaia montuosis utraque partibus. Plin. XXV, 64: Daucus; probatissimi in Creta et in Achaia. Nicand. in Theriac. p. 10: Δαυκὸν ἔστι ῥίζιον παρόμοιον σταφυλίνῳ· — — εἰσὶ δὲ δύο γένη τῆς δαυκοῦ, ἡ μὲν Κρητικὴ, ἡ δὲ Ἀσιατικὴ· ὁ δὲ Πλούταρχος πλείονα μέν φησιν αὐτῶν γένη εἶναι. cf. Dioscor. III, 83. Theophrast. IX, 22: Δαυκὸν τὴν Πατρικὴν τῆς Ἀχαΐας. Plin. XXVIII, 67: Phthisicis medentur iecur lupi ex vino, macrae suis feminae herbis pastae lardum, carnes asininae ex iure sumtae. Hoc genere maxime in Achaia curant id malum. Plin. XXXI, 19: In Achaia ad Pheneum aqua profluit e saxis, Styx appellatur, quae illico necat. Sed videtur Plinius de Achaia Romanorum provincia hoc intelligere. cf. Pausan. in Arcad. Antigon. Hist. mirab. c. 174. Strab. lib. VIII. sub fin. aliique. Plin. XXXIII, 56: In argenti et auri metallis nascuntur etiamnum pigmenta, sil et caeruleum. Sil proprie limus est. Optimum ex eo quod Atticum vocatur. Pretium in pondo libras XII. Proximum marmorosum, dimidio Attici pretio. Tertium genus est pressum, quod alii Syricum vocant ex insula Syro. Iam quidem et ex Achaia, quo utuntur ad picturae umbras. Pretium in libras HS bini. cet. Plin. XIX, 46: Apium; honos ipsi in Achaia, coronare victores sacri certaminis Nemeae. Iuvenalis Satyr. VIII, 226:

Graiaeque apium meruisse coronae.

Idcirco Nemeaeum apium Nicandro dicitur in Theriac. p. 47. Suidas T. II. p. 213: Νεμέας σέλινα. cf. Plut. lib. V. Sympos. quaest. 3. p. 676.

P. 62. in fine §. 24. adde: Joh. Guil. Zinkeisen Geschichte Griechenlands vom Anfange geschichtlicher Kunde bis auf unsere Tage. P. I. 1832.

P. 64. in fine §. 25. adde: Joh. Gust. Droysen Gesch. Alexanders des Grossen. Berol. 1833.

P. 66. in fine §. 26. adde: Conradus Mannert Gesch. der unmittelbaren Nachfolger Alexanders. 1787. Gast the history of Greece from the accession of Alexander till the final subiection to the Roman power in eight books. London 1782. 4. Deutsch 1798. Guilielm. Schorn: Gesch. Griechenlands cet. 1833. Ludovic. Flathe Gesch. Macedoniens cet. T. I. 1832. T. II. 1834. Joh. Gust. Droysen Gesch. des Hellenismus T. I. vel Gesch. der Nachfolger Alexanders. 1836. inprimis p. 655.

P. 89. vers. 33. lege at pro et.

P. 92. vers. 28. adde: Scilicet ex quo tempore urbes in Peloponneso pleraeque ad unum corpus et concilium Achaicum aggregatae fuerunt, ius monetae cudendae singularum urbium fuit, numi autem erant communes Achaeorum omnium, quacunque in urbe essent signati. Inde commune populi Achaici monogramma impressum fuit, nonnunquam apposito nomine urbis eius, in qua cusi sunt, haud raro etiam praetermisso. Sic Polybius tradit, Achaeos amicitiam sociali foedere iniisse, καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς αὐτοῖς καὶ σταθμοῖς καὶ μέτροις καὶ νομίσμασιν. Hoc enim aliis in urbibus Graeciae minime obtinebat, ut una in urbe signati numi alterius populi in urbibus reciperentur. (Cf. Bayeri Opp. p. 26.) Eckhel in Doctr. numor. Vol. II. p. 229. sqq. numos Achaeorum nomine inscriptos in duas classes dispescit: I. in monetam Achaiae propriam, II. in numos foederis Achaici. Praeclari Achaeorum foederis testes habemus numos non paucos in variis Peloponnesi urbibus signatos, quibus insigniter comprobatur, urbes, quae eidem se applicuere, eadem pecunia esse usas. Ex singulis autem numis, quos Eckhel, Bayerus, Rasche (in Lexico universae rei numariae) recensent, hae colliguntur notae historicae: 1) Panachaeae Cereris fanum omnibus in universum Achaeis sacrum fuisse. (cf. supra p. 48.) 2) Arcades prae Peloponnesiis aliis Achaeorum foederi animosius accessisse testatur Pausanias (VIII, 6.) idemque confirmant numi, quorum plerique urbium sunt Arcadiae. 3) Urbes extra Achaiam propriam sitas, quum primum ad hanc foederis communionem accesserint, sese Achaeos professas esse et numos hoc titulo signasse, quo testarentur, se omnia ad eius foederis legem moderari, probabiliter coniicit Eckhel. 4) Fuisse urbi Coronae in Messeniorum agro sitae, cuius cives Strabo Κορωνεῖς, Stephanus etiam Κορωναίους vocat, aliquem cum Achaeorum rebus nexum, indicat et numus et eius portus, dictus Ἀχαιῶν λιμήν (Paus. IV. p. 365.). 5) Fuisse apud Tegeam saepius celebratum communem Achaeorum conventum testantur numus et Livius XXXV, 27. XXXVIII, 34. (cf. supra p. 85.) 6) Numos testudine signatos, qui inscriptione carent quique Peloponneso ab omnibus tribui solent, Aegii signatos esse putat Eckhel. Porro verisimile videtur, frequentes illas drachmas cum monogrammate Ⅹ, quae fuere communis Achaeorum moneta, in urbe Aegio signatas; nec dubium, hos numos cusos fuisse constante adhuc Achaeorum republica. 7) Numus nomine ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΟϹ signatus; hunc Aristodemum Bayerus Aegiensem magistratum fuisse opinatur; sed hominem eius nominis nobis prodit Diodorus (XIX, 66.), qui copiarum dux pro Antigono

Asiae rege Aegium aliquamdiu tenuit. 8) Κλητκῖος magistratus Aegiensis. Eundem in modum Cimon et Methrodorus Manecadis filius in numis Golzianis Patrensium archontes fuerunt, Dymaeorum vero Myrtilus, Phliuntiorum Callimachus, in numis item Golzianis. 9) Patras urbem nobilem et numorum divitem vocat Eckhel II. p. 255. Narrat Polybius (V, 30.) Patrensium urbi imminuisse montem, dictum Παναχαϊκόν. Nomen ipsum docet, eum toti Achaeorum conventui sacrum fuisse, ut Homagyrium Iovem et Panachaeam Cererem vidimus, quae adeo caussa exstitit eius in moneta domestica celebrandi. 10) In uno numo Patrensium portus, nullo, si Strabonem audias, merito illustris, fructifer appellatur. — Reliqua, quae imperatorum Romanorum tempora spectant, §. 112. absolvimus.

P. 92. vers. 19. lege: eponymus anni pro: eponymusanni.

P. 93. vers. 11. adde: Ubbo Emmius in Veteris Graeciae Lugduni Batavorum a. MDCXXVI. editae tomo III. de Achaeis eorumque legibus atque institutis egit. cf. Dissert. mea de scriptoribus rerum Achaicarum in Ephemeridib. Iahnianis cet. T. Suppl. III. Fascic. 3. a. MDCCCXXXV. p. 344 sqq.

P. 105. vers. 18. pro ageret lege egit.

P. 112. extr. adde: Phylarchi historiarum fragmenta nuperrime collegit ediditque hoc anno Ioh. Frider. Lucht, Lipsiae, idem, qui Polybii Fragmenta Vaticana post Orellium eodem fere tempore cum Geelio Batavo in publicum emisit. Incipiebant vero Phylarchi historiae a Pyrrhi expeditione in Peloponnesum, Ol. 127, 1 = 272 a. Chr. et finiebantur morte Ptolemaei Euergetae et Berenices et Cleomenis III., regis Spartanorum, qui ab Antigono Dosone ad Sellasiam victus Alexandriam se contulerat Ol. 139, 4 = 221 a. Chr., ita ut viginti octo libris spatium quinquaginta annorum complecteretur. Luchtius vero Arati indolem ingeniumque bene pingit et describit p. 19. sqq. Polybium acriter propter partium studium vituperat et Phylarchum defendit fidemque et auctoritatem huic scriptori vindicat et maximam quidem partem ea ratione, ut me quoque assentatorem nactus sit, licet ei Lucae sententiae, quam Luchtius quoque p. 21: scilicet „Polybium Achaeis addictissimum pristinam Graecorum excellentiam mente sua nec cepisse nec sensisse“ (Lucas l. c. p. 30. sq. 51. sq.) amplecti videtur, prorsus adverser.

P. 113. fin. adde: De Plutarchi fide atque auctoritate egit etiam Droysen in libro ad p. 64. et 66. citato p. 676. sqq. et Plutarchus ipse initio vitae Alexandri M. suam scribendi rationem exposuit.

P. 114. §. 40. initio adde: De Diodori Siculi fontibus et auctoritate historiarum cf. Heynii Commentat. III. in Commentat. Societ. Gotting. 1782. et 1784. et Droysen l. c. p. 669. sqq. Idem de Iustino l. c. p. 675. sqq. et Weiske de hyperbole errorum in historia Philippi, Amyntae filii, commissorum genitrice. 1819. p. 38. De Orosio Droysen l. c. p. 676. his verbis: Dem Justin folgt bekanntlich Orosius fast überall, oft bis auf die Worte. De Polyaeno l. c. p. 685; Appiano p. 687; Eusebio et Syncello p. 689 — 697.

P. 114. vers. 23. pro qui lege quibus.

P. 122. vers. 6. pro propere lege prospere.

P. 124. extr. adde: Luchtius l. c. sic de Arato p. 19: Laudabili Arati studio plurimis Peloponnesi urbibus a tyrannorum dominatione, quos praecipue Demetrius II. foverat, liberatis, foedus

Achaicum eodem Arâto duce laeta virium incrementa cepit. Neque tamen Aratus viris domi militiaeque magnis adnumerandus est, quippe qui timidus et ignavus, non rebus gerendis superior esset, sed a rebus consilia sua suspensa haberet, callide cunctando, tergiversando et dissimulando tempora captans, in quibus lucellum et gloriolam sibi pareret — — — qûum Aratus propter invidiam in alios et ambitionem ridiculam melioribus et praestantioribus Graecis, qui Achaei non essent, cedere nollet, aegram inter certamina vitam traheret et postremo se totamque Graeciam perderet. Non enim Graecus sed merus Achaeus erat Aratus. cet.

P. 130. vers. 32. adde: Liv. XXXV, 34: apocletos, ita vocant sanctius consilium, ex delectis constat viris.

P. 132. vers. 16. lege absque pro abque.

P. 133. vers. 4. lege Aetolos pro Aetolis.

P. 136. vers. 23. lege senex pro senes.

P. 139. cf. Schorn. l. c. p. 81. Not. et supra librum meum §. 39. extr. p. 114.

P. 143. vers. 27. deleatur praepositio *in*.

P. 149. in Nota ter Eodemus falso impressus pro Ecdemo.

P. 153. vers. 5. infr. pro Cllnton lege Clinton.

P. 167. vers. 14. adde: Bene haec exposuit Luchtius l. c. p. 21: Atque ita pervenimus ad cardinem quaestionis de fide Phylarcho habenda aut neganda. Solus Cleomenes Phylarcho criminum caussa fuit, nec praeterea quidquam est, quod ei vitio vertatur. Phylarchus Cleomenem in sinu et ore gestabat, imagine quasi redeuntis gloriae et potestatis Graecorum exsultabat, tristem casum, quo afflictus periit, deplorabat. Polybius contra delicias suas, Aratum, a Phylarcho castigari et perstringi aegerrime ferens, Cleomenis gloriam quantum potest velat et obtegit et irrito hoc conatu acerbatus invehitur, ut animo satisfaciat, in laudatorem ipsum, Phylarchum, singulas quasdam res, quas redarguat, arripit, iis mordicus inhaeret, et tum totas eius historias damnat. Nos igitur ita statuamus, et Phylarchum et Polybium propenso animo, alterum erga Cleomenem alterum erga Aratum ductos esse, utrumque suum heroem laudibus extulisse et ornasse et quasi cum eo coaluisse, utrumque, ut fere fit, in cernendis alienis vitiis acutiorem, in propriis hebetiorem fuisse, et neutrum aequum et integrum iudicem alterius haberi posse. cf. Niebuhr. Opusc. p. 269. Not. 62.

P. 174. in nota vocabulum *ius* delendum est.

P. 188. vers. 7. pro legatum lege legationis vel legatorum.

P. 196. vers. 4. pro hortantur lege admonentur.

Ibid. vers. 11. post verbum decernere adde: exponeret.

Ibid. vers. 29. pro a c. 29. lege anni 229.

P. 197. vers. 6. infr. post vocabulum *potius* adde: studio vel amore.

P. 199. vers. 16. pro Lacedaemonis lege Lacedaemonii.

P. 203. vers. 26. post vocabulum *conveniret* pro commate pone semicolon.

P. 204. vers. 25. pro eius scribe ei.

P. 209. vers. 3. pro rei lege regi.

P. 211. vers. 12. pro colligit lege collegit.

P. 214. vers. 24. pro qui lege quia.

P. 218. vers. extr. lege multa.

P. 219. vers. 2. infr. pro 511 lege 211.

P. 224. vers. 22. et 23. verba: „iam post cladem ad Chaeroneam acceptam libertate indigni," commatibus sunt circumcludenda.
P. 236. vers. 28. pro Fere lege fere.
P. 239. vers. 11. lege: ut — essent — valerent.
P. 259. vers. 17. pro vioppugnatam lege vi oppugnatam.
P. 288. Extremum in ea pagina verbum *facere* corrigendum est in *facimus*.
P. 339. vers. 27. lege huic pro huc.
P. 396. vers. 28. lege secundam pro secundum.
P. 401. vers. 35. ad Heracleum adde: *ἐπὶ τοὺς καθ' Ἡράκλειον τόπους.* Livius XLIV, 3. extr. (ex Io. Frid. Gronovii emendatione) *degressi in campos, inter Heracleum et Libethrum posuerunt castra.* Vide quae de Heracleo ibi monuit idem Gronovius et Drakenborch. ad Liv. XLIV, 2, 12. Heraclea Phthiotidis est, prope Thermopylas; Heracleum Macedoniae, haud ita procul a Dio. (Schweigh.)
P. 411. vers. 31. pro concitare lege conciliare.
P. 440. vers. 6. pro aecedere lege accedere.
P. 450. vers. 21. pro timeri lege timere.
P. 455. vers. 6. adde: Romanorum decem legati *καλὸν δεῖγμα τῆς Ῥωμαίων προαιρέσεως ἀπολελοιπότες πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν* quum Romam revertissent (Polyb. Rel. XL, 10.) Polybius Achaiae controversias composuit resque ordinavit, *μὴ γὰρ ἐξεργασαμένου τούτου καὶ γράψαντος τοὺς περὶ τῆς κοινῆς δικαιοδοσίας νόμους, ἄκριτα πάντα ἦν καὶ πολλῆς γέμοντα ταραχῆς* (Polyb. l. c. Paus. Arcad. XXX, 4.). Ob eamque rem duas ei posuerunt Achaei statuas, alteram Megalopoli, in templo Despoinae s. Proserpinae alteram, quibus inscripta erant haecce verba: *ὅτι σύμμαχος γένοιτο Ῥωμαίων, καὶ παύσειεν αὐτοὺς ὀργῆς ἐς τὸ Ἑλληνικόν.* et: *ἐξ ἀρχῆς τι μὴ ἂν σφαλῆναι τὴν Ἑλλάδα, εἰ Πολυβίῳ τὰ πάντα ἐπείθετο, καὶ ἁμαρτούσῃ δι' ἐκεῖνον βοήθειαν αὐτῇ γενέσθαι μόνον.* (Paus. l. c.)
P. 457. Not. vers. 4. pro Corcyra lege Corcyram.



Index
nominum et rerum memorabilium.

(*Numerus paginam indicat.*)

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

